MISCELLANEA ITALICA ERUDITA COLLEGIT GAUDENTIUS ROBERTUS CARM...

Gaudenzio Roberti, Giuseppe Neri, Paolo Manuzio, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA
ITALICA
ERVDITA
TOM. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblio. MISCELLANEA Secr.

ITALICA
ERVDITA

Coll. Rom. TOM. IV. Soc. Jesu

Collegit Gaudentius Robertus Carm. Cong.



PARMÆ, Typis Hippolyti, & Franciſci Mariæ de Roſatis.
Anno MDCXCII. *SVPERIORVM PERMISSV.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Nos F. Clemens Maria Felina à Bononia Sacr. Theologiæ Mag. ac Doctor, nec non Congregationis Mant. Regularis, & Antiquæ Obſeruantiæ Ord. Carmelitarum Vicarius Generalis.

Opus, cui Titulus *Miſcellanea Italica Erudita*, plurimis conſtans Voluminibus, ad ſtudioſorum mentes erudiendas à Reu. Adm. Patre Gaudentio Roberto in eadem Congregatione Sac. Theol. Mag. peculiari diligentia congeſtum, ac à Nobis recognitum, ut ad publicam utilitatem prodire poſſit, præſentium tenore, quantùm in Nobis eſt facultatem elargimur.

In quorum fidem &c.

Datum Bononiæ in Carmelo Noſtro S. Martini Majoris die 20. Iulij 1691.

F. Clemens Maria Felina Vic. Gen.

F. Franciſcus Bruſcus Mag. Socius, & Secretarius.

Digitized by Google

IMPRIMATVR.

F. Ioannes Carolus Falconus Sac. Theolog. Magiſter, ac Inquiſitor Generalis S. Officij Parmæ, & Burgi Sancti Donini &c.

IMPRIMATVR.

Iulius dalla Roſa Vicarius Generalis Parmæ.

Vidit Nicellus Præſes Cameræ.

Digitized by Google

ELENCHVS
AVTHORVM & OPERVM
Quæ in hoc quarto Tomo recenſentur.

PAVLI MANVTII Veneti Antiquitatum Romanarum Liber de Comitijs pag. 1.

GAVDENTII MERVLAE Novarienſis De Gallorum Ciſalpinorum antiquitate, ac origine pag. 151.

IO: MARII MATTII Brixiani Libri tres, in quibus plurima Loca Auctorum Latinorum, & Græcorum hactenus à nullo tractata, aut non rectè expoſita explicantur, aut corrupta emendantur pag. 323.

IOSEPHI NERII Peruſini Analecta, In quibus præter ea, quæ ad Ius pertinent, varia tam in ſacra, quam in prophana Hiſtoria, & quædam in Tacito explicantur, illuſtrantur, emendantur: Antiqui mores tam ſacri, quam profani, cenſuræ, & critica quædam admiſcentur pag. 553.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQVITATVM ROMANARVM PAVLI MANVTII LIBER DE COMITIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO POTENTISSIMO INVICTISSIMOQ.

STEPHANO
DEI GRATIA
REGI
POLONIÆ
MAGNO DVCI

Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kiouiæ, VVolhiniæ, Podoliæ, Pomeraniæ, Podlachiæ, &c. ac Vniuerſæ Sarmatiæ, Europæ Monarchæ, Dominoq;

NEC NON PRINCIPI
TRANSILVANIÆ, &c.

QVI rerum geſtarum gloria maxime excellunt, ij, Sereniſsime Rex, vel abſentes, longoq; terrarum interuallo diſiuncti, præſentes nobis ſemper videntur eſſe; eoq; vel nos ad eandem virtutem accendere; vel ſaltem, quando illud non liceat, ad eam immortalitati, quantum in nobis eſt, commendandam.

Digitized by Google

Ea verò eſt laudis, & gloriæ Tuæ fama, ea virtutum prædicatio, vix vt iam in toto Terrarum Orbe locus, quem non impleuerint, reperiri poſſe videatur. Quo enim rerum per Te geſtarum magnitudo; diuina, & multiplex, in illis gerendis, virtus; conſilij, fortitudinis, audaciæ, conſtantiæ, animi nullo vmquam terrore infracti, innumerabilia exempla non peruenerunt? quod Regnum, Prouinciam, vel Ciuitatem, continentiæ, prudentiæ, iuſtitiæ, magnificentiæ, liberalitatis, animi omnium ſordium expertis, lumina, totq; victoriarum triumphi, non inuaſerunt? Quarum virtutum, cum in omni vita, tum vero in iſto Regali Solio, innumerabilia edita ſunt documenta. Nam, vt primum in Regiam dignitatem conſcendiſti, ad Spartam, quæ Tibi, Diuino iudicio, obtigit, augendam omnes Tuas cogitationes, & curas, intendiſti, eamq; breui tempore rebus bellicis, & virtutibus, Tuis ita illuſtraſti, vt iam ornatior, quam nunc eſt, eſſe non poſsit. Moſcorum in primis longè, latèq; dominantem Tyrannum, qui, tot regionibus Regno Poloniæ ademptis, Polonis magnam ignominiæ notam inuſſerat, & non ſolum Poloniæ, ſed etiam Catholico nomini, crudeliſsimum (inſolenter) excidium minabatur, perdomuiſti; & Polonis infamiæ maculam abſterſiſti; eumq; primus coegiſti, vt non ſolùm Liuoniam, Prouinciam ampliſ-

pliſsimam, & fertiliſsimam, eaq; omnia, quæ occupauerat, redderet, ſed etiam ſuperbas illas ceruices Romano Pontifici ſubijceret, Eoq; ſequeſtri ad pacem impetrandam vteretur. Magnum profecto hoc eſt, vel, vt verius dicam, maximum. Nam, quod nemo vmquam, poſt hominum memoriam, efficere potuit, Tu, Rex ſapientiſsime, & bellicoſiſsime, effeciſti; vt is, qui capitalem hoſtem Eccleſiæ Romanæ ſe eſſe fatebatur, ab Eius RECTORE (vt ſibi vitam, ſuiſq; omnibus, a Te, tamquam obſequentiſsima filio, impetraret) auxilium implorare cogeretur. Quos vero labores, cum immaniſſimo homine, belligerando, exhauſeris, quas Cæli iniurias, & intolerabiles ventorum, frigoriſque moleſtias, quibus ſæpè pænè es obrutus, pertuleris, quot inſomnes noctes duxeris, excubiaſq; feceris, & prælia cruenta cum barbara gente commiſeris, nolo hic commemorare. Aduerſus quæ omnia inuicta ſtetit virtus Tua, omniaq; Cæli incommoda, & hoſtium impetus, vi ſua proſtrauit, ac perfregit. Turca vero, ſummus Barbarorum Princeps, qui res a Te domi, foriſq; feliciſsimè geſtas ſæpiſsimè conſpexit, nihil prius, nihilq; antiquius, habet, quam vt pacem ſemel cum illo factam diutiſsimè conſeruares. Incuſsit certe illi non mediocrem timorem exercitus ille centum, & viginti millium armatorum

equi-

Digitized by Google

equitum, magnuſq; numerus peditum, à Te in aciem contra Moſcum eductus; quem Tu Oratoribus Illius, hanc ob rem ad Te præcipue miſsis, more antiquorum Imperatorum, inſtructum oſtendiſti. Quid Scythæ? qui, anteceſſorum Tuorum tempore, Polonorum laboribus viuere, & quolibet ferè anno, Ruſſiam, Podoliam, aliaſq; florentiſsimas Prouincias, igne, ferroque vaſtantes, ingentem Poloniæ cladem inferre conſueuerant? an non tantus iam eos terror inuaſit, vt potius fame, rebus omnibus deſtituti, intra proprios parietes, mori malint, quam à Tuis manibus turpiſsimè in prælio occumbere? Primus Tu Polonis, exemplo Tuo, oſtendiſti; eam gentem vinci poſſe, quam nec Magni Alexandri fortitudo, nec Perſarum diuitiæ, nec Romanorum potentia, vincere vmquam potuere. Neque vero in armis præſtantior es, quam in toga. ita enim pacis artes tenes, vt cum paucis excellas. Omnes pietatem Tuam erga Deum, erga Eius in Terris Vicarium obſeruantiam, erga Dei Miniſtros, & Sacerdotes, humanitatem, erga ſubditos clementiam, benignitatem, ſatis prædicare non poſſunt. Quæ Te coegit, vt in Arce Polocenſi, quam ſuperioribus annis Moſco e manibus extorſiſti, Collegiũ Societatis Ieſu, Regio plane ſumptu, erigeres. Vt ſit perpetuum victoriæ Tuæ, & erga gentem illam, Græcorum erroribus imbutam, & per-

fida

ſida Hæreticorum ſecta contaminatam, ſummæ beneuolentiæ monumentum. Nil dicam de Auguſtiſſimo Collegio Tranſſiluanico. Nil de Eccleſiarum, ab Hæreticis profanatarum, reſtauratione. Nil de Tua in litteratos homines propenſione; quos non modo ex vniuerſa Polonia ad Te conuocaſti, ſed etiam ex omni Italia in Regnum Tuum euocare contendiſti. Quæ res, Sereniſſime Rex, vehementer me ſane ad nomen Tuum obſeruandum, colendum, & omni ratione venerandum, inflammarunt. nihil vt iam aliud cogitem, quam quo modo poſſim meam in Te ſummam obſeruantiam apud poſteritatem teſtatam relinquere. Et relinquerem profectò, ſi mihi rerum, factorumq; Tuorum Commentarium ſcribere liceret. quem Tu ipſe de Te, C. Iulium Cæſarem imitando, ſcribere in animum induxiſti. Quam meſſem mihi a Te ademptam eſſe, vehementer doleo. Curabo tamen in poſterum, aliquid eiuſmodi efficere, quod nomen Tuum apud omnes immortale, ac ſempiternum, reddat. Interim Tibi, Rex omnium Regum fortiſſime, libellum non inelegantem Antiquitatum Romanarum, de Comitijs, a Patre meo ſcriptum, offero. Qui cum non ita pridem a me poliretur, (imperfectum enim opus, morte præuentus, Pater meus reliquit, ita tamen imperfectum, vt, ſi ederetur, non minimam ſtudioſos ex eo vtilitatem capere poſſe iudica-

dica-

dicarem) accidit, vt Martinus Siſcouius, vir multa doctrina, egregijſq; moribus, apprime inſtructus, & ad illuſtrandam Patriam optimis virtutibus peraccommodatus, ex hac artium liberalium perenni officina, Italia, in qua multos per annos, quaſi in vberrimo quodam ſcientiarum mercatu, commoratus eſt, in Poloniā diſcederet. Per eum igitur, per eum, inquam, quocum mihi arctiſsimum veræ amicitiæ vinculum, ſola virtute nixæ, intercedit, hunc Paterni ingenij fetum Tibi, Sereniſsime Rex, offero; meq; ipſum Tuis ampliſsimis virtutibus deditum deuoueo. Quod reliquum eſt, officium meum id exigere videtur, vt Siſcouium Tibi etiam atque etiam commendem: non, quod mea, aut cuiuſquam commendatione indigeat, quem virtutes, & doctrina illius omnibus abunde commendant; ſed, quod ille dignus eſt, qui non ſolum a me, quicum familiariſsimè, & iucundiſsimè, viuit, ſed ab omnibus, qui vel virtutem, quæ in illo lucet, amplectuntur, vel erga bonas artes, quibus ille abundat, amore flagrant, omni tempore, & loco commendetur. Vix aliquid eſſe videtur, Sereniſsime Rex, tam abditum, & reconditum in ſcientia naturali, quod ille ingenij acumine non perluſtrauerit; vix tam arduum, & difficile, quod non deuorauerit, & in ſuccum, ac ſanguinem, conuerterit.

Hinc

Hinc factum eſt, vt perſæpe in celeberrima totius Orbis Vrbe, Regina inquam Vrbium, publicas Concluſiones, depromptas ex vniuerſa Philoſophia, diſputandas proponens, in tot Cardinalium corona, & maxima doctiſsimorum virorum, vndique confluentium, frequentia, quaſi egregius quidam athleta, doctiſsimos Philoſophiæ magiſtros ad ingenij certamen prouocauerit; & ipſe, viciſsim ab ijs prouocatus, magna cum omnium admiratione, præclaram victoriam obtinuerit. Hac facultate non contentus, Iuris ſcientia, cæteriſq; artibus, ingenuo, & nobili homine dignis, ita animum informauit, vt cum doctis, iure optimo, comparari poſsit. Porro, modeſtia, omniq; virtutum genere, quantum excellat, vel ex hoc, Sereniſsime Rex, cognoſcere potes; quod & GREGORIO XIII. Pontifici Maximo, & pientiſsimo Cardinali Borromeo, ſemper cariſsimus fuit; Illuſtriſsimo Nepoti Tuo Cardinali Bathoreo, multiſq; alijs, & grauiſsimo virtutum, ingeniorumque cenſori, Petro Miſcouio, Epiſcopo Cracouienſi, cæteriſq; magni nominis, & doctrinæ, hominibus gratiſsimus eſt; cum propter morum, & virtutum ſuauitatem, tum propter ſingularem eruditionis præſtantiam.

Quæ me etiam res in eius amorem impulerunt. Ita enim natura comparatum eſt, vt, quos ſcimus

ijs rebus, quas homines admirantur, præſtare, & ob id apud magnos viros in gratia eſſe, eos vehementer amemus, & illorum viciſsim in nos amorem prouocare ſtudeamus. Quanta vero Te, Sereniſsime Rex, & vniuerſam Familiam Tuam, pietate colat, ſæpiſsimè, dum Romæ eſſet, multis argumentis declarauit. Nam, & orationibus, in magno clariſsimorum, & doctiſsimorum hominum cætu habitis, & carminibus, vna cum omnibus artium liberalium ſtudioſis, & vniuerſa B. Virginis Congregatione, cuius ille ſupremus rector, ac moderator, fuit, cum Tuas, tum Illuſtriſsimi Cardinalis Bathorei, Nepotis Tui, laudes pleno, vt aiunt, cornu celebrauit. Et ita in illa oratione, qua ille primus Gymnaſium Romanum, magnificentiſsimè a GREGORIO XIII. nuper exſtructum, condecorauit, Nepoti Tuo, quod in Purpuratorum numerum adſcriptus eſſet, gratulans, illique in Poloniam diſcedenti, omnium bonarum artium amatorum nomine, Vale, dicens, in tot Præſulum, & ſapientum hominum multitudine, Illuſtriſsimum Nepotem Tuum, & Te, Sereniſsime Rex, eximijs laudibus extulit, vt in illam orationem magnam partem doctrinæ, quam ex grauiſsimarum artium tractatione acceperat, & eloquentiæ, quam ex vberrimo dicendi flumine, magnoq; perorandi magiſtro, M. Antonio

Digitized by Google

Mureto, (cuius ex obitu, non ita pridem, Roma, Italia, Europa denique vniuerſa magnam iacturam fecere) hauſerat; cuius ille doctrinæ, multos per annos, alumnus, & diligens obſeruator fuit; effundere non dubitaret.

Aequum itaque eſt, Sereniſsime Rex, vt hominem, omni ratione Tibi, Tuiſque addictiſsimum, in ſinum gratiæ, ac beneuolentiæ recipias, eumq; in Tuorum numerum adſcribas, adſcriptum amore foueas, benignitate proſequaris. Ita fiet, vt ſatis amplum commendationis meæ fructum me recepiſſe exiſtimem, Iudicij nempe exiſtimationem aliquam: quod eum Serenitati Tuæ commendauerim, qui & dignus commendatione mea, & vero Tua gratia, fuerit. Quanti vero Tuum iudicium faciam, ex quo non dicam iudicium meum, ſed tota mea exiſtimatio pendeat, facile eſt conijcere.

Illud ſit in clauſula; Serenitati Tuæ me addictiſſimum ſemper fore; quod ſola virtute effeceris, vt Rex ſis, Rexq; inter Reges maximus; &, eadem duce, Regnum illud præmium Tuis meritis minimum eſſe declares: qui, Virtuti ipſi Te omnia debere, præclare intelligas, & re ipſa ipſi gratiam referre ſtudeas, & cumulatè præſtes. Vt ea, quaſi exul, ad Te confugiens, maximum in Tuo præſidio adiumentum ſibi eſſe conſtitutum fateatur.

DEVS OPT. MAX. Regnum iſtud, tanto Rege dignum, Teque, tanto Regno, immo pluribus Regnis digniſsimum, diutiſsimè fortunet.

Bononiæ Kal. Sext. CIↃ IↃ XXCV.

Serenitati Tuæ

addictiſsimus

Aldus Mannuccius, Pauli F. Aldi N.

Digitized by Google

LIBER AD STEPHANVM REGEM

TE NE ego, Regnator Terrarum, Orbiſq; ſubacti,
Magne Pater, Te, ſpes hominum, Te, cura deorum,
Accipio ingentem? Datur hæc, datur ora tueri
Miſta notis bellis, placidamq; tuentia pacem;
Tranquillum vultu, ſed maieſtate ſerena
Aethera mulcentem. Talem quoq; Barbarus hoſtis
Poſsit, & ignotæ conſpectum agnoſcere gentis.
Non aliter Getico ſi quando e puluere Mauors
Fertur equis, vritq; grauem ſudoribus Hebrum,
Vel cum cæleſtes Alcidæ inuiſere menſas
Iam vacat, & feſſum Iunonia ſuſtinet Hebe.
Sis bonus, o felixque, Tuis. Iterata reuolues
Bella potens Aſiæ; inſtructo feruere videbis

Mar-

Digitized by Google

Marteq; progeniem Mahumeti, & litore rubro
Aegyptum, & vires Thracum. Tibi mollior omnis
Ibit Arabs, Afer mitis; maiorq; curulis
Iam iam erit: hic triſtes Solymum vlciſcetur &
vmbras.
At Te læta Tuis pro factis fata ſequentur.
Tempus erit, cum laurigero Tua fortior oeſtro
Facta canam; & magni cedet Tibi Iuppiter æqua
Parte poli. nam Te nec ſpernant Sidera Regem,
Nec Tibi vota neget Terrarum maximus Orbis.
Nunc tamen hoc munus non aſpernare puſillum,
Fortunatus & hinc, tenuem ne deſpice; nec Tu
Sperne coli Muſa imbelli. Vaga cingitur aſtris
Luna: cadunt riui tot in Oceanumq; minores.

Digitized by Google

DE COMITIIS ROMANORVM.

VT in plenis corporibus, in quibus ex magna copia diſſenſio, & ex diſſenſione corruptio generatur, facile exoriuntur morbi: ſic in magnis ciuitatibus, vbi ex diſpari fortuna diſſimiles eſſe ciuium voluntates neceſſe eſt, graues diſcordiæ, periculoſæq; ſeditiones exiſtunt, qui ſunt cum omnium pæne Rerumpublicarum communes morbi, tũ ita difficiles, vt paucę conualeſcant, tunc enim periculosè corpus ægrotat, cum ſanari, niſi membrum amputes, non videtur poſſe, at corruptum membrum, vnde corpus afficitur, ita ſæpe vitale eſt, ita cum reliquis membris colligatum, vt, ſi amputes, vis reliqui corporis vniuerſa diſſoluatur, eadem eſt in ciuitatibus ratio, cum ab optimatibus diſſentit plebs, nihil mali non timetur, niſi plebem aut corrigas, aut tamquam vitioſum membrum a ciuitatis corpore ſemoueas, corrigere multitudinem, cum ſemel a recto deſciuerit, non facile licet, quia, quemadmodum mentis vitio peccat; ſic eodem vitio peccare ſe, non intelligit, & monere volentibus iraſcitur, ergo aduerſus deſipientem non habet, vt quidem videtur, ratio præſidij ſatis, conſideremus vim, vi cum plebe ſi ages: ſiue vincaris, ſiue vincas, vtrumque ciuitatis exitium eſt, nam, ſi vinceris: conſequuntur iniquiſſima: optimatum bona diripiuntur: cædes committuntur: nihil iure geritur, nihil more: pro legibus libido, pro ratione temeritas, dominatur,

quod ſi contigerit, vt vincas: cæſa plebe, aut eiecta, tu quidem otio, & tranquillitati conſulueris: ſed ciuitas deinde languet, quaſi corpus a ſanguine deſtitutum, vires enim in plebe, conſilium in optimatibus eſt, & quemadmodum ſine conſilio vires non modo non vtiles, verum etiam perniciosæ ſunt: ſic ſine viribus conſilium, non illud quidem pernicioſum, ſed inutile tamen eſt, quare, qui alterum ab altero ſeiungit, periculosè facit, vtraque ſi coierint, & in Reip. ſalute conſenſerint: nihil firmius, nihil ad perpetuitatem præſtabilius eſt, ſed mihi hoc toto de genere conſideranti, & ea, quæ legi, aut accepi, memoria colligenti, vix vlla Ciuitas videtur in omnibus ſæculis fuiſſe, quæ fortem, ac pugnacem, in bellis populum, eundemq; in vrbe ſedatum, ac rerum nouarum minime cupidum, habuerit, id adeo ex humani ingenij quadam intemperie fit, nam ferè omnes homines, vbi, quod habent, eo plus ſe poſſe conſequi cõfidunt, auidè appetunt, atq; expoſcunt. Populus Romanus (hic eſt enim, quo noſtra ſpectat oratio) perpetuas belli gerendi cauſas partim habuit a fortuna, partim etiam ipſe conſulto quæſiuit, multos Reges perdomuit: innumerabiles populos debellauit: ſua virtute effecit, vt Romanum Imperium, iiſdem fere, quibus orbis terrarum, terminis definiretur, & hic ipſe populus, qui foris vtiliſſimus fuit, & Remp. ab externo metu plane tutam, tranquillamque reddidit, idem domi quantas tempeſtates excitauit? Senatum primo ſuperiorem non tulit, deinde ne parem quidem: donec omnia publica iura, optimatibus erepta, ad ſe tranſtulit. Vtrum igitur præſtet, ſtrenuum eſſe populum in ciuitate, & bellica virtute præſtantem, qualis Romæ fuit, eundemq; ſeditioſum, & ſemper noua quærentem, an vero imbellem, qui legibus libenter pareat, qui otio gaudeat, qui tutam condicionem turbulentis conatibus anteponat; ego quidem non facile dijudicauerim, ſummum enim

vtrim-

Digitized by Google

vtrimque diſcrimen occurrit, bellicoſus populus liberta-tem ſeditionibus perdet, imbellis oppugnatam ab hoſte ciuitatem non tuebitur. Hic video, quam præclarum eſſet, quæ in vtramque partem in hoc genere diſputari poſſunt, colligere, ſunt enim ſane plurima: neque me reuocat animus; qui etiam inuitat: ſed neque fert inſtituta narratio tam longi ſermonis argumentum, & ad examinandam huiuſmodi quæſtionem, qua neſcio an vlla grauior, difficilior ve ſit, aptior, vt puto, locus erit in eo libro, quem de tribus Rebus publicis conſcribere in animo eſt; hic tantum illud dicam, quod ad ſuſceptam rem attinet: plebi poteſtatē numquā tuto committi, ſed in Regno minus periculoſe, quam in Rep. non enim ibi facile ſeditiones excitantur, vbi abſolutum vnius imperium timetur: & minor eſt plebis in vnum inuidia, quam in multos, itaque, ſi prima Vrbis Romæ repetamus initia, peccaſſe quidem in eo Romulus videtur, cum plebi Comitia commiſit; ſed multo magis Senatus, cum eiectis Regibus, leges ad augendam plebis poteſtatem a Conſulibus ferri paſſus eſt, ſed nihil magis publicam libertatem, quam tribunicia poteſtas euertit, illa ciuilium malorum tamquam fons, & origo fuit, de quo quid ſentiam, in libro de Senatu, quam breuiſſime potui, ſatis tamen, vt puto, ſignificanter expoſui. Nunc agemus de Comitijs, difficili, & impedita materia: in qua colligenda, atque examinanda, cum ſtudioſe admodum, & perattente, ſim verſatus; factum tamen eſt, vt nulla mearum Antiquitatum in parte minus ipſe mihi ſatisfecerim, tentandum tamen duximus; neque committendum, vt ſi minus ea, quæ ſumma ſunt, quæ fortaſſe alij præſtabunt, conſequi non licet; ea quæ poſita ſunt in nobis, quæ vtinam mediocria ſint, non exſequamur.

Digitized by Google

MAgnam in Comitijs, atque adeo ſummam, Populi Romani poteſtatem ab *ipſo* ferè Vrbis initio fuiſſe; inde conſtat, quod poſt interitum Romuli Senatus decreuit, vt is Romæ regnaret, quem Populus Romanus iuſſiſſet, quod in Regibus creandis inſtitutum, mox & in magiſtratibus ſeruatum eſt. Omnes enim, præter Interregem, & Dictatorem, qui extra ordinem creabantur, Comitijs in Campo Martio Populus iubebat, verum, quia Populus, modo in Tribus, modo in Curias, modo in Centurias diſtributus, ſuffragium tulit; vnde Tributa, Curiata, Centuriata, Comitia nomen acceperunt: operæpretium videtur eſſe, priuſquam ad ipſa Comitia veniamus, in Tribubus, Curijs, Centurijs pauliſper conſiſtere: ne, cum illa tractabimus, quæ ſatis ipſa ſunt obſcura, rei difficultatem etiam nominis augeat ignoratio.

De Tribubus.

PRincipio tres tantùm Tribus fuiſſe, quas Romulus inſtituit, Ramnenſes, quos & Ramnes Varro, Horatius, Feſtuſq; nominant; Titienſes; Luceres, & Plutarchus in Romulo, & Pedianus in Verrinarum commentario, & Varro libro IV. & Liuius etiam libro X. ſcriptum reliquit, nam libro I. idem Liuius, vbi mentionē de Tribubus ordo hiſtoriæ poſtulabat, ſilentio præterijt, tantūm ait, centurias tres equitum conſcriptas, Ramnenſes a Romulo, Titienſes, a Tito Tatio, Sabinorum Rege; Luceres, cuius nominis, & originis incertam eſſe cauſam dicit, ſed Pedianus hoc nomen a Lucumone, quem ex Etruria opem Romulo tuliſſe, Sabinorum Bello, Dionyſius ſcribit; ſiue a Lucretino, ſiue a Luco, quem Lucum Asylum nominauerat, Romulus deriuatum tradit. Iunius Gracchus, quem ſæpe Varro nominat, a Lucumone putat. Plutarchus a Luco Asyli, cuius mihi ad veritatem

pro-

propenſior opinio videtur: vt ex tribus hominum generibus, Romanis, Sabinis, aduenis, tres Tribus factæ ſint: ſicuti & ad habitandum tria loca erant, Palatinus Mons, Romanis; Capitolium, Sabinis; Asylum, aduenis. Feſtus a Lucero, Ardeæ Rege, qui Romulo, aduerſus Tatium bellanti, auxilium tulit, de Lucretino, qui conſentiat, inuenio neminem, niſi quod eoſdem & Lucrenſes, & Luceres appellatos in Feſto legimus, Titienſem etiam potius, quam Tatienſem, idem Feſtus nominatum ſignificat, a Tatij Regis prænomine, a quo & curiam Titiam dictam ait. Quod autem ſcribit Liuius de Centurijs, accipiendum eſt, ex tribus Tribubus Centurias eſſe delectas & a ſua quaque tribu denominatam, cuius in ſententiam eo libentius inclino, quod & eam Tribum, quam a ſe ipſo Romulus Ramnes nominauit, non a nomine, ſed a prænomine deductam video, nam Romulus prænomen fuit; nomen autem Siluius, a matre Siluia, cum ignoraretur pater. Sic & Amulius, & Numitor, qui Albæ regnarunt, e gente Siluia: quos a prænominibus antiqui nominarunt, ideo Numitoris filia, quæ Romulum, & Remum peperit, Siluia dicta eſt, quæ Romam translata conſuetudo viguit in fœminarum nominibus; omnes enim a familia nuncupabantur. Prænomina igitur Amulius, Numitor, Romulus, Remus, Numa, Ancus, Tullus, Lucumo, quæ tamen poſterioribus temporibus omiſſa ſunt, puto, quia Regis prænomine in Rep. nominari, odioſum videretur. Quare, quod Feſtus litteris tradidit, facile verum exiſtimarim; a prænominibus duorum Regum Ramnes, & Titienſes eſſe dictos: cum & M. Varro modo Tatienſes, modo Titienſes appellet; crederem, & Luceres a prænomine Lucumone: niſi me illa ratio, quam, Plutarcho aſſentiens, proxime expoſui, commoueret. De tempore, quo ſunt inſtitutæ, vtrum Dionyſius vere ſcripſerit, dubitari poteſt, ait enim, ab ipſo ſtatim Vrbis initio fa-

Digitized by Google

ctas eſſe, cui ſententiæ ipſarum nomina repugnant; nam ſi Titienſes, & Luceres dictæ duæ ſunt: certe non Vrbis initio, ſed poſt receptos in Vrbem Sabinos, & Tuſcos, inſtitutas eſſe, conſtat, quod & Plutarchus aperte narrat. Quod ſi Dionyſium ab errore placet vindicare: tempora diſtinguemus, & diuiſum quidem in tres partes a Romulo populum ſtatim poſt Vrbem conditam fatebimur: ſed eas partes ante Sabinum bellum nomina ſumpſiſſe negabimus, idq; nec Dionyſium fortaſſe latuit: qui, cum de Tribuum diuiſione meminit, earum nomina non ponit: quaſi, cum inſtitutæ ſunt, nominatas continuo non eſſe ſignificet. Quod ſi cui veriſimilius videtur, eas partes eodem tempore & factas eſſe, & nominatas: huic ego quoque opponam, veriſimilius videri, Curias xxx. quæ de publicis rebus ſuffragium ferrent, ante receptos Sabinos, quam poſt, eſſe factas, alioqui nullam Romulus in Vrbe inſtituenda publici iuris adminiſtrandi rationem habuiſſet, quod ſi de Curijs concedimus: de Tribubus negari non poterit: nihil enim aliud Curiæ, quam diuiſæ Tribus, ſunt ſi ergo Curiæ ſimul, & Tribus, ab Vrbis initio fuerunt, vt & Dionyſius tradit, & ipſa ratio demonſtrat: nominari Tribus eodem tempore, quo factæ ſunt, non potuiſſe, manifeſtum eſt: cum non Vrbis initio Titienſis (vt Lucerum dubiam etymologiam omittam) nomen acceperit, ſed confecto Sabino bello, ab ipſo Sabinorum Rege Tito Tatio: quod inter omnes conſtat. Tueamur igitur Dionyſium, diſtinctione temporum; Plutarchum autem, qui poſt receptos Sabinos Tribus ait eſſe factas, opinione falli, eo minus miror, quod, eundem alijs in locis non ſatis certum eſſe antiquitatis auctorem, animaduerti.

Hac de trium Tribuum tempore dubitatione explicata, aut certe, vt ab alijs explicetur, plane demonſtrata, pergemus in re, & rurſus, tamquam ab alio principio ordientes, aggrediemur.

Tres

Digitized by Google

Tres Romanorum Reges populum vniuerſum diuerſis temporibus in partes diſtribuerunt; Romulus, Tarquinius Priſcus, Ser. Tullius: Romulus in tres, quas propterea Tribus nominauit, Ramnenſes, Titienſes, Luceres. Tarquinius, in ſex, quas vocauit primos, & ſecundos Ramnenſes, Titienſes, Luceres. Seruius, in triginta. De Romuli, & Seruij diuiſione, ſatis plane libri loquuntur. De Tarquinio, qui ſcripſerit, inuenio neminem, tantùm coniecturis ducor ad ſuſpicandum. Nam, cum Feſtus Pompeius ſex Veſtæ Sacerdotes ideo conſtitutas eſſe dicat, vt populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum, quia Ciuitas Romana in ſex eſſet diſtributa partes, in primos, ſecundoſq; Titienſes, Ramnes, Luceres, & cum in Dionyſio legam, Tarquinium ad quattuor Veſtales duas addidiſſe, vt omnino ſex eſſent, creſcentibus ſacrificijs pro Vrbe faciendis, quibus Veſtæ Sacerdotes intereſſe opus erat: ex Feſti, & Dionysij verbis elici videtur hoc poſſe; & in ſex Tribus Ciuitatem a Tarquinio diſtributam, trium veterum Tribuum nominibus non mutatis, & pro numero Tribuum ſex item Veſtales eſſe factas, quod eo magis exiſtimo, quia ſcriptum apud Liuium animaduerti, Tarquinium, cum Centuriarum numerum, quas Romulus ſcripſerat, augere vellet, vt in bellis ab equitatu eſſet firmior, de nominibus nihil mutaſſe, numero tantùm alterum adieciſſe, vt mille, & trecenti equites in tribus Centurijs eſſent; caſq. deinde, quia geminatæ ſint, ſex Centurias eſſe dictas. Eſt quidem Liuius in hac parte, dum ad Auguſti tempora feſtinat, paulo negligentior, nam ego ita ſtatuo, cum tres Centurias, ſingulas ex ſingulis Tribubus, Romulus ſcripſiſſet, Tarquinium primum Vrbem in ſex partes ita diſtribuiſſe, vt tres tamen veteri nomine Tribus appellarentur: deinde, ad Romuli exemplum, ex ſingulis partibus Centuriæ quoque geminarentur: quæ tamen non ſex, ſed, vt antea, tres Centuriæ di-

Digitized by Google

ctæ ſint: ſicuti & ſex Vrbis partes trium Tribuum nomine ſunt appellatæ, quod lib. X. Liuius oſtendit his verbis: Inter Augures conſtat, imparem numerum Augurum debere eſſe; vt tres antiquæ Tribus, Ramnenſes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque Augurem habeant; aut, ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero Sacerdotes multiplicent; ſicut multiplicati ſunt, cum ad quattuor adiecti quinque, vt terni in ſingulis eſſent, expleuerunt. Manifeſte veteres Tribus, non modo poſt Ser. Tulij diuiſionem, ſed etiam poſt triginta quinque Tribus, iam factas tres dumtaxat fuiſſe dicit, non quod vetus illa Romuli, aut Tarquinij, diuiſio perpetua fuerit: totam enim Seruius Rex mutauit, nouis Tribubus, nouo nomine conſtitutis, ſed quod eius tamen in augurum creatione habita perpetuo ratio ſit, veneratione quadam antiquitatis, & vetuſti in numero Augurum inſtituti: ſicuti & triginta curiarum numerus manſit, ad rationem trium veterum Tribuum; quas in denas Curias diſtributas eſſe a Romulo, iam diximus. Poſt Romuli in tres, & Tarquinij in ſex, partes diuiſionem, Ser. Tullius, aucta Ciuium multitudine, Vrbanam, & Agreſtem multitudinem ita diſtribuit, vt Vrbis incolæ in quattuor Tribubus eſſent; quas a partibus Vrbis, Exquilinam, Collinã, Palatinam, Suburanam, cognominauit; ſtatuitque, in vna quaque qui habitarent, & vt in ſua quiſque Tribu, ſiue in militiam, ſiue in tributum, nomen daret: Agreſtem autem multitudinem vtrum in Tribus viginti ſex, an in triginta & vnam, diuiſerit, Dionyſius lib. IV. non declarat, tantùm dicit, in hiſtoria Fabij Pictoris ſcriptum eſſe viginti ſex tribus ex agreſti populo factas eſſe vt omnino triginta fuerint: ſed Q. Vennonium & ipſum in ſua hiſtoria tradere, ad quattuor vrbanas tribus vnam & triginta agreſtes eſſe adiectas: vt expletus ſit numerus XXXV. qui auctus poſtea non ſit.

Digitized by Google

Ego ſequor Fabij potius, quam Vennonij teſtimonium & quattuor tribus ex Vrbe, viginti ſex e regione, factas eſſe puto, in quo Liuius etiam conſentit: qui libro 2. Tribus ait vnam & triginta Romæ factas eſſe, & libro VI. quattuor Tribus, quæ XXXV. numerum expleuere, additas eſſe narrat, Tromentinam, Sabatinam, Stellatinam, Arnienſem. Nec diſſentire videtur ipſe Dionyſius libro V. qui, Claudiã Tribũ Reip. temporibus adiectam eſse, teſtis eſt. Scribit enim ſic. Ἀνθ' ὧν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τε τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψε, καὶ τῆς πόλεως μοῖραν εἴασεν ὅσην ἐβούλετο, εἰς κατασκευὴν οἰκιῶν· χώραν τέ αὐτῷ προσέθηκεν ἐκ τῆς δημοσίας τὴν μεταξὺ Φιδήνης καὶ Πικεντίας, ὡς ἔχοι διανεῖμαι κλήρους ἅπασι τοῖς περὶ αὐτὸν, ἀφ' ὧν καὶ φυλή τις ἐγένετο σὺν χρόνῳ, Κλαυδία καλουμένη, καὶ μέχρις ἐμοῦ διέμενε τὸ αὐτὸ φυλάττουσα ὄνομα. Quod ipſum & in Liuio legimus libro II. Quo perſpicuum fit, triginta ſolùm fuiſſe Seruio regnante; deinde, additis quinque, Claudia, Tromentina, Sabatina, Stellatina, Arnienſi, XXXV. factas eſſe. Illud explicare non poſſum, cur in Marcij Coriolani iudicio XXI. tantùm Tribus affuiſſe Dionyſius libro VII. dicat: cum idem libro IV. vniuerſam Ciuium multitudinem in XXX. Tribus (vt minimam diuiſionem ponam) diſtributam eſſe dixerit, turpis hæc ſane eſſet inconſtantia, præſertim in re tanta. Sed librarij, qui librum deſcripſit, malo culpam eſſe, quam Dionysij ego enim, quo tempore Coriolanus eſt accuſatus, Tribus XXXI. fuiſſe puto, XXX. videlicet illas, in quas Vrbem, & Regionem, Seruius Rex diuiſit, & præterea Claudiam, quæ poſt eiectos Reges, P. Valerio Poplicola quartum T. Lucretio iterum, conſulibus addita eſt, non enim, cum Coriolanus damnatus eſt XXXV. Tribuum numerus erat abſolutus, cum Tromentina, Sabatina, Stellatina, Arnienſis, ad veteres Tribus adiectæ nondum eſſent: ſed addita iam Claudia, XXXI. erant. Quod autem infert idem Dionyſius, IX. Tribus abſoluiſſe Coriolanum;

quibus

quibus duæ ſi acceſſiſſent, omnino eſſet abſolutus: hanc ſupputationem cum mendoſo illo XXI. Tribuum numero conuenire, manifeſtum eſt, quæ ſi XXXI. fuerunt: ordinatum eſſe Coriolanum non a IX. ſed a XIV. Tribubus, neceſſe eſt: ad quas duæ ſi acceſſiſſent, abſolutus omnino reus eſſet, abſoluentium Tribuum numero condemnantium numerum vna Tribu ſuperante. Condemnatus autem eſt a Tribus tribubus abſoluentium Tribuum numerum ſuperantibus: quod etiam Plutarchus in eius vita ſcriptum reliquit. Quod ſiquis Dionyſij librum vacare mendo contenderit, ſolaſq; XXI. Tribus in eo iudicio ſuffragium tuliſſe dixerit, non quia plures Tribus Romæ tum non fuerint, ſed quia non vniuerſus populus, verum maior populi pars ad iudicium illud citata ſit, id eſt de XXXI. Tribubus (vt Fabij ſententiam ſequar) XXI. cum hoc non magnopere pugnabo, mirabor tamen hoc de genere iudicij, quod ita rarum fuit, vt exemplum ego quidem præterea nullum inuenerim, nullam omnino in eo loco neque ab ipſo Dionyſio, neque a Plutarcho, mentionem eſſe factam, nec ſatis æquo animo laturam fuiſſe eam populi partem crediderim, quæ iudicandi poteſtate priuaretur, præſertim in eo iudicio, in quo plebs, ira, & odio in Coriolanum accenſa, vlciſci acceptas iniurias magnopere vellet. Torquet me non leuiter & illud in eiuſdem Dionyſij hiſtoriarum libro VII. quod curiata comitia non diſtinguit a tributis, nam in iudicio Coriolani, de quo proxime mentionem fecimus, in quo Tribus ſuffragium tuliſſe, & ipſe, & Plutarchus tradunt; Curias tamen & Curiatam concionem nominat: credo, quod Curias nihil aliud eſſe, quam Tribus diuiſas, iudicaret: cum tres tribus in XXX. Curias Romulus ab initio diuiſiſſet; verum cum in abſolutione, & condemnatione reorum non Curiarum, ſed Tribuum numerum nominari videam; cumq; in eodem iudicio ſuffragium a Tribubus eſſe latum, idem

Diony-

Dionyſius, cum Plutarcho, dicat: quá ratione Curias admiſceat, non intelligo, aliud enim eſſe Populum curiatim aliud tributim, citare, tum ex Gellio, tum ex alijs notum eſt. Quod ſi Curias, & Tribus, eaſdem putauit eſſe: fœdus error: in quo tamen Feſtum Pompeium, bonum alioqui antiquitatis auctorem, ſocium videtur habuiſſe: qui xxx. Curijs, in quas Romulus populum diſtribuit, quinque poſtea additas eſſe teſtatur, non enim Curiæ, ſed Tribus xxxv. fuere. Curias vero numquam plures, quam xxx. fuiſſe, eo ſcilicet, qui a Romulo conſtitutus eſt; numero, cum vniuerſa multitudine in tres Tribus diuiſa, ſingulas Tribus in denas Curias diſtribuit; patet è Cicerone in Agraria II. & pro domo ſua. Aut igitur errauit Feſtus; quod equidem de homine Romano, eoq: antiquitatis perito, vix putarim; aut Paulus ille antiſtes, qui Feſti volumina decurtauit, locum ipſe per inſcitiam corrupit. Equidem nec Florum ſatis recte ſenſiſſe exiſtimauerim, cum in Epitome libri xix. duas Tribus, multis poſt exactos Reges annis, adiectas eſſe dixit, Velinam, & Eſquilinam, quod falſum eſſe; patet; quia Eſquilina ex quattuor Tribubus vna fuit, in quas Seruius Rex Vrbem diuiſerat; ſed Florus fortaſse excuſandus; qui de Hiſtoriæ veritate non iudicat, tantùm id agit, vt, quæ fuſius a Liuio dicta ſunt ſummatim collecta, facilius cognoſcantur. At Liuium, cui lex hiſtoriæ non permittit, vt a veritate diſcedat velim equidem a culpa vindicare: ſed, vnde poſſim, minime video, ſcribit enim libro vi. ſic: Tribus quattuor ex nouis ciuibus redditæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis, eæq. xxxv. numerum expleuere. Libro autem vii. duas Tribus ait additas eſſe, Pomptinam, & Publiliam, & duas libro ix. Ouſentinam, & Falerinam, duaſq: item libro X. Anienſem, & Terentinam: vt videatur a ſe ipſo diſſentire, nam ſi libro vi. abſolutus, expletuſq: eſt omnium Tribuum numerus, qui fit, vt aliæ in ſuper ad-

Digitized by Google

dantur? Aut igitur Liuius inconſtanter locutus, aut ſi talem virum omnino tueri placet, Additas, ſiue Adiectas, pro Auctas accipiamus. Quod ſi ille ita ſenſit: quam proprie ſit locutus, alij viderint.

Tres igitur (vt ea, quæ pluribus verbis iam expoſuimus, nunc paucis colligamus) ab initio fuere Tribus: quæ deinde a Ser. Tullio Rege xxx. factæ ſunt, Vrbanæ quattuor, Ruſticæ viginti ſex. Regibus eiectis, Conſulibus App. Claudio, P. Seruilio, vt ait Liuius lib. II. vna, & xxx. factæ, Claudia ad eas addita, quas, vt dixi, Seruius Rex inſtituerat. Poſtremo, quattuor adiectis, ad numerum xxxv. vt ait idem Liuius lib. VI. quo plures numquam fuere, peruenerunt. Sed oritur dubitatio. Cum nomina Tribuum, plura, quam xxxv. reperiantur, vtrum Tribus quoque plures, quam xxxv. fuerint. Ego de nominibus aſſentior: de numero id, quod dixi, confirmo, plures, quam xxxv. numquam fuiſſe; nam neque obſcurum eſt, poſtremis Reip. temporibus xxxv. tantùm Tribus Romæ fuiſſe, quæ ſtatuam equeſtrem inauratam L. Antonio, M. Antonij fratri, cum hac inſcriptione poſuerunt: vt ait Cicero Phil. lib. VI. QVINQVE ET TRIGINTA TRIBVS PATRONO POPVLI R. Et imperante Traiano, totidem fuiſſe, conſtat. quod indicat antiqua columna, quæ Romæ inter præclara antiquitatis monumenta viſitur: in qua inciſæ leguntur hæ litteræ.

IMP.

Digitized by Google

IMP. CAESARI
DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO
AVG. GERMANICO
DACICO PONTIFICI
MAXIMO. TRIBVNIC.
POT. VII. IMP. IIII. COS. V.
P. P.
TRIBVS. XXXV
QVOD. LIBERALITATE
OPTIMI. PRINCIPIS
COMMODA. EARVM. ETIAM.
LOCORVM. ADIECTIONE
AMPLIATA. SINT

Cum igitur & Reipublicæ, & Imperatorum tempora de xxxv. numero conſentiant; neque de veteribus, aut Latine quiſquam, aut Græce, contra ſcripſerit: ratione victi, xxxv. Tribus fuiſſe, concedamus, neceſſe eſt; nomina vero quibuſdam Tribubus eſſe immutata, ex quo numerus earum in dubium venit, facile poſſumus exiſtimare. Id autem Imperatorum ætate factum eſſe, crediderim. nam Camillæ, Horatiæ, Votiniæ, Cluentiæ, Cluuiæ, Dumiæ, Flauiæ, Iuliæ, Minuciæ, Papiæ, Ocriculanæ, Vlpiæ, quarum nullam in Rep. fuiſſe quiſquam ſcripſit, in antiquis lapidibus, Iuliæ etiam in Dione, mentionem inuenimus. Nec dubito, quin Iuliæ, Flauiæq; nomina ab adulatione in C. Iulium Cæſarem, & Flauium Veſpaſianum, deducta ſint, Scaptia Tribu, e qua fuit Cæſar, in Iuliam mutata: Suburana, e qua Veſpaſianus in Flauiam. ſimiliſque nobis ignota, ratio reliquis Tribubus mutandi nominis cauſam attulit; vt Vlpiæ, quam de Traiani nomine appellatam eſſe

non dubito: cuius antiquum nomen inuenire non licuit. Nec vero, xxxv. Tribuum antiqua nomina ſecernere a nouis, minimi negotij fuit: quod tamen conati aliquando ſumus: vtrum conſecuti, alij iudicabunt.

Earum nomina primi olim nos in Scholijs ad Epiſtolas Ciceronis ad Familiares ſcripſimus. Quæ ſi quis volet, inde petat.

Nunc, vnde nomen acceperint, exponamus. Dictæ ſunt aliæ a Familijs; vt Æmilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Papiria, Sergia, Poblilia, Pollia. Aliæ ab Vrbis partibus; vt Vrbanæ quattuor, Collina, Eſquilina, Palatina, Suburana, & vna Ruſtica, Terentina. Aliæ ab Vrbibus, quæ vel bello victæ, vel ex fœdere, aut amicitia, in Ciuitatem receptæ ſunt; vt a Cruſtumeria, Cluſtumina; a Pontia, Pomptina; a Curibus, Quirina; a Scaptia, Scaptia; a Falerijs, Falerina; a Velia, Velina; a Veijs, Veientina. Aliæ a Fluuijs; vt ab Aniene, Anienſis; ab Oufente, Oufentina; ab Arno, Arnienſis. Aliæ ab agris; vt a Stellate, Stellatina; a Pupino, Pupinia; (& ſi a Roma potius dictam Varro putat, quod eſſet ſub Roma) a campo Tromento, Tromentina; a Caſtro Mæcio, Mæcia; a Pago Lemonio, Lemonia; a Lacu Sabate, Sabatina. Galeria, & Voltinia, obſcuram nominis originem habent. Sane; cur Pediano venerit in mentem de nominibus Sabinarum plures Tribus eſſe factas exiſtimare, non equidem ſatis mirari poſſum: cum non modo Romulo regnante, ſed vſque ad Ser. Tullij Regis tempora tres tantùm Tribus Romæ fuiſſe, ſatis conſtet; qui ſi non Tribus, ſed Curias, quæ xxx. fuere, a Sabinis mulieribus denominatas diceret; propius ad veritatem accederet, cumq; Liuio, & Feſto Pompeio, conſentiret, quamquam nec Liuij hac in re, aut Feſti, omnino probatur auctoritas. quibus etſi, vt debeo, multum ſane tribuo; facit tamen Plutarchus, vt aſſenſum ſuſtineam: qui in Romulo contra Liuium, & alios, cum Liuio ſentientes, ita ſcribit: Ἑκάστη δὲ

φυλὴ

φυλὴ δέκα φρατρίας εἶχεν, ἃς ἔνιοι λέγουσιν ἐπωνύμους εἶναι ἐκείνων τῶν γυναικῶν. τοῦτο δὲ δοκεῖ ψεῦδος. πολλαὶ γὰρ ἔχουσιν ἀπὸ χωρίων τὰς προσηγορίας.

Satis igitur opinor de temporibus, deq. numero Tribuum demonſtratum eſt. De nominibus lectorem reijcimus ad Commentarium noſtrum in Epiſtolas ad Familiares. De locis ante omnia dicendum videbatur, ſi ordinis rationem paulo ſubtilius examinamus: ſed, quia planius quiddam ad intelligentiam eſſe duxi, viſum eſt, vt in hunc locum reſeruarem. Tribus primis Tribubus locum Romulus aſſignauit, & in Vrbe, vt eſſet vbi quiſque habitaret; & in agro, vt cultura victum quærerent. Locum in Vrbe omnibus in Palatio dedit, antequam cum Tatio Sabino Regnum communicaret. hunc enim Collem à principio Romulus vnum habuit, ſabinis receptis, ſuum cuique Tribui locum tradidit, Palatium Ramnenſibus, hoc eſt Romanis; Capitolium Titienſibus, hoc eſt Sabinis; Lucum Aſyli Luceribus, hoc eſt & Tuſcis, qui cum Lucumone venerant, & omnibus præterea, qui, domo profugi, cuiuſcumque criminis affines eſſent, ad Aſylum, vbi tutam ſedem Romulus fore promiſerat, diuerſis è regionibus confluebant. Et quamquam de hac vrbani ſpatij diſtributione nihil neque Dionyſius, neque Liuius, neque Varro, neque alij, quod ſcire potuerim, litteris tradiderunt: tamen veri mihi ſimile videtur, cum ager Romanus in tres partes diuiſus ſit, eandem Vrbis quoque diuiſionem eſſe factam. Nam, ſi ager, vt ſeparatim excolatur, tribus hominum generibus diuiditur, Romanis, Sabinis, Tuſcis, & aduenis; quod Varro planè ſignificat: cur non item Vrbs, vt ſeparatim habitetur, iiſdem hominum generibus trifariam diuidatur? Neque vero mihi obſtat illud, quod multitudinem hominum in tres Tribus à Romulo diſcretam Dionyſius ait, de Vrbe diuiſa verbum nullum facit. Iam enim de illa diuiſione, quam ante bellum Sabinum Romulus fecit, ſi-

gnifi-

gnificare Dionyſium oſtendimus; cum vnus Palatinus Collis habitabatur; Tribubus nondum neque generibus hominum, (ſoli enim adhuc erant ij, qui cum Romulo venerant) neque nomine, diſtinctis. Ego autem de tribus illis Tribubus intelligo, quæ receptis in Vrbem cum Tatio Rege Sabinis, cum Lucumone duce Tuſcis, e triplici hominum genere conſtabant; nam, niſi duas diuiſiones in tres partes à Romulo factas eſſe credamus, vnam ſine nomine, ante raptas Sabinas; alteram cum nomine, pace cum Sabinis facta; difficilem in nodum incidemus. Si enim vnam diuiſionem probabis; vtrum eam ante receptos Sabinos, an poſt, eſſe factam velis, interrogabo. ſi, Ante, dixeris: vnde Titienſis nomen? ſin, Poſt: controuerſia tibi erit non modo cum Dionyſio, qui Tribuum diuiſionem ante bellum Sabinum in ipſo Vrbis primordio conſtituit; verum etiam cum ipſa ratione, quæ apud me haud paulo plus, quam Dionyſius, habet ponderis. Cum enim Romulus, ſiue Numitoris Aui conſilio edoctus, ſiue ipſe ſublimi quadam, atque excellenti, mente præditus, optimis inſtitutis, ac legibus, Vrbem ſibi temperandam ſtatuiſſet; quod ſine certa ratione, & ordine, nihil ſatis eſſe firmum intelligeret: non vſque ad illud tempus, quo cum Sabinis Vrbem communicauit, partiri populum in Tribus, & Tribus in Curias; neglexiſſet, quarum ſuffragijs, & lege, eſſe rogatas, ipſo, vt opinor, Rege referente, & magiſtratus mandatos, & bella iuſſa, eſſent. Vna primo Vrbis anno facta; quod Dionyſius ſignificat, & ratio confirmat: Altera poſt Sabinum bellum; quod ipſa Tribuum nomina declarant. Quo poſito, ſequitur illud, Agrum quoque bis, ijſdem, quibus Vrbs, & Populus, temporibus, in partes eſſe diſtributum; non modo in tres pro numero Tribuum, ſed etiam in triginta pro numero Curiarum: vt, quemadmodum ſingulæ Tribus in denas Curias, ſic primo in tres partes ager, deinde ſingulæ partes in denas, diuiſæ ſint. Dionyſius

quidem,

Digitized by Google

quidem, triginta Curijs ſingulas agri partes eſſe diſtributas, aperte narrat: de tribus partibus mentionem nullam facit. At Varro Tribus nominat, de triginta nihil ſcribit. Ita, quod alter omittit, ab altero ſumimus: & ex vtroque perfectæ notitiæ ratio colligitur. Non enim in eo, quod omittunt, alter alteri repugnat: ſed Varro de triginta partibus nihil prodidit, vna generali diuiſione contentus; quandoquidem non de Curijs, ſed de Tribubus, in eo loco loquebatur: & Dionyſius trium agri partium diuiſionem tacuit; vel quod notius id eſſet, quam de triginta partibus; vel quod intelligeret, cum de triginta ſcripſiſſet, de tribus obſcurum eſſe non poſse; nam, ſicuti triginta Curiæ tres Tribus, vnde factæ ſunt, ſignificant: ſic triginta agri partes, triginta Curijs diſpertitæ, ſectionem trium partium, trium Tribuum numero reſpondentem, demonſtrant. Sed quæritur, cum tres agri partes, vna Ramnenſibus Colonis, altera Titienſibus, tertia Luceribus, factæ ſint; tres item Vrbis, vt ſinguli ſeparatim habitarent, Ramnenſes in Palatio, Ticienſes in Capitolio, Tuſci in Aſyli luco; vtrum in ijs ipſis locis, vbi habitant, ſuas quoque denas Curias, ſinguli ſacrorum cauſa, haberent. Quod conſentaneum videtur. Cur enim in aliena loca, vbi diuinam rem facere vellent, diſtraherentur? verum, quod veriſimile videtur, falſum eſse, Cornelij Taciti teſtimonio cognoſcitur. ijs enim Curias non denas tribus in locis, ſed omnes triginta in Palatio, vbi ſolis Romanis domicilium fuit, fuiſſe demonſtrat. Quæ res opinionem meam, quam proximè expoſui de duabus diuiſionibus, confirmat. Nam, cum in Palatio Romulus triginta Sacella, quas curias nominauit, ab Vrbis initio feciſset; quo Populus in triginta partes diuiſus, ſuam quiſque ad Curiam, rei diuinæ cauſa, coiret: mox, receptis Sabinis, & Tuſcis, ratio poſtulabat, vt denæ cuique Populo ſeparatim Curiæ darentur, ſed religione deterritus, quia loca ſacra profana rurſus facere non licet,

Cu-

Digitized by Google

Curiarum partem de Palatio tollere, alio ve transferre, auſus non eſt: ſed omnes eodem in loco perpetuo manere, eoq. Ciues vniuerſos, cuiuſcumque Tribus eſſent, ad diuinum cultum conuenire, voluit. Quod ſi poſt Sabinum bellum Curias feciſſet: non in eo Romanorum magis, quam Sabinorum, & Tuſcorum rationem habuiſſet: neque omnes in Palatio, ſed denas ſingulis in locis, vbi ſingulæ Tribus habitabant, condidiſſet. Quod quia factum non eſſe, ex Tacito conſtat: ſequitur, vt ante bellum Sabinum Curiæ fuerint: & ſi Curiæ, Tribus quoque. Ergo & de prima diuiſione Dionyſius vere ſcripſit, & de ſecunda, ne nos falſo ſuſpicari videamur, ipſum Titienſis maximè Tribus nomen facit: quod à Sabinorum Rege declinatum eſſe inter omnes conſtat. Addam & illud, ipſum quoque Dionyſium de ſecunda diuiſione non diſſentire: nam, cum libro II. tres Tribus eſſe factas dicat; & de diuiſione, quæ Sabinum bellum anteceſſit, manifeſte ſentiat: idem libro IV. quattuor Ser. Tulij Regis Vrbanas Tribus certa Vrbis fuiſſe ſpatia, tres vero illas veteres a generibus eſſe deductas tradit. Quod ego de tribus hominum generibus, Romanis, Sabinis, Tuſcis, dictum eſſe, non dubito. neque vero loquitur pugnantia, ſed, ſicuti priorem legem abrogat poſterior, ſic diuiſionem diuiſio tollit: propterea, non de prima diuiſione, cuius nulla ratio habebatur, (ſi tamen, vt proximè oſtendi, Curias excipias) ſed de ſecunda, quæ primam ſuſtulit, ipſaq. vſque ad Seruium Regem permanſit, videtur exiſtimare.

Hæc ego de tribus antiquis Tribubus, vt mea ſententia ferebat, ita expoſui: ſed, quia, vt aiebat Democritus, Veritas in fundo latet; diuerſa ſentientes libenter audiam, & melioribus acquiſcam.

Poſt Romulum, ſextus Romanorum Rex Ser. Tullius noua ratione Vrbem diuiſit. non enim, vt Romulus, hominum genera ſegregauit, ne quid in vna Ciuitate diſcri-

minis

Digitized by Google

minis inter Ciues eſſe videretur: ſed cum Vrbi Viminalem Collem, & Eſquilias, addidiſſet, quatuor totius Vrbani ſpatij partes fecit, vocauitque a locorum nominibus, primam Suburanam; ſecundam Eſquilinam, tertiam Collinam: quartam Palatinam. Ab hoc ordine diſſentit Dionyſius: qui, opinor, ex partium vetuſtate, primam omnium Palatinam facit, alteram Suburanam, tertiam Collinam, quartam Eſquilinam. Sed ego in Romanis rebus, & Romanum hominem, & omnium diligentiſſimum, M. Varronem, ſequi malo, quam Dionyſium; qui fuit ille quidem, vt homo Græcus, ſatis diligens: ſed quo modo ego exiſtimo, nihil ad Varronem: ad quem vnum, quaſi certiſſimum ad Oraculum, Ciceronem ipſum, Ser. Sulpicium, alios, ſi qui de antiquitate quid ambigerent, veritatis cognoſcendæ cauſa, conueniſse, proditum eſt. Nec ab eo in quatuor partium Vrbanarum diſpoſitione diſsentire Cicero videtur in agraria II. Nam, cum omnium planè Tribuum homines ſignificare velit, ait: A Suburana vſque ad Arnienſem nomina veſtra proponat. hoc eſt: Si quis vos omnes numerare velit, & à primæ Tribus Vrbanæ Tribulibus ad vltimæ Ruſticæ Tribules nominando perueniet; ita multos eſſe cognoſcet, vt non modo dena iugera ſingulis diſtribui, ſed ne conſtipari quidem tantùm hominum numerum poſſe in agrum Campanum intelligat. Hæc eſt, vt opinor, vera, & germana eius loci ſententia: quam adhuc mendum obſcurauit. Habent enim omnes impreſſi libri, Ab Ocriculana, non, vt ex antiquis libris corrigendum eſt, A Suburana, quam correctionem, vel ipſa ſententia, ſi quis mentem Ciceronis accurate perpendat, potuit indicare. Eſſe autem primam Vrbanam Tribum Suburanam, ex Varrone conſtat; eſſe vltimam Ruſticam Arnienſem, ex Liuio cognoſcitur: qui quatuor Tribuum, quæ poſtremo Ruſticis adſcriptæ ſunt, & numerum XXXV. expleuerunt, hanc libro VI. vltimam nominat. Re-

deo ad Seruium. Diuiſa Vrbe, Agrum quoque diuiſit. Vrbis partes appellauit Vrbanas, quod omnes in Vrbe; Agri, Ruſticas, a Rure, omnes autem, etſi plures quam tres eſſent, vetere tamen nomine, Tribus dixit. In Vrbana conſcripſit eos, qui rura non haberent, & prætera libertinos omnes: in ruſtica eos, qui rura haberent, ſi modo eſſent ingenui; nam ſi libertino rus eſſet, is perinde, ac ſi agri nihil poſſideret, in Vrbana Tribu cenſebatur, vt maior naturæ, quam fortunæ ratio duceretur, quod ad Vrbis dignitatem pertinere videbatur. Ob has cauſas Vrbanæ Tribus ſemper ignobiliores Ruſticis habitæ ſunt, & e Ruſtica in Vrbanam transferri, erat ignominiæ. Ruſticæ in agro Romano omnes erant, vnicuique Tribui regione diuiſa, homines ipſi, etſi Ruſticis in Tribubus cenſerentur, tamen, vtrobique mallent, vel in Vrbe, vel in agro habitabant, ſuffragium enim in Tribu Ruſtica non habitatio, ſed poſſeſſio dabat, quod ſi quis, exempli gratia, de Romilia Tribu fundum ſuum cum alio, qui in Sergia Tribu cenſeretur, permutaſſet: poſſeſionum permutationem Tribuũ permutatio nõ ſequebatur; ſed, qua in Tribu antea cenſi fuerant, in eadem permanebant, neque vero, ſi quis ex aliquo opido, extra Romani agri terminos conſtituto, Romæ in aliqua Tribu ſuffragium ferebat, ad aliud vſque opidum, in quo domicilium habebat, Tribum pertinuiſſe, credendum eſt. Romanus enim ager, in ſex & viginti partes a Seruio Rege diuiſus, ſex & viginti Tribubus diſtributus eſt. Poſtea, cum Ciuitas annuo Conſulum imperio regeretur, quinque Tribubus Ruſticis adiectis, agri terminos, vt hæ quoque Tribus ſuas regiones haberent, paulum propagatos exiſtimo, harum omnium, quæ xxxi. fuerunt, (de Ruſticis loquor) aucti quidem Tribules numero ſunt, iure ſuffragij multis opidis, ac Municipijs, conceſſo, vt Tuſculanis in Popillia Tribu; Arpinatibus, in Cornelia, Formianis, & Fundanis, in Aemilia: Ager tamen

men ipſe, poſt expletas v. & xxx. Tribus auctus numquam eſt, ſed ijſdem, quibus olim fuerat, finibus manſit, non enim aut Arpinum, aut Tuſculum, in Agro Romano dicebantur eſſe, ſed ſuum agrum, ſuoſq; terminos habebant, cum tamen eſſent in ditione Populi Romani. Atque hoc in loco mihi venit in mentem ita cogitare. Homo Arpinas in agro Romano ius non habet: idcirco ne Tribu Cornelia, quæ Ruſtica eſt, extrudatur, & in aliqua Vrbana adſcribatur? quando quidem Ruſticas Tribus eorum fuiſſe, qui rura haberent, ſupradictum eſt. Diſtinguo vt dubitantibus hic omnino ſcrupulus eximatur, & aliam rationem fuiſſe dico eorum, qui domicilium Romæ haberent, aliam eorum, qui e Municipijs ad Comitia venirent. Qui Romæ domicilium habebant, in his, vtrum rura poſſiderent, nec ne, ſpectabatur: & in Ruſtica Tribu, qui rus haberet, qui non haberet, in Vrbana cenſebatur, hi & Ciues Romani erant, & vere dicebantur; nam, qui Romæ domicilium habebat, hic non modo ſuffragium ferebat, verum etiam & in Tribu cenſebatur, & Romanis legibus viuebat. Municipiorum diſſimilis erat cauſa. Ferebant enim ſuffragia, in Tribu tamen non cenſebantur, neque Romanis legibus, ſed ſuis vtebantur. Itaque, ſiue aliquis e Municipio rus in agro Romano haberet, ſiue non haberet, is ſi Romæ non habitaret, & in ſuo Municipio patrijs legibus viueret, in ea Tribu ſuffragium ferebat, in qua totum Municipium a principio Populi iuſſu ſuffragij lationem habuerat. Eademq. fuit Coloniarum condicio, nam cum extra Romanum Agrum rura poſſiderent, tamen, ſiquis ex aliqua Colonia Romam veniret, ferre ſuffragium poterat in ea Tribu, in qua & ipſe, antequam in Coloniam emitteretur, & maiores ſui ſuffragium tulerant. Nam, ſi Municipibus hoc licuit, hoc inquã, vt in Ruſtica Tribu ſuffragium ferrent, etiam ſi nullam agri Romani partem tenerent: licuiſſe autem Tuſculanorum, Arpinatum, For-

Digitized by Google

mianorum, & Fundanorum, exemplo iam oſtendimus: cur non Colonis idem liceat? cum præſertim eo melior Colonorum eſſe debeat condicio, quam municipum: quia Municipes, cum ſuffragij iure fruantur, Romanis tamen legibus non vtuntur: Coloni autem, cum, & ipſi ſuffragij ius habeant, in eo tamen Municipibus nobiliores videntur quia Romanis legibus viuunt: ſicuti & Colonis in eo Ciues Romani præſtant, quia cenſentur in ſua quiſque Tribu. Vnā enim quaſi partē Vrbis Romæ Municipes habent quia ſuffragium ferunt; duas Coloni, quia & ſuffragium ferunt, & Romanis legibus vtuntur, tres Ciues, quia non modo ſuffragium ferunt, Romanaſq. leges ſeruant, in quo Municipibus ſuperiores, Colonis pares ſunt, verum etiam in Tribubus cenſentur, non enim, vt quicumque cenſentur, is & ſuffragium fert, ſic quicumque ſuffragium fert, is eadem ratione cenſetur. Cenſentur, & ſuffragium ferunt omnes, qui Romæ domicilium habent, ſuffragium ferunt, nec tamen cenſentur, Municipes, niſi ſi domicilium in Vrbe habeant, vt Cato ille Maior, & Cicero noſter: quorum alter, cum natus eſſet Tuſculi, alter Arpini, quia tamen habitabant Romæ, in ea ipſa Tribu, vt opinor, cenſebantur, in qua Municipes eorum, Tuſculani, & Arpinates ſuffragium ferebant, hoc eſt, Cato in Popillia, Cicero in Cornelia, illam enim Tuſculanorum fuiſſe Tribum, didicimus a Valerio Maximo: hanc Arpinatum, a Liuio. Neque vero Ciuem eſſe, & ius Ciuitatis habere, idem eſt. Nam Municipes ius Ciuitatis habent, Ciues tamen vere non ſunt: cum omnes Ciues, vt dixi, & ſuffragij lationem habeant, & ea, quæ Romæ legibus ſancita ſunt, obſeruent, & in Tribu cenſeantur: Municipes autem ſuffragij quidem ferendi ius habeant, veruntamen neque cenſeantur, neque Romanis legibus pareant, quamquam ne hoc ipſum quidem, vt ſuffragium ferrent, commune omnium Municipiorum fuit, quibuſdam enim Muni-

Digitized by Google

nicipijs ius Ciuitatis ſine ſuffragio fuiſſe, legimus, vt Cæritibus pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque, & Formianos, Fundanos, Arpinates, ſcribit Liuius primo Ciuitatem habuiſſe ſine ſuffragio; deinde M. Valerium, Tapponem, Tribunum plebis, rogationem promulgaſſe, & pertuliſſe, vt ijs ſuffragij latio eſſet, ſuffragiumq; poſtea tuliſſe Formianos, & Fundanos, in Aemiliam Tribum, Arpinates, in Corneliam? Colonijs vero numquam ferendi ſuffragij ius non fuit, non enim extrinſecus in Ciuitatem veniebant, vt Municipia, ſed e Ciuitate ipſa quaſi propagatæ, iura, inſtitutaq. Populi Rom. omnia ſeruabant: cum Municipia honorum quidem, & munerum, cum Populo Rom. partem capere poſſent, interea tamen ſuo iure, ſuiſq. legibus vterentur: quare non quicumque ius habuit Ciuitatis, pari condicione cum ijs fuiſſe, qui Ciues Romani erant, exiſtimandus. Præſtant igitur Municipibus Coloni, Colonis Ciues, Ciuibus ipſis Ciues, hoc eſt, ijs qui Vrbanam Tribum habebant, ij qui in Ruſtica cenſebantur. Ecce alia de Tribubus dubitatio. Ciuis ingenuus, quia rus non habet, in Vrbana Tribu cenſetur, mutat fortunam: diteſcit, vel mercatura, vel bello, vel etiam, quia non a rebus humanis excluditur caſus inuento theſauro, quid hoc homine faciemus? in vetere Tribu, hoc eſt in Vrbana, an quia rus habere cœpit, in Ruſtica, cenſebitur? in Ruſtica, vt opinor, nam ſi vt in Vrbana cenſeretur, quod ignominioſum fuit, cauſam habuit egeſtatem: cur ſublata cauſa, permanet ignominia? ſuadet ratio, vt hunc mutaſſe Tribum, & ex Vrbana in Ruſticam tranſiſſe, exiſtimemus, at in quam Ruſticam? vel in eam, in qua Maiores illius cenſi fuerant, ſi modo rus vmquam habuerant, vel in eam, cuius in agro rus emiſſet, vel vbi Cenſori, qui cenſum haberet, videretur, de Ciuibus ingenuis ita ſentio, de Libertinis, vt iam dixi, aliter exiſtimo, nam donec eſſent Libertini, hoc eſt donec Patrem,

Au-

Digitized by Google

Auumq. Liberos citare non poſſent, ſiue aliquam Agri Romani partem haberent, ſiue nullam, in Vrbana Tribu cenſebantur, cum vero Libertini eſſe deſierant; tum, ſi rus haberent, non dubito, quin eorum cenſus eſſet in ea Tribu, in qua patroni eorum cenſi fuerant; ſi non haberent, in Vrbana, ſicut antea: vt in ea, non tamquam Libertini, ſed tamquam inopes ingenui permanerent, quod ſi maiores eorum non a viro, ſed a fœmina libertatem acceperant quod ſæpe contigit: cum fœminæ Tribum non haberent; veriſimile mihi ſit, eos pari cum ingenuis Ciuibus condicione fuiſſe, hoc eſt Tribum habuiſſe Ruſticam, vel ratione loci, vbi emiſſent, vel arbitratu Cenſoris eius, cui Ciuitatem, vt cenſeret, ſorte contigiſſet. Ex his xxxv. Tribubus aliquam, quicumque Ciuis Romanus erat, cuiuſcumque eſſet ordinis, obtinebat, in eaq; quincto quoque anno a Cenſore cenſebatur: niſi ſi quis ita turpiter vixiſſet, vt nota dignus videretur: hunc enim, ſi Senator erat, e Senatu Cenſor eijciebat; ſi Eques, equo publico priuabat, ſi plebeius, vel Tribu mouebat, hoc eſt, e Ruſtica nobili in aliam Ruſticam, minus nobilem, aut e Ruſtica in Vrbanam referebat; quod erat ignominiæ, vel ærarium faciebat; hoc eſt omnium in Rep. munerum, atque honorum, expertem iubebat eſſe; cum hoc tantùm ei relinqueret, vt æs pro ſuo capite tributi nomine conferret. Habebant igitur, qui ærarij fiebant, id quod erat odioſum, & graue, vt tributum, æque, atque alij Ciues, penderent: quod autem iucundum, & honorificum, vt honores eos, quorum Ciues reliqui participes erant, capere poſſent, eo carebant, quo in ſtatu quia Cærites a principio fuerant; quibus Ciuitatem ſine ſuffragio datam eſſe, paulo ante diximus: propterea, qui ærarij fiebant, in Cæritum tabulas referebantur. Animaduerti etiam, non vna illa Senatores ignominia notatos, vt Senatu eijcerentur, ſed interdum, ſi ſimul equeſtri loco eſſent, equo publico priuatos,

atque

Digitized by Google

atque etiam ærarios eſſe factos. Quo de genere exemplum habemus apud Liuium, nam lib. IV. ita ſcriptum reliquit: Mamercum Aemilium, quod in Dictatura Cenſuræ tempus, lege lata, minuiſſet, a Cenſoribus, Furio, & Geganio Tribu motum, octiplicatoq. cenſu ærarium eiſe factum: lib. autem XXIX. Salinatorem, & Neronem Cenſores alterum alteri publicum equum ademiſſe, viciſſimq. ſe ærarios feciſſe; ſubſcripta de more cauſa, cur id vterque cenſeret. Nec dubium eſt, & Mamercum, & quos nominaui, Cenſores ordinis ſenatorij fuiſſe. Mutandæ vero Tribus duæ cauſæ erant, altera cum ignominia; altera cum honore: cum ignominia, vt in ijs, quos, vt dixi ob vitæ flagitia, Cenſores notabant; com honore, vt ſiquis alterum certis quibuſdam criminibus accuſaſſet, & condemnaſſet. Tribum enim damnati, ſi ea nobilior eſſet, quam ſua, conſequebatur accuſator. Neque vero vnum hoc optabile erat ex Vrbana Tribu in Ruſticam tranſire; quia Ruſticæ Vrbanis honore præſtarent; ſed illud etiam, Ruſticam cum Ruſtica permutare; quod inter has ipſas in nobilitate diſſimile quiddam eſſe videbatur: credo propter eorum, qui ſuffragia ferrent, vel frequentiam, vel dignitatem, cuius rei coniecturam facio, e Ciceronis verbis, in Oratione pro Balbo. Ait enim, Balbo, quod in Cruſtuminam Tribum perueniſſet, obiectum eſſe: idq. illi præmium lege de ambitu datum eſſe, defendit. Ex quo damnatum eſſe aliquem crimine ambitus, accuſante Cornelio ſatis plane ſignificat, neceſſe igitur eſt, vt ſi Cruſtuminam in Tribum legis beneficio peruenit Balbus, antea videlicet in aliqua Tribu, vel Vrbana, vel Ruſtica fuerit. In Vrbana eſſe non potuit; quia nemo niſi, qui aut Libertinus erat, aut rus non habebat, in Vrbana Tribu cenſebatur. Quo in genere, certe non eſt, vt Balbum numeremus: qui neque Libertinus fuit; quem, antea quam Ciuitate Romana donaretur, Ciuem Gaditanum fuiſſe, conſtat: & ab egeſtate tan-

Digitized by Google

tantùm abfuit, vt etiam diuitijs, vſque ad inuidiam, abundauerit. Fuit igitur in Tribu Ruſtica, e qua cum in aliam Ruſticam tranſierit: (erat enim Ruſtica Cruſtumina) ſequitur, vt ea, quam omiſit, Cruſtuminæ, quam appetijt, de dignitate conceſſerit. Mutabant igitur Tribum & volentes, & inuiti: volentes, qui legis præmio ex aliqua accuſatione nobilem conſequebantur: inuiti, qui ob aliquod inſigne vitium, Cenſoria pœna in ignobilem trudebantur, qui vero antea in Tribu aliqua Vrbana ſuffragium tulerant, hos cum a Cenſore notarentur, ærarios puto omnes eſſe factos, cum enim ad ignobiliores Tribus deſcendere non poſſent; reſtabat, vt eam ipſam; quam habebant, amitterent, nullamq. in vlla Tribu ferendi ſuffragij facultatem haberent, qua condicione qui erant, Aerarij dicebantur. Quod ſi quis putat, Aerarium fieri, & Tribu moueri, idem eſſe: quoſdam enim ita ſentire, in ſermone ſenſi: hic non dubito, quin opinione fallatur. Primum, locum habeo Ciceronis, meæ ſententiæ quaſi ſubſcribentem, in Oratione pro Cluentio, his verbis: Ipſi inter ſe Cenſores ſua iudicia tanti eſſe arbitrantur, vt alter alterius iudicium non modo repræhendat, ſed etiam reſcindat vt alter de Senatu mouere velit, alter retineat, & ordine ampliſſimo digniſſimum iudicet, vt alter in ærarios referri aut Tribu moueri, iubeat, alter vetet. Manifeſte ab Aerarijs Tribu motos diſtinxit. Deinde Moueri Tribu, idem eſſe, quod Mutare Tribum, Liuius lib. XLV. declarat. Ait enim ſic: Negabat Claudius ſuffragij lationem, iniuſſu Populi, Cenſorem cuiquam homini, ne dum ordini vniuerſo adimere poſſe. Neque enim, ſi Tribu mouere poſſet, quod ſit nihil aliud, quam mutare iubere Tribum, ideo omnibus v. & xxx. Tribubus emouere poſſe, ideſt Ciuitatem, libertatemque eripere, non vbi cenſeatur finire, ſed cenſu excludere. Poterant igitur ij, qui neque Senatores neque Equites, eſſent Tribu moueri, nec tamen in Aera-

rios

rios referri, poterant rurſus in Aerarios referri, tum ſcilicet, cum vel in Vrbana Tribu ſuffragium ferre ſoliti eſſent vnde ad ignobiliorem Tribum tranſitus non dabatur; vel a ſuperiore vita inuidioſi, ac turpes, vſque adeo eſſent, vt non a Tribu in Tribum transferendi, ſed omni plane Tribu excludendi, viderentur. Patere iam exiſtimo, & quibus temporibus conſtitutæ Tribus ſint, & quo numero & quibus nominibus, & quibus in locis. Quiddam etiam ad earum diſtinctionem, de nobilitate diximus: eandemq; non fuiſſe dignitatem non modo omnium, ſed nec Ruſticarum ipſarum inter ipſas, demonſtrauimus. Vnum illud addam, pari condicione aliquando Ruſticas, & Vrbanas, fuiſſe, tum ſcilicet, cum Libertini homines, quos Seruius Rex ſerua natus, publicæ rei participes eſſe voluerat, & in quatuor Vrbanas Tribus digeſſerat, multos poſt annos contra vetus inſtitutum a Cenſore Ap. Claudio Cæco Ruſticis omnibus Tribubus admiſſi ſunt. Quo factum eſt, vt in duas partes Ciuitas diſceſſerit: cum aliud integer Populus, fautor, & cultor bonorum, (recitabo enim ipſa Liuij verba) aliud forenſis factio teneret: donec Q. Fabius Rullianus, & P. Decius Cenſores facti ſunt: & Fabius ſimul concordiæ cauſa, ſimul ne humilimorum in manu Comitia eſſent, omnem forenſem turbam, hoc eſt, Libertos, & Libertinos, excretam in quatuor Vrbanas Tribus coniecit: adeoq; eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victorijs non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. Aliquot deinde poſt annos, cum Ruſticas Tribus rurſus occupaſſent, a Ti. Sempronio Graccho Cenſore, Tiberij, Caijque Patre, in quatuor Vrbanas eſſe redactos, legimus in Plinio Nouocomenſi. Quod & Cicero lib. I. de Oratore narrat. Tiberius, inquit, Sempronius homo prudens, & grauis, haud quaquam eloquens, & ſæpe alias, & maxime Cenſor, ſaluti Reipublicæ fuit, atque is non accurata quadam orationis

Digitized by Google

copia, ſed nutu, atque verbo, Libertinos in Vrbanas Tribus tranſtulit, quod niſi feciſſet, Remp. quam nunc vix tenemus, iamdiu nullam haberemus. Ipſius autem Ciceronis ætate eandem ordinum, & Comitiorum, permiſtionem a duobus Tribunis pl. eſſe tentatam, primum a P. Sulpicio, deinde a Cn. Manilio, tradit Pedianus in Cornelianæ, & Milonianæ, commentarijs. Idemq. mox a P. Clodio cogitatum, ſignificant illa verba in oratione pro Milone: Incidebantur iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent. Quem locum ſic interpretatur Pedianus: Fuit inter leges P. Clodij, quas ferre propoſuerat, ea quoque, vt Libertini, qui non plus, quam in Vrbanis Tribubus; ſuffragium ferebant, poſſent in Ruſticis quoque, quæ propriæ ingenuorum ſunt, ferre. Hactenus de Tribubus.

De Curijs.

DE Curijs autem minus multa. Iam enim, ex Romuli diuiſione xxx. fuiſſe diximus: cum ille Populum vniuerſum in tres Tribus, & ſingulas Tribus in denas Curias, diſtribuit, neque poſtea pro numero Tribuum, quæ xxxv. factæ ſunt, multiplicatas inuenio. Atque etiam, vt in vetere numero permanſiſſe, hoc eſt numquam plus, quam xxx. fuiſſe, exiſtimem, adducor his Ciceronis verbis quæ ſunt Oratione II. in Rullum. Sunt igitur Decem viri neque veris Comitijs, hoc eſt Populi ſuffragijs, neque illis ad ſpeciem, atque vſurpationem vetuſtatis per xxx. Lictores auſpiciorum cauſa adumbratis conſtituti: Nam xxx. Lictores intelligit, qui Comitijs Curiatis, vt Curias xxx. referrent, apparebant. Quo de numero & in Oratione pro domo ſua aperte ſcriptum legimus. Quare, cum de xxx. Curijs conſtet; locum Sex. Pompeij, vbi de Curijs xxxv. ſcribit, de quo ſupra locuti

ſumus,

Digitized by Google

ſumus, mendoſum eſſe, neceſſe erit: non quod ipſum Pompeium erraſſe dicam: quem etiam in aliorum erratis animaduertendis diligentem video fuiſſe: ſed fuit, vt indicat Epiſtola quædam, Paulus neſcio quis, qui illius ſcripta mutilauit: qui quam male & de ipſo Pompeio, & de nobis, meritus ſit, ſignificauit Pater meus in Epiſtola illa, quæ ante Pompeij libros impreſſa legitur: in qua vir probus, & religioſus abſtinere minime potuit, quin ipſum in mutilatorē, & huiuſmodi homines, antiquitatis inimicos grauiſſima, & tamen iuſtiſſima maledicta conijceret. Curias duorum generum ponit M. Varro; nam, & vbi curarent Sacerdotes res diuinas, Curiæ veteres dicebantur; & vbi Senatus humanas, vt Curia Hoſtilia; quam primus ædificauit Hoſtilius Rex ſub Veteribus. Nobis autem, non de his, in quibus Senatus habebatur, ſermo eſt, ſed de illis, quæ Sacrarum rerum cauſa ſunt inſtitutæ, vt in ſua quiſque Curia ſacra publica faceret, feriaſq. obſeruaret: quas in Palatino Colle fuiſſe, Tacitus ſignificat. Vnde nomen acceperint, non ſatis mihi conſtat: & inter ſcriptores controuerſia eſt; cum Liuius, & Feſtus, a nominibus Sabinarum mulierum, quibus deprecantibus, inter Sabinos, & Romanos, ictum fœdus eſt, appellatas dicant. Plutarchus autem hanc opinionem, vt inanem, & falſam, reijciat.

De Centurijs.

CEnturiæ ſuperſunt. Quarum duplex eſt conſideratio; nam & Centuriæ tres Equitum ab initio fuere, quas Romulus inſtituit, Priſcus Tarquinius geminauit, trium tamen vetere numero ſeruato: & Centuriæ CXXCIII. quas deinde Ser. Tullius, inducto cenſu fecit. De vtriſque igitur ſeparatim agemus. Tres Centurias Equitum, militiæ cauſa, Romulus fecit; vt pedeſtrem exercitum

equeſtri robore firmaret: has, de nominibus Tribuum, Ramnenſes, Titienſes, Luceres, vocauit. Nec dubito, quin ab initio ſingulis in Centurijs centeni tantùm equites fuerint: vt ipſum Centuriæ nomen ſignificat ſed aucto Ciuium numero, auctus ſimul eſt eorum numerus, qui equo militarent: quos in Centurias receptos eſſe, ne cum peditibus equites admiſcerentur, certum eſt, inde factum, vt trium dumtaxat Centuriarum numerus maneret, cum tamen equites, vt in Dionyſio legimus, quo tempore Romulus e vita exceſſit, haud fere pauciores, quam mille, fuerit: qui, cùm Vrbs condita eſt, nec trecenti fuerant. Id probatur & Liuij teſtimonio: qui, Tarquinij Priſci ætate, tres dumtaxat Centurias nominat, eas ſcilicet, quas Romulus inſtituit; & tamen in ijs Centurijs mille equitum ſignificat. Cuius verba, quia non ſatis apertam ſententiam habent, explanare, non alienum eſt. Sunt autem hæc lib. I. Neque tum Tarquinius de equitum Centurijs quidquam mutauit: numero tantùm alterum adiecit: vt mille, & trecenti equites in tribus Centurijs eſſent. Nihil mutauit, inquit quia cum ad eas, quas Romulus ſcripſerat, alias addere Centurias conſtituiſſet, eaſq. ſuo inſignes nomine relinquere, vt ipſe Liuius paulo ante poſuit: miraculo cotis, ab Attio Augure diſciſſæ, commotus, neque numerum Centuriarum auxit, cum tamen equites adderet, neque nomina mutauit: ſed omnium equitum tres dumtaxat Centurias, eaſq; ijſdem, quibus antea, nominibus eſſe voluit: vt Ramnenſes, Titienſes, Luceres, perpetuo vocarentur. Cum vero dixit Liuius, Numero tantùm alterum adiecit, quid ſignificat? non ad tres Romuli Centurias tres item a Tarquinio eſſe adiectas, ſed ad trecentos trium veterum Centuriarum equites totidem eſſe additos, reſpexit enim non ad Centuriarum, ſed ad equitum, numerum; quod

indi-

Digitized by Google

indicant proxima illa verba: Vt mille & trecenti equites in tribus Centurijs eſſent. At, ſi ad trecentos trium veterum Centuriarum equites item trecentos addidit Tarquinius: cur non dixit Liuius, Vt ſexcenti equites in tribus Cẽturijs eſſent? quo modo, cum ad trecentos trecenti addantur, fiunt mille trecenti? quia numerum quidem equitum duplicauit Tarquinius, cum reſpiceret non ad omnes equites, qui tum in Centurijs militabant, qui mille erant, ſed ad trecentos illos, quos primum in tres Centurias Romulus ſcripſit: verum, cum in tribus veteribus Centurijs auctus iam ita numerus equitum eſſet, vt omnino mille eſſent, trecentis a Tarquinio adiectis facti ſunt mille trecenti: cum tamen Centuriæ non plures, quam tres, fuerint, quas ætate ſua Liuius ſex appellatas eſſe, ſignificat, his verbis: Quas nunc, quia geminatæ ſunt, ſex vocant Centurias. Quod ego ita interpretor: non, cum Liuius Romanam hiſtoriam ſcripſit, habitam eſſe rationem vllam veterum Romuli, aut Tarquinij Centuriarum: tunc enim equites multis partibus plures ad bellum exibant, & poſt Tarquinium Seruius Rex, Populo in claſſes deſcripto, vniuerſam veteris militiæ rationem mutauit. Vt abſurdum ſit credere, ſex Centurias, ſeruato Romuli, & Tarquinij inſtituto, tot ſæculis interiectis ad bellum exiſſe. Dixit igitur potius ad hanc ſententiam, Sex vocant Centurias cum earum mentio fit; cum de ijs inter homines ſermo incidit, & quia, Tribubus a Tarquinio geminatis, vt ſupra oſtendimus; primi, ſecundiq; Ramnenſes, Titienſes, Luceres, dicebantur: licet opinari, & Centurias Liuij ætate, cum ſex vocarentur, primos, ſecundoſq; Ramnenſes, Titienſes, Luceres, eſſe nominatas: quandoquidem Romuli Centurijs eadem, quæ Tribubus nomina fuiſſe, ex Liuio patet. Nam Dionyſius non modo harum centuriarum, ſed nec Tribuum, nomina non ponit: quin de ipſis Centurijs nullam omnino mentionem facit: tantùm ait, trecentos a Ro-

mulo,

mulo, ad cuſtodiam corporis, robuſtiſſimos iuuenes eſſe delectos, qui pedeſtrem, equeſtremque, militiam, vbi res ferret, pariter exercerent. Sed ego ab his diuerſas fuiſſe Centurias puto: quod ex Liuio quoque ſatis patet: qui ſeparatim de tribus Centurijs, & de trecentis ſatellitibus, meminit, quos non in bello ſolùm, ſed etiam in pace, Romulus habuit. Præterea, non ijsdem temporibus, & trecenti illi cuſtodes lecti ſunt, & Centuriæ inſtitutæ. Nam in ipſo Dionyſio video, ante raptum Sabinorum, trecentos ad cuſtodiam corporis a Romulo eſſe delectos; at in Liuio, tres equitum Centurias tum eſſe factas, animaduerto, cum Sabinis, & Romanis, iam conciliatis, Regnoq; conſociato, ex duabus Ciuitatibus vna facta eſſet, quam ob cauſam, & vni Centuriæ à Tito Tatio, Sabinorum Rege, nomen Titienſi eſt inditum. Sequuntur Seruij Regis Centuriæ, tum Comitiorum, tum militiæ cauſa; ex equitibus, peditibuſque conſtitutæ: quarum numerus ex Dionyſio facile colligitur. Nam, cum Ser. Tullius, Rex vniuerſum Populum in ſex Claſſes diſtribuiſſet; in prima Claſſe Centurias IIC. quæ ſuffragium ferrent, delegit, peditum XXC. equitum XIIX. quorum res cenſa C. minis, aut ſupra, erat: In ſecunda XXII. quorum cenſus erat LXXV. minis, & ſupra: In tertia XX. cenſu non minus L. minarum: In quarta XXII. cenſu XXV. minarum, & ſupra: In quinta XXX. cenſu intra XXV. minas ad XII. & ſemis: In ſexta, vnam tantùm, hominum minimo cenſu, ideſt minarum infra XII. & ſemis: qui vacationem habebant militiæ, erantq; omnium tributorum immunes, ideoq; in Comitijs minime omnium honorati. Atque hic vniuerſus eſt numerus CXCIII. cum Liuius vna Centuria minorem numerum faciat. Sed Dionyſij ſumma probabilior eſt. Nam ſi, vt in Liuio ſcriptum eſt, pari numero Centuriæ ad Comitia conueniſſent: euenire poterat, vt æqualitate ſuffragiorum nihil omnino tranſigeretur, cum Centurijs XVC. probanti-

bus

Digitized by Google

bus totidem improbantes Centuriæ reſiſterent, & ideo, totum numerum Centuriarum cxcIII. fuiſſe, credibile eſt; vt omnino maior numerus ex altera parte, cum quid ſtatueretur, eſſet. Raro autem in Comitijs, ad ſextam Claſſem, ideſt vltimam, in qua erat vna Centuria, deuentum eſt: cum raro contingere ſoleret, vt ex vtraque parte ſuffragiorum contra pugnantium numerus eſſet xcvI. Quod ſi quando acciderat; tum vnum extremum ſuffragium ſextæ Claſſis, in alterutram partem inclinans, victoriam dabat. Differt etiam in hoc à Liuio Dionyſius: quod etſi parui refert, notandum tamen duximus; nam Dionyſius duas fabrum centurias, & opificum, quas Liuius in prima Claſſe numerat, quartæ Claſſi adſcribit. Itemq; Tibicinum, Cornicinum, Accenſorum, duas Centurias Dionyſius quartæ Claſſi, Liuius quinctæ attribuit: & eas idem Liuius tres, Dionyſius duas facit. Illud addo: Centurias non ita accipiendas, vt ex centenis Ciuibus vnaquæque conſtaret. Nam, cum omnes Centuriæ ſint cxcIII. ſi ad ipſas Centurias ſpectaremus, totus vniuerſorum Ciuium numerus eſſet $\overline{\text{xix}}$. & ccc. quod falſum eſſe inde conſtat; quia Liuius lib. I. cenſa fuiſſe ait à Ser. Tullio Liuium capita $\overline{\text{xxc}}$. Quam ſummam, vt idem ſcribit, aliquot Hiſtorici tradidere fuiſſe eorum tantùm, qui arma ferre poſſent. Hìc obijcitur: ſi prima Claſſis, exempli cauſa, Centurias habet IIC. & tamen Ciues in ea cenſentur plures, quam ex his Centurijs confici videntur: qua ratione in IIC. centurias diſtribuentur? Reſpondendum: quamlibet magnum Ciuium numerum ad Centuriarum numerum eſſe redigendum, vt, etiam ſi in prima Claſſe fuerint, puta xx. millia hominum, non tamen cc. Centuriæ pro ratione hominùm fuerint, ſed tantùm IIC. vt, ſiue pauciores, ſiue plures, quam centum, in ſingulis Centurijs ad Comitia coirent, integra tamen, & vna, vtrolibet numero, haberetur Centuria. Rurſus, ſi in vna Centuria quin-

genti

genti Ciues ad Comitia coirent; in alia autem, quinquaginta: æque tamen in ſuffragio valet ea, quæ eſt infrequentior, atque ea, quæ plenior: & vtriuſque vis eadem eſt. Quid autem cauſæ fuerit, vt in vna Centuria plures, in alia pauciores, fuerint, ex veterum libris cognoſcere non licet. Sed ego, quod excogitare per me potui, id quale quale eſt libere exponam. Cum Centuriæ primæ Claſſis ex ijs hominibus conſtarent, quorum cenſus eſſet centum millibus aſſium, eo vt amplius: non omnium idem erat cenſus in eadem claſſe, & cum cenſu differrent, Centurijs quoque diſtinguebantur; vt qui centum millibus aſſiũ cenſerentur, in vna Centuria ſuffragiũ ferrent, qui centũ decem, in alia qui centum viginti, item in alia, inde fiebat, vt non eodem numero Centuriæ omnes eſſent. Eſt autem veriſimile, eo fuiſſe in frequentiores Centurias, quo ditiores in ijs ſuffragium ferrent; eo pleniores, quo tenuiores, nam in Ciuitate, quo minor eſt cenſus, eo maior Ciuium numerus eſt, quo maior, & minor. Præerat autem ſingulis Centurijs Ciuis vnus, dignitate præſtans: qui, ne quid per fraudem committeretur, curaret, cumq; ab ipſa Centuria viritim ſuffragia lata eſſent, ſuffragiorũ numerũ in vtramq. partem dignoſceret, quod Diribere vocabant, & ex maiore numero voluntatẽ Cẽturiæ pronunciaret. Exemplũ habemus in II. de Oratore, cum M. Scipio Maluginẽſis e Centuria ſua Cõſulẽ L. Manliũ renunciauit. Et quemadmodum is, qui Centuriæ præerat, ex maiore ſuffragiorum numero ſententiam Centuriæ ſignificabat, ſic is qui Comitijs præerat, ex maiore numero iudicium populi pronunciabat, hunc autem Comitiorum ordinem ideo Seruius Rex inſtituit, vt eam poteſtatem, quam in Comitijs pauperes habebant, ad diuites transferret, ante enim in pauperum manu Comitia erant: ipſi magiſtratus dabant, leges ſciſcebant, bella decernebant, non quod diuites Comitijs excluderentur: ſed quod pauperes numero præſtarent, cum e Romuli, aliorumq.

Re-

Regum, inſtituto ſuffragia viritim Populus ferret vniuerſus quod Seruius Rex non ſuſtulit, ſed callido conſilio, effecit, vt neque ſuffragio excluſus aliquis videretur, neque ſuffragium tamen, niſi rariſſime omnes ferrent. Nam cum vniuerſa Ciuium multitudo in ſex Claſſes diſtributa ſit, pro ſuo quiſque cenſu; Claſſes vero in certum Centuriarum numerum, cumque, quod a pluribus Centurijs iuberetur, id ratum eſſet: plerumque vſu veniebat, vt non ad ſextam Claſſem deueniretur, ſed priores Claſſes ad rem conficiendam ſatis eſſent: cum in vna prima Claſſe ita multæ Centuriæ eſſent, vt ſi in ſuffragio ferendo conſentirent, ad inferiores Claſſes deſcendere neceſſe non eſſet. Diuites igitur auxit poteſtate rerum maximarum: quos Comitiorum dominos conſtituit, ſi Centuriarum numerum ſpectemus, quæ plures erant non modo in quinque primis, quam in vna reliqua, in qua plebs egena cenſebatur, ſed etiam in vna prima, quam in quinque reliquis omnibus. Pauperes autem, ideſt ſextam Claſſem, ne ſuffragiorum amiſſionem acerbius ferrent militiæ, tributorumque vacatione leniuit. Sed eſt inter veteres de cenſu primæ Claſſis controuerſia. Nam Dionyſius fuiſſe tradit centum minis; Liuius, centum millibus aſſium. Plinius, centum & decem millibus aſſium; Pedianus, centum millibus ſeſtertium. Centum minæ, ad noſtratis pecuniæ rationem redactæ, ſcutati ſunt aurei mille, & quinquaginta, centum millia aſſium vncialium (vnciales enim Liuij ætate fuerunt, cũ qui primi a Ser. Tullio Rege percuſſi ſunt, librales fuiſſent; deinde, primo Punico bello, ſextantarij) ſcutati aurei ſeptingenti quinquaginta; centum & decem millia aſſium, ſcutati octingenti viginti quinque; centum millia ſeſtertium, ſcutatorum tria millia. In hac ſententiarum varietate, etiam ſi mihi de veritate non ſatis liquet, quiddam tamen afferam de meo ſenſu, non vt affirmem, ſed vt aliorum opiniones eliciam, quod enim ego

explicare vnus minime poſſum, in eo ſi verſentur multi, facilius expediri poſſe, certum eſt. Ser. Tullius, vt e cenſu vniuerſam Ciuitatem in ſex Claſſes diſtribueret, cuiuſque Ciuis rem aſſibus æſtimauit, quod is nummus perfectam ponderis rationem haberet, libralis enim erat: vt ex Varrone, & Plinio cognouimus. Et quemadmodum bona Ciuium nummo perfecti ponderis æſtimauit, ideſt aſſe: ſic eam æſtimationem perfecto nummorum numero definiuit hoc eſt centum millibus aſſium, vt ſi quis hoc tempore aliquam Ciuitatem in partes diſtribueret, & Ciues cenſu diſtingueret, Seruij Regis exemplo: nimirum, & cuiuſque bona ſcutatis aureis æſtimaret, & cenſum illius partis, in qua ditiores futuri eſſent, ad abſolutam numeri rationem redigeret, puta ad mille ſcutatorum: aut ſi maximum cenſum infra mille vellet deſcendere, certe centenarium, vt ita dicam, numerum ſequeretur, vt in maximum cenſum eos potius referret, quorum res quingentis (exempli gratia ita pono) cenſeretur, quam eos, quorum bona non plane centenario ſcutatorum numero, ſed minore æſtimarentur, puta quadringentis quadraginta, aut quinquaginta. Cum igitur veriſimile ſit, maximum cenſum abſoluto aſſium numero fuiſſe, vt in prima claſſe cenſerentur ij, quorum res non minoris eſſet, quam abſolutus ille numerus definiret: vtrum a vero aberraſſe credibilius eſt, Dionyſium, an Liuium? Ego Dionyſium puto. Nam Liuio nullam video fuiſſe cauſam, cur in maximo cenſu explicando non plane id ipſum expreſſerit, quod a Seruio inſtitutum in antiquis annalibus legebat. Aſſibus, vt dixi, Seruius bona Ciuium æſtimauerat: & Aſſium mentionem faciebant ij, qui ante Liuium ſcripſerant: itaque nihil immutare Liuio neceſſe fuit, cum eodem vocabulo, & eodem numero, ad maximi cenſus ſignificationem, vti poſſet. Tantidem enim ætate Liuij fuit aſſis, quanti Ser. Tullio regnante; tametſi pondere non idem, vt ex Plinio cognoſci-

gnoſcitur. Ergo, vt in antiquis monumentis traditum Liuius videbat, ita in ſuas hiſtorias tranſtulit, aſſeſque, & centum millia, veterum fidem ſecutus, nominauit. Dionyſius autem qui Græce ſcriberet, non Romani nummi vocabulo, ſed minis, Græca conſuetudine, maximum cenſum explicauit. Satis de Curijs, Centurijs, & Tribubus.

De Comitijs.

NVnc aggrediemur ad ipſa Comitia: &, vt eum, quem inſtituimus, ordinem ſeruemus, a Curiatis primum ordiemur. Sed quoniam M. Varro, ille Romanorum omnium doctiſſimus, in libris ſuis de rebus humanis; & item in ijs, quos de rebus diuinis conſcripſit, hunc ordinem inſtituit, vt ſex primis libris, de hominibus ageret; ſecundis ſex, de locis; ſex tertijs, de temporibus; ſex, quartis, ijſdemq; poſtremis, de rebus; vnum ſingularem, qui communiter de omnibus narraret, ante omnes locaret: hunc ordinem ipſi quoque in hoc de Comitijs libro ſtatuimus imitari. Itaque primum generalia quædam de Comitijs præponemus; deinde quatuor illa capita, de hominibus, de locis, de temporibus, de rebus in ſingulis Comitiorum generibus accurate perſequemur: vt, a quibus habita ſint Comitia, quibus locis, quibus temporibus, quibus de cauſis intelligatur. Sed, vt à generibus ordiamur, ſicuti & Varronem feciſſe diximus: ſi & a quibus habita ſunt Comitia, & vbi, & quando, & cur, conſiderabimus, in magna differentia communia tamen omnium Comitiorum multa reperiemus.

Comitia à quibus habita.

PRimum, numquam niſi a magiſtratu, habita ſunt, aut certe ab eo, qui honore cæteros Ciues anteiret, vt à

Pontifice Maximo: deinde, ſi Magiſtratus crearentur, numquam, niſi in Campo Martio: tum non niſi Comitialibus diebus: poſtremo, legum, & magiſtratuum cauſa. Hæc omnium Comitiorum communia fuerunt, quæ etiam ſingula perpendemus. Comitia dicebantur, cum vel ad creandum Magiſtratum, vel ad ſciſcendam legem, vel quouis alio nomine, modo plebs, modo populus coibat. Plebis nomine non omnes omnino Ciues, ſed omnes, exceptis Patricijs, intelliguntur. Populus vniuerſam Ciuitatem ſignificat: Siue igitur Plebs, ſiue Populus, in vnum locum ad ferenda ſuffragia conuocaretur; Magiſtratus iuſſu, aut ſi Magiſtratus nullus eſſet, Interregis, vel etiam, quod ſemel accidiſſe legimus, Pontificis Maximi edicto citabatur, etſi, quando hic ea, quæ generaliter ad omnia Comitia pertinent, exponimus, Interregem, aut Pontificem, nominare, huius loci non eſt, neque enim omnibus Comitijs præfuiſſe Interregem, aut Pontificem legimus, ſed Centuriatis tantùm, Interregem; Pontificem, Tributis, & Curiatis. Recte igitur inter generalia ponemus, habita eſſe a Magiſtratu Comitia: ſiquidem neque ab Interrege, aut a Pontifice, omnia habebantur: &, vt ab ijs aliqua haberentur, extraordinarium fuit. Vtrum autem ab vno Magiſtratu, an a pluribus ſimul haberentur Comitia; ſi quæratur; ab vno, dicam; de quo exempla in Liuio, atque in alijs, multa notaui; ſed in Liuio duo ſatis perſpicua, lib. III. alterum de M. Duillio, Tribuno pl. alterum de Ap. Claudio, Decemuiro: quorum ille Tribunicijs Comitijs, hic Decemuiralibus præfuit, munere omnino fungebatur honorifico, ſiquis Comitijs præerat: habebatq; & accipiendi, & reijciendi, petentium nomina poteſtatem: ſed ipſe ſe creare non poterat, quod ante Ap. Claudium Decemuirum nemo vmquam præter Tribunos pl. fecit: vt a Liuio traditum lib. III. legimus. Quod ſi etiam quæretur, vtrum is, qui Comitijs præerat, forte præeſſet, an conſenſu ſine for-

te:

te: modo, ſorte dicam, modo conſenſu: vt ab hiſtoria didici. De ſorte exemplum habemus in Liuio lib. III. his verbis: Sorte quadam vtili ad tempus, vt Comitijs præeſſet potiſſimum, M. Duillio forte euenit, viro prudenti: Loquitur de Tribunicijs Comitijs, hoc eſt Tributis. At lib. XXXV. de Conſularibus, & vt opinor, Prætorijs, quæ vtraque Centuriata erant, ita ſcripſit: Eodem fere tempore duorum Conſulum litteræ allatæ ſunt, L. Cornelij, ad Mutinam de prœlio cum Boijs facto; & Q. Minucij a Piſis: Comitia ſuæ ſortis eſſe: cæterum adeo ſuſpenſa omnia in Liguribus ſe habere, vt abſcedi inde ſine pernicie ſociorum, & damno Reip. non poſſit: ſi ita videretur Patribus, mitterent ad Collegam, vt is, qui profligatum bellum haberet, ad Comitia Romam rediret: ſi id facere grauaretur, quod non ſuæ ſortis id negotium eſſet, ſe quidem facturum, quod Senatus cenſuiſſet. Loquitur, vt puto, non tam de Conſularibus, quam de Prætorijs Comitijs: non modo, quia ſubiungit paulo poſt, Nunciarent Senatum, ni is ad Magiſtratus ſubrogandos Romam veniret, potius quam Q. Minucius a bello integro auocaretur, Interregnum iniri paſſurum: (non enim dixiſſet. Ad Magiſtratus ſubrogandos, ſi de ſolis Conſulibus ſignificaret) & infra, poſt Conſularia Comitia, die proximo habita eſſe Prætoria, dixit: verum etiam, quia libro XXXIX. cum de Prætore in locum C. Decimij mortui ſubrogando ageretur, ijs Comitijs L. Porcium Conſulem præeſſe ſignificat: poſtremo, quia Prætorem à Prætore creari non poſſe, lib. I. de Auſpicijs M. Meſſalla Augur aperte narrat. Redeo ad ſortem, eſt aliud exemplum apud eundem Liuium lib. XXXIX. his verbis: Iam Conſularium Comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Æmilius, cuius ſortis ea cura erat, occurrere non poterat, C. Flaminius Romam venit. Nec deſunt eiuſdem alia de ſorte exempla. Nunc de conſenſu agamus. Lib. 3. ſic ait idem: Comitiorum illi habendorum,

rum, quando minimus natu ſit, conſenſu iniungunt. Ars ea hæc erat, ne ſemetipſe creare poſſet; quod præter Tribunos pl. & id ipſum peſſimo exemplo, nemo vmquam feciſſet. Loquimur de Decemuirum Comitijs, hoc eſt Centuriatis: quando ſummus Magiſtratus, atque etiam ſolus, & ſine prouocatione, erant Decemuiri. Libro etiam xxxv. curam Comitiorum conſenſu mandari ſolitam ſignificat. Ait enim ſic: Conſulibus ambobus Italia prouincia decreta eſt; ita, vt inter ſe compararent, ſortirenturve, vter Comitijs eius anni præeſſet. Vtitur enim Liuius verbo Comparare, pro Paciſci. Vt lib. quoque xL. inter ſe, inquit, Conſules compararunt, vt Cn. Bæbius ad Comitia iret, quia M. Bæbius frater eius, conſulatum petebat. Et libro xLI. ſedato tandem Iſtrico tumultu, Senatus conſultum factum eſt, vt Conſules inter ſe compararent, vter eorum ad Comitia habenda Romam rediret. Et alibi. Hæc de eo, quod primum propoſui, a quibus haberentur Comitia, ſatis ſint. Oſtendi enim, habita eſſe a Magiſtratu, ab vno, ſorte, conſenſu.

Comitia quibus locis habita ſint.

QVod autem ſecundo loco poſui, omnia Comitia, ſi Magiſtratuum cauſa haberentur, in Campo Martio eſſe habita: neceſſario diſtinxi: quia legum cauſa non in Campo, ſed in Foro, Tributa habita eſſe conſtat: cum Centuriata, & legum, & Magiſtratuum, cauſa in Campo ſemper habita ſint. Quare, quoniam id quod omnium Comitiorum generale ſit, quærimus: omnia Comitia, quæ Magiſtratuum cauſa haberentur, in Campo Martio eſſe habita, recte diximus.

Comi-

Digitized by Google

Comitia quibus temporibus habita ſint.

TErtius locus eſt de diebus Comitialibus. In eo non eſt neceſſaria diſtinctio; numquam enim, niſi Comitialibus diebus, agere cum Populo licebat. Comitiales autem non dico fuiſſe omnes dies, præter Feſtos; ſed ita dico, diem nullum fuiſſe Comitialem, qui feſtus eſſet. Feſti vero erant ij, vt Macrobius docet, quibus inerant ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profeſti dicebantur omnes, præter feſtos: qui diuidebantur in dies Faſtos, Comitiales, Comperendinos, Statos, Prœliares, quorum non eadem ratio fuit. Non enim, quicumque Faſti dies erant, aut Comperendini, aut Stati, aut Præliares; ijdem erant Comitiales: ſed qui Comitiales erant, eos aut Faſtos, aut Comperendinos, aut Statos, aut Prœliares eſſe, nihil vetabat. Et quemadmodum non omnes Faſti Comitiales erant, ſed omnes Comitiales erant Faſti, quod ex Macrobij verbis elici videtur, qui ait, Faſtis diebus lege agere licuiſſe, Comitialibus, & lege agi, & cum Populo agi potuiſſe: ſic, non omnes Faſti erant Comperendini, aut Stati, aut Prœliares, ſed vt ego iudico, omnes, aut Comperendini, aut Stati, aut Prœliares, ijdem erant Faſti. Hic in memoriam incurro cuiuſdam loci in oratione pro Sextio, quem, puto, minus emendatum eſſe. Nam, vbi ſcriptum eſt, latam eſſe legem, vt omnibus Feſtis diebus legem ferri liceret; non dubito, quin Faſtis, pro Feſtis, reponendum ſit: nam, cum Faſti dies non Comitiales eſſent omnes, ſed aliquot dumtaxat: lege ſanxit P. Clodius vt omnibus Faſtis diebus legem ferri liceret. Id & in Oratione de prouincijs conſ. Cicero declarat, his verbis; Aut vobis ſtatuendum eſt, legem Aeliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus Faſtis legem ferri licere &c. Feſti vero nulli Comitiales erant, & omnes Fe-

ſtos

ſtos lege Clodia factos eſſe Comitiales, abſurdum eſt credere. Sed, vt reliqua perſequamur, notat Gellius, & Macrobius, Gellium ſecutus: omnes dies, poſtridie Kalendas, Nonas, Idus, neque Præliares, neque Puros, neque Comitiales, fuiſſe, & vt nonnulli putarunt, IV. Kalendas, Nonas, Idus, Nundinas fuiſſe inter ferias, & ferijs haberi Comitia non licuiſſe, Macrobius narrat. Quod autem Rutilium ſcripſiſſe idem Macrobius ait: Romanos inſtituiſſe Nundinas, vt octo quidem diebus in agris Ruſtici opus facerent, nono autem die intermiſſo rure, ad mercatum, legeſq. accipiendas, Romam venirent; quod ipſum & Dionyſius lib. xi. ſignificat: id falſum eſſe, ipſe Macrobius oſtendit, cum inter ferias, Cæſaris, & Labeonis auctoritate commotus, Nundinas numerauit. Nam, ſi Nundinæ feriæ fuerunt: leges ferri Nundinis non licuit: quia ferijs, vt in Augurum libris Varro tradidit, viros vocare non oportuit; ſi vocauit, piaculum fuit. Ferias autem, Nundinas fuiſſe, præter Cæſarem, & Labeonem, etiam Feſtus Pompeius ſignificat, his verbis: Ferias Antiqui Feſtas vocabant, & aliæ erant, ſine die Feſto, vt Nundinæ; aliæ, cum Feſto, vt Saturnalia, qui vero Nundinis Ferias fuiſſe negarant, eam rationem ſecuti ſunt, quia Ferijs, ius dicere, Prætori non licebat; Nundinis autem, lege Hortenſia licebat. Sanxit enim lege Hortenſius, is opinor, qui & alias pro Plebe leges Dictator tulit, non vt Nundinæ, Feriæ vt eſſent, ſed vt a cæteris Ferijs vna re differrent, hac inquam, vt per eas ius diceretur: vti Ruſtici, qui nundinandi cauſa in Vrbem veniebant, lites componerent. Quod cum apud Granium Licinianum, tum apud Trebatium, ſcriptum eſſe, Macrobius ſignificat. Erant igitur inter Ferias Nundinæ, non modo quia Ioui aries omnibus Nundinis immolabatur, ex quo Iouis ferias fuiſſe conſtat: verum etiam, quia neque concionem aduocari, neque haberi Comitia, licebat. Quod cum C. Iu-

lius

Digitized by Google

lius Cæſar lib. Auſpiciorum xvi. ſcripſit, vt Macrobij teſtimonio cognoſcitur: tum Cicero libro ad Atticum iv. idem videtur ſignificare. Ait enim, per biduum, quo Nundinæ fuerunt, ideſt x. & ix. Kal. Decembris, neque concionem fuiſſe vllam, neque de habendis Aedilium cur. Comitijs actum eſſe: Nundinis conſpectis, iix. Kal. Decembris Milonem in Campum iuiſſe, vt Conſuli Metello, Aedilicia Comitia habere cupienti, obnunciaret. Qua in ſententia videtur & Plinius fuiſſe, libro Naturalis Hiſtoriæ xiix. cap. 3. Scripſit enim hæc de Ruſticis Tribubus: Nundinis Vrbem reuiſitabant, & ideo Comitia Nundinis haberi non licebat, ne Plebs Ruſtica auocaretur. Etſi Hermolaus Barbarus, homo eruditus, & diligens, in ſcripto libro aliter legi teſtis eſt: ſic videlicet: Comitia, niſi Nundinis, haberi non licebat. Nec tamen, vtra verior ſit lectio, diiudicat. Sed Gulielmus Budeus, vir Græcè, Latineq. doctiſſimus, quod Hermolaus ſe non diſpicere ſignificat, id ſe videre, & ſcire, profitetur, at enim ſic in altera editione in Pandectas: Quamquam Hermolaus de ea lectione ſtatuere nihil auſus ſit: nos tamen, eam confirmare, ex Macrobio, non magnopere verebimur: qui lib. 1. Saturn. ſic inquit: Rutilius ſcribit, Romanos inſtituiſſe Nundinas, vt octo diebus in agris Ruſtici opus facerent, nono autem die intermiſſo rure, ad mercatum, legeſq. accipiendas, Romam venirent, & vt ſcita, atque conſulta frequentiore Populo referentur, quæ trinundino die propoſita, a ſingulis, atque vniuerſis facile noſcebantur. Hæc recitat Budæus. Quæ fere & Dionyſius, cuius libros non admodum Budæo familiares video fuiſſe, lib. vii. tradidit. Ego tamen non idem, quod Budeus, exiſtimo. Ruſticos enim veniſſe quidem ad Vrbem puto, vt ſuffragium ferrent, quod cum Rutilio Dionyſius ſignificat non tamen, vt ipſo Nundinarum die, ſed vt perfectis Nundinis Comitijs intereſſent, vix enim veriſimile vide-

tur, his tribus rebus eodem die Ruſticam Plebem occupatam fuiſſe; primum, vt nundinarentur; deinde, vt lites componerent; quod eis lege Hortenſia permiſſum, in Granij lib. II. Macrobius notauit, poſtremo, vt Comitijs ſuffragium ferrent. Præterea (vt omittam Cæſaris, & Labeonis, auctoritatem, qui Nundinas inter Ferias, teſte Macrobio, referunt) ſi tantùm Nundinis, ideſt nono quoque die, Comitia fierent, vt Budæus cenſet: cur, vt apud Ciceronem ſcriptum eſſe iam diximus, & XII. & XI. & IIX. Kalendas aut Metellus Conſul Aedilitia Comitia habere conatus eſt, aut Cilo Tribunus pl. obnunciatione prohibuit. Cur prohiberet Cilo, quod prohibente nemine fieri non liceret? cur autem (vt ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς, agamus) de Comitijs Metellus cogitaret ijs diebus, quibus Nundinæ non eſſent, quæ fuerunt X. IX. Kalendas? Huc addamus & Feſti verba, quæ noſtram ſententiam confirmant, & ab Hermolai ſcripto libro diſſentiunt. Nundinas, inquit, feriarum diem eſſe voluerunt antiqui quo Ruſtici, mercandi, vendendique cauſa, in Vrbem conuenirent; cumq. ne faſtum, ne ſi liceret cum Populo agi, interpellarentur Nundinatores. In quo non de omnibus Nundinis, ſed vt opinor, de ijs ſignificauit, quæ fuerunt ante legem Hortenſiam. Nam poſt Legem Hortenſiam Nundinas non inter nefaſtos dies, ſed inter Faſtos fuiſſe, iam oſtendimus. Illud non dubito Feſtus ſignificat, Nundinis haberi Comitia non licuiſſe, nimirum igitur non, quecumque ſunt in ſcriptis libris, vera omnia ſunt: ſicuti in noſtris coniecturis falſa quamplurima. Itaque ego, neque illos, neque has, temere ſoleo ſequi; cum ſæpe me res ipſa docuerit, quam & illi mendoſi, & hæ fallaces, incertæ ve, ſint. Correctio tum placet, primum, cum neque a veterum librorum ſcriptura recedit; deinde, cum aliqua ſimili ſententia, aliquo ve antiquitatis exemplo, confirmatur. Quæ niſi vtraque conueniunt, non aggredior ad

corri-

corrigendum; ſed aut, quod in præſenti non ſucceſſit, in aliud tempus, denuo conſiderandum, reijcio aut mihi ipſe, meoq. ingenio prorſus diffidens, alijs, quorum ſit felicior induſtria remitto. Erant præter eos, quos poſui dies, etiam ij, a Comitijs alieni, quibus Mundus patebat. Quam rotundam in Comitio foſſam fuiſſe, qua rerum omnium primitiæ,& eius ſoli, vnde quiſque profectus erat particulæ coniectæ ſunt, Plutarchus in Romulo tradit. Hæc vbi patuit, magna fuit per eos dies in Vrbe religio. De quo Varro ſic: Mundus cum patet, deorum triſtium, atque inferum quaſi ianua patet. Propterea, non modo prœlium commiti, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, nauem ſoluere, vxorem liberum quærendorum cauſa ducere; religioſum eſt. Omiſit Varro de Comitijs: ſed quod hìc omiſit, inuenimus apud Feſtum. Is de Mundo ſic: Mundum Gentiles (dictio, Gentiles, non Feſti Pompeij, ſed, vt opinor, Antiſtitis illius fuit, qui Feſti libros mutilauit, qui Romanos vocauit Gentiles, quia noſtram religionem nondum noſſent: quo modo & alij ſcriptores ſacri locuti ſunt) Mundum, inquit, gentiles ter in anno patere putabant, his diebus, poſtridie Vulcanalia, ante diem III. Nonas Octobris ante diem VI. Idus, quos dies etiam religioſos iudicauerunt. Itaque per hos dies non cum hoſte manus conſerebatur, non exercitus ſcribebatur non Comitia habebantur, non aliud quidquam in Rep. niſi quod vltima exegiſſet neceſſitas, adminiſtrabatur. Nec vero alienum eſt, ea quæ in libro de Senatu expoſuimus, huc afferre, vt qui non Comitiales dies, qui item Comitiales, fuerint, cognoſcamus, non enim, quia non omnes Comitiales ſcire licet, ideo quos licet, ſcire nolle debemus. Erant igitur, vt in eo libro docuimus, non Comitales, Kalendæ, Nonæ, Idus, IV. Nonas Ianuarij IIX. Idus Ianuarij, VII. Idus Ianuarij, XIX, & XIIX. Kalendas Februarij, omnes

IV. Kalendas, Nonas, Idus: Comitiales autem, III. Nonas Ianuarij, II. Nonas Ianuarij, omnes dies poſt XIIX. Kalendas Februarij: Item non Comitiales, V. Idus Ianuarij, XVI. & IX. Kal. Februarij: quia, cum primæ anni Nundinæ fuerint primo Ianuarij die; apparet, in diem V. Idus Ianuarij ſecundas incidiſſe, tertias, in XVI. Kalendas; quartas in IX Kalendas. De quo in libro de Legibus plura verba fecimus. Quibus autem diebus eſſent Nundinæ, per eos haberi Comitia non licuiſſe, proxime oſtendimus. Ergo con Comitiales, V. Idus Ianuarij, XVI. & IX. Kal. Februarij: at Comitialis, IIX. Kal. Februarij: quia, Q. Fabricium eo die ad ferendam rogationem veniſſe, in ea pro Sextio Cicero ſignificat. Liuius, cum de Numa Rege ſic ait: Idem Nefaſtos dies, Faſtoſq; fecit, quia aliquando, nihil cum Populo agi, vtile futurum erat; videtur ſignificare, Faſtis diebus agi cum Populo licuiſſe; nam ſi Nefaſtos fecit, vt aliquando cum Populo nihil agi poſſet: ſequi videtur, ijs qui Faſti eſſent, ſemper licuiſſe. Quod tamen ſecus eſt. Nam, etſi Nefaſtis diebus numquam agi cum Populo licuit, & Faſti Nefaſtis opponuntur, ſed tantum ad eam partem, quæ ad ius dicendum pertinet: quia, ſicuti Faſti dicebantur omnes dies, per quos legitima illa fari verba Prætori licebat, Do, Dico, Addico; ſic omnes Nefaſti, per quos fari Prætori non licebat, ergo ad hanc partem Faſti, & Nefaſti, omnino contrarie opponuntur. Quod autem ad Populi rationem attinet, opponuntur quidem, ſed non omnino, opponuntur; quia Faſtis diebus, agere cum Populo licuit. Nefaſtis non licuit: Non opponuntur, quia Nefaſtis, numquam licuit: Faſtis autem, neque ſemper licuit, neque numquam non licuit. Licuit ijs Faſtis, qui Comitiales erant, non licuit ijs, qui non erant. Nam neque omnes Faſti Comitiales erant, neque nulli. Quod & Macrobius lib. I. Sat. & Cicero in ea de prouincijs, cuius paulo

Digitized by Google

lo ante verba recitaui, plane ſignificat. Quod autem ibi Macrobius Profeſtos dies ait in Faſtos, Comitiales, Comperendinos, Statos, Prœliares, diuidi: in eo mihi non admodum ſatisfacit. Namquemadmodum omnes Feſti dicuntur Nefaſti, vt & ipſe confirmat: ſic omnes Profeſtos, qui Feſtis opponuntur, Faſtos eſſe vocandos, ratio demonſtrat; præſertim, cum Nefaſtos, Faſtis eſſe contrarios, & ipſe dicat, & Liuius ſignificet, cum ait de Numa: Idem Nefaſtos dies, Faſtoſque fecit. Nam Faſti, Nefaſti ſunt, qui Feſti, & Profeſti dicuntur. Itaque & Macrobius, cum Liuio de Numa conſentiens, ſic ait: Numa dies omnes aut Feſtos, aut profeſtos, aut Intercisos vocauit. Quos enim Liuius Nefaſtos, hic Feſtos nominauit, quos ille Faſtos, hic Profeſtos. Cum igitur Profeſti, & Faſti, ijdem ſint: conſiderandum eſt, ſatis ne recte Macrobius fecerit, qui Profeſtos diuiſit in Faſtos Comitiales, Comperendinos, Statos Prœliares: cum Faſtos, & Profeſtos, primum eoſdem facere debuerit, ſicuti re vera ijdem ſunt, deinde eos in Comitiales, Comperendinos, Statos, Prœliares, diſtribuere. Nam, ſi Comitiales, Comperendini, Stati, Prœliares, vt inter ſe differunt, ita Profeſti omnes ſunt: neceſſario ſequitur, vt ijdem omnes Faſti ſint: quando Faſtos, & Profeſtos eoſdem eſſe, iam oſtendimus. Quod ſi ſunt omnes Faſti: cur tamquam non ſint in quinque partes diſtribuuntur Profeſti, & pro vna parte Faſti ponuntur, alij pro reliquis? Verum de Scriptoribus Antiquis timide, & verecundè, loquimur. Non enim, ſi quid in eorum libris depræhendimus, quod ipſi minime probemus; ſtatim erumpendum eſt ad illud, Macrobius errat, Quinctilianus ignorat, Male ſentit Cicero. Illos ego fateor in litteris fuiſſe viros, & excellentes viros. Nos pueri ſumus, & iuuenili quodam impetu prolabimur, ambitione peccamus, & videri malumus, quam eſſe. Itaque, ſi quis aliquam antiquæ notitiæ partem

tem primis tantùm, quod aiunt, labris, deguſtauerit, ſtatim, quaſi omnem ſcientiam exhauſerit, ita cupit effundere. Quo mirari minus licet ſi, cum ea quæ a noſtris ingenijs immature, atque ante diem, eduntur, æternam vitam viuere cupiamus, contra tamen fit, vt nobis viuentibus, exſtincta lugeamus.

DIximus, agi cum Populo, niſi Comitialibus diebus, non licuiſſe. Non ſatis eſt hominibus curioſis. Quæritur, ipſis Comitialibus, agi ne ſemper cum Populo liceret. Aliud enim eſt, nullis diebus, niſi Comitialibus, agi cum Populo licere, aliud, Comitialibus agi ſemper licere. Certum eſt, Comitiales dies a Comitijs eſſe dictos, quod ijs tantum haberi Comitia liceret. Verum, quod licet, non idem etiam neceſſe eſt. Poteſt enim fieri, vt quod licet, non tamen fieri neceſſe ſit, quod autem neceſſe eſt, id vt ne fiat, fieri non poteſt. Licuit igitur, Comitialibus diebus cum Populo agi: ſed quia non ſimul neceſſe fuit, ideo ſæpe actum non eſt. Quod igitur obſtitit, cur, agi cum liceret, non ageretur? Religio: cuius Romani maximam ſemper rationem habuerunt, non tam, credo, vt pietatem colerent (tametſi hoc ego illis primum fuiſſe non negauerim) quam, quod intelligebant, optimum id eſſe, atque artiſſimum, in Rep. vinculum incolumitatis. Niſi enim deorum metu Ciuium animi contineantur: ad contemptum Religionis paulatim ſequitur etiam contemptus legum. Leges porro vbi contemnuntur, nihil cuiuſquam proprium, nihil in Rep. diuturnum eſſe poteſt. Fuit igitur Populus Romanus, & iure fuit, in colenda Religione plurimus: nec a rebus Diuinis, ob humanas, ſed ab humanis, ob Diuinas, ceſſauit. Itaque Feſtis diebus numquam habita Comitia ſunt, at Comitialibus honor ſæpe dijs immortalibus habitus eſt, & Comitia dilata. Cum enim aut ſupplicationes, aut conceptiuæ feriæ, aut imperatiuæ; indi-

indicerentur, tunc, ſi in dies Comitiales inciderent, agi cum Populo non licebat. Itaque Conſul Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, cum impedire vellet, quo minus a Tribunis pl. leges iniquiſſimæ ferrentur, indixit, vt Latinæ Feriæ, quæ inter Conceptiuas a Macrobio numerantur, inſtaurarentur, & ſupplicationes haberentur. De quo ſic ad Q. Fratrem Cicero lib. II. epiſtola, Placiturum. Conſul eſt egregius Lentulus, non impediente Collega, ſic inquam bonus, vt meliorem non viderim, dies Comitiales exemit omnes, nam etiam Latinæ inſtaurantur, nec tamen deerant ſupplicationes, ſic legibus pernicioſiſſimis obſiſtitur, maxime Catonis. Et apud Dionem lib. XXXIIX. legimus, Bibulum Conſulem, ne vllam omnino legem eius collega Cæſar ferre poſſet, ſupplicationes in reliquos omnes anni dies indixiſſe. Et M. Varro non licuiſſe Comitialibus diebus cum Populo agi propter Ferias conceptas, libro V. de lingua Latina ſignificat, his verbis: Comitales, dicti quod tum, vt eſſet Populus ad ſuffragium ferendum conſtitutum eſt, niſi ſiquæ feriæ conceptæ eſſent propter quas non liceret, vt Compitalia Latinæ. Idem puto de ferijs Imperatiuis: quas vt ait Macrobius, Conſules, vel Prætores, arbitrio imperatiuæ feriæ pendebant: quis dubitet, ſæpe ab ijs, vel hanc vnam ob cauſam, eſſe imperatas, vt Comitales tollerentur, hóc eſt, vt improbis, ac ſeditioſis, Tribunis agere cum Populo non liceret? non enim puto a Conſule, aut Prætore, conceptas, imperatas ve, ferias eſſe, vt Comitia Magiſtratuum, ſed vt Comitia legum, impedirent: at quarum legum? non omnium, ſed earum, quas Tribuni pl. ferre conarentur, quas Reip. pernicioſas ſæpe fuiſſe, conſtat. Conſul autem, vt Conſuli, leges ferenti, eſſet impedimento raro, vt opinor, contigit. Vnum fere, Cæſaris, & Bibuli exemplum Hiſtoriæ produnt: quorum Conſulatus perpetuis contentionibus tranſductus eſt. Tollebantur igitur Comitiales

dies

dies ſupplicationibus, & ferijs aut conceptis, aut imperatis. Erant aliæ quoque cauſæ, quibus agi cum Populo diebus Comitialibus non liceret, vt cum de cœlo ſeruabatur: cum obnunciabatur; cum Iupiter tonabat, cum eo morbo, qui inſputatur, aliquis corruebat, cum Senatus conſultum vetabat. Sed primæ duæ cauſæ hoc habent differentiæ; quod ad impedienda Comitia ſatis erat ſeruare de Cœlo, etiam ſi non obnunciaretur: at obnunciare nemo poterat, niſi prius de Cœlo ſeruaſſet. Quid enim obnunciaretur? nempe aduerſum aliquod ſignum, quod ſeruanti de Cœlo apparuiſſet. Hanc differentiam, ex Pediani verbis, quæ ſunt in Commentario Orationis in Piſonem licet cognoſcere, ſunt enim hæc. Legem P. Clodius tulit, ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de Cœlo ſeruaret. Ex his verbis conſtat, opinor, ei qui ſeruaret: de Cœlo non neceſſe fuiſſe, vt etiam obnuntiaret, at vero, neminem obnunciaſſe, niſi iam de Cœlo ſeruaſſet inde patet, quod ſublato, Clodij lege vetuſto more, ſeruandi de Cœlo; ſimul Obnunciandi mos, eiuſdem legis ſententia, ſublatus eſt. Id eiuſdem Pediani, eodem in loco, proxima verba declarant. Nam cum dixiſſet, Legem tulit Clodius, ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret; de Cœlo ſeruaret; intulit: Propter quam rogationem Legem Fuſiam, & Aeliam, propugnacula, & muros tranquillitatis, atque otij, euerſam eſſe. Obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus obſiſtebatur, quam Aelia lex confirmauerat, erat ſublata. Vtra igitur inquit aliquis erat certior, ac validior, impediendi ratio; cum ſeruaretur de Cœlo, nec obnunciaretur; an cum obnunciaretur, poſtquam de Cœlo ſeruatum eſſet? Dicam, quod ſentio. Vtraque ratio ſatis valuit ad impediendum, ſed cum prior ſimplex ſit: hoc enim vnum conſideramus, ſeruare de Cœlo: poſterior autem duplex; non eſt enim Obnunciare, niſi prius fuit ſeruare de Cœlo: plus in poſteriore fuiſſe pon-

deris

Digitized by Google

deris exiſtimauerim. Non enim dubito, quin maiore ſe religione obſtringi Populus Romanus putaret, ſi malum ſignum ab eo, qui de Cœlo ſeruaſſet, nunciaretur, quam ſi ſeruaret quidem aliquis de Cœlo, nihil tamen nunciaret. Poteſt enim aliquis ſeruare de Cœlo, nec tamen, quod mali ominis ſit, ſignum vllum videre. Quod ſi ſeruare de Cœlo, tantum fuiſſet; quantum Obnunciare; quorſum obnunciaretur? quod ſæpiſſime factum eſſe, legimus. Cur non id vnum, quod ſatis eſſet, ageretur? cur quod neceſſarium non eſſet, adderetur? Age quoniam hæc quia ſunt à coniectura, fortaſſe pauló minus putantur certa: videamus, an coniecturam confirmare liceat exemplo. Q. Metellus Nepos, Conſul, cùm habere Comitia cuperet Aedilibus cur creandis; & Marcellinus, qui erat Augur, & Conſul deſignatus, proſcripſiſſet, ſe per omnes dies Comitiales de Cœlo ſeruaturum; Comitia tamen habere conatus eſt, & habuiſſet, niſi T. Annius Milo, Tribunus pl. obnunciaſſet. Seruante igitur de Cœlo Marcellino, Metellus Comitijs non abſtinuit; obnunciante Milone, abſtinuit. Hoc enim libro IV. ad Atticum, Epiſtolâ, Auete ſcriptum eſt. Quo in loco iure aliquis dubitauerit, cur Marcellinus, cum impediendis Comitijs de Cœlo ſeruaret, non idem obnunciauit: quam eſſe certiorem impediendi rationem, non ignorabat. Cur ipſe de Cœlo ſeruauit, Milo autem obnunciauit? Non vnus Marcellinus vtrumque potuit? Reſpondetur dubitanti. Seruauit de Cœlo Marcellinus; quia licebat, vt Auguri; non obnunciauit, quia Magiſtratum non gerebat. Nam Auguri ſeruare de Cœlo, licuit: obnunciare, non licuit, Magiſtratibus, vtrumque licuit. Alterum igitur Marcellinus fecit, quia erat Augur; alterum non fecit, quia Magiſtratum non gerebat. Milo autem, cum eſſet in Magiſtratu, (erat enim, vt dixi, Tribunus pl.) & ſeruauit de Cœlo, & obnunciauit. Sed exempla requiruntur, vt ea, quæ dicimus

librorum teſtimonio confirmentur. Satisfaciam. Primum igitur Feſti Pompeij verba recitabo: quæ Auguribus ſpectionem fuiſſe ſine nunciatione ſignificant. Specere enim, vnde Spectio eſt, Antiqui dicebant, pro ſeruare de Cœlo. Sic igitur Feſtus; Auguribus ſpectio dumtaxat, quorum conſilio rem gererent Magiſtratus, non vt poſſent impedire nunciando, quæ tum vidiſſent: ſed ijs ſpectio ſine nunciatione data eſt, vt ipſi auſpicio rem gererent, non vt alios impedirent nunciando. Auguribus igitur hoc vnum licuit, ſpecere, hoc eſt, ſeruare de Cœlo; Magiſtratibus autem, vt plus, quam Auguribus, fuiſſe conſtet? hoc eſt, & ſeruare de Cœlo: & obnunciare, Ciceronis verba recitemus, in II. Philippica. Hic, inquit bonus Augur eo ſe Sacerdotio præditum eſſe dixit, vt Comitia Auſpicijs vel impedire, vel vitiare poſſet; idq. ſe facturum eſſe, aſſeuerauit. In quo primum incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite, quid enim? iſtuc, quod te ſacerdotij iure facere poſſe dixiſti, ſi Augur non eſſes, & Conſul eſſes, minus facere potuiſſes? vide, ne etiam facilius. Diſputat cum Antonio Augure, & Conſule: & ait, facilius eum, iure Conſulatus, quam iure Auguratus, impedire, aut vitiare, Comitia potuiſſe. Cur Facilius? nimirum, quia, cum eſſet Conſul, & ſeruare de Cœlo poſſet, & obnunciare, vel ſi Augur non eſſet: quod ſi Augur tantùm eſſet, ſeruare quidem ei de Cœlo liceret; obnunciare autem, non liceret. Stupidum igitur vocat, qui hoc non intellexerit. Proxima vero, quæ ſequuntur, Ciceronis verba non dubito, quin præpoſtero ſint ordine collocata. Nam cùm ſit in omnibus quos viderim, impreſſis libris, Nos enim nunciationem ſolum habemus Conſules, & reliqui Magiſtratus, etiam ſpectionem: poſtulare videtur ſententia, vt duabus dictionibus loco motis, & altera in alterius locum tranſlata, ita legatur, Nos enim ſpectionem ſolùm habemus, Conſules & reliqui Magiſtratus etiam nunciationem. Nos enim,

dixit,

dixit, pro Augures: quia Cicero erat Augur: quod nemo, qui eius ſcripta legerit, ignorat. Quoniam igitur Augures, Spectionem ſolum; Conſules & reliqui Magiſtratus, etiam Nunciationem habebant: ideo facilius Antonius, quia Conſul, quam quia Augur, impedire Comitia potuiſſet. Sequitur de Ioue Tonante. Tonare enim Iouem, Antiqui dicebant, cum tonitrua exaudiebantur. Quod ſi, dum Populus in Comitijs erat, contigerat, ſtatim; quaſi Iuppiter aduerſa minaretur, Comitia diſſoluebantur. Hinc illud, Philippica V. Ioue Tonante, cum Populo agi non eſſe fas, quis ignorat? Et apud Plutarchum in Catone Vticenſe legimus, Magnum Pompeium, cum a prima Tribu Prætorem Catonem eſſe factum videret; nec dubitaret, quin prærogatiuæ iudicium reliquæ Tribus ſequerentur; tonitrua ſe audiuiſſe mentitus, Comitia diſſoluit. His de cauſis, præſertim duabus poſtremis, ſæpe factum eſt, vt ſuffragijs omnibus iam perlatis, nihil tamen ſtatueretur, ſed in alium diem tota res, aliaq. Comitia reijcerentur. Quod in Prætorijs Ciceronis Comitijs accidiſſe, legimus in oratione pro lege Manilia; ſic enim in ea ſcriptum eſt: Cum propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus centurijs cunctis renunciatus ſum, facile intellexi, Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis. De Morbo, qui inſputaretur, qui eſt idem; & Maior, & quia Comitia prohibebat, Comitialis dictus; exemplum habemus in Feſto Pompeio: qui etiam Catonis ex oratione locum recitat: Prohibere, inquit Comitia, dicitur vitiare diem Morbo, qui vulgo quidem Maior, cæterum ob id ipſum Comitialis appellatur. Cato, in Oratione, quam ſcripſit de ſacrilegio commiſſo: Domi cum auſpicamus, honorem me deum immortalium velim habuiſſe. Serui, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi, nullum mihi vitium facit, ſi cui ibidem ſeruo, aut ancillæ, dormienti, euenit, quod Comi-

tia prohibere ſolet, ne id quidem mihi vitium facit. Animaduerti, & Senatusconſulto factum eſſe, ne die Comitiali Comitia, iam indicta, haberentur, vt Cicerone, Antonio Conſulibus. Nam, cum L. Sergium Catilinam noua moliri, & pernicioſa Reip. cogitare, percrebuiſſet: Conſul Cicero ad Senatum retulit, Senatuſq; decreuit, ne poſtero die Comitia, quibus Conſulatum Catilina petiturus erat, haberentur; vt ijs de rebus, quæ in Catilinam conferebantur, in Senatu poſſet agi. Credo, ob eam cauſam; quia ſperaret Cicero, Senatum eſſe decreturum, vt ne petentis Conſulatum Catilinæ proximis Comitijs ratio haberetur. Quod tamen decretum non eſſe, in ea pro Murena ſignificat, his verbis: Congemuit Senatus frequens; neque tamen ſatis ſeuere, pro rei indignitate, decreuit. Octo cauſas, quibus agi cum Populo Comitialibus diebus non liceret expoſuimus; Supplicationes, Ferias conceptiuas, Ferias imperatiuas, Spectionem, Obnuntiationem, Tonitrua, Morbum Comitialem, Senatusconſultum. Omnes, poſtrema excepta, ad religionem referuntur; diuerſa tamen ratione. Nam, vt Supplicationibus, & Ferijs omitterentur Comitia, honorq; dijs immortalibus haberetur, pietatis erat: Spectionis autem, Obnunciationis, Tonitruum: Morbi Comitialis, cauſa, vt à Comitijs abſtineretur, metu magis, quam pietate fiebat, nihil enim è Rep. fieri putabatur, niſi prius, id à dijs probari, ſignis intelligeretur. Senatusconſultum, non à religione, ſed à Reip. periculo, pendebat. Satis de diebus Comitialibus.

Comitia quibus de cauſis habita ſint.

POſtremum illud fuit Legum, & Magiſtratuum, cauſa Comitia eſſe facta, non enim tantummodo. Lex ea dicitur, quæ aut de iure Ciuili, aut de criminibus fertur: ſed, cum aut de bello indicendo, aut de prouincia mandanda,

danda, aut de imperio abrogando, aut de Ciue iudicando, aut alijs de rebus, (ſunt enim huius generis multæ) Populus conſulitur; tum quoque Lex ferri dicitur. Quæ cum liceat exemplis ſingula confirmare; ſuperſedebo tamen; non vt hanc partem omnino omittam, ſed vt in eum locum reſeruem, vbi de Tributorum Comitiorum cauſis agetur. Quemadmodum igitur, cum dicimus, Legum, Magiſtratuumque cauſa Comitia eſſe facta, communiter omnibus de Comitijs loquimur: ſic omnium Comitiorum communis videtur conditio fuiſſe, vt, antequam ſuffragium Populus iniret, in incertum Comitiorum euentum Patres auctores fierent; hoc eſt, quod Populus iuſſurus eſſet, id Patres ante comprobarent: ait enim Liuius lib. 1. ſic Decreuerunt, vt, cum Populus Regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent. Hodie quoque in Legibus, Magiſtratibusque rogandis, vſurpatur idem ius, vi ademptum: prius quam Populus ſuffragium ineat, in incertum Comitiorum euentum Patres auctores fiunt. His verbis, vt dixi, videtur hoc ſignificari, omnibus Comitijs Patres auctores fieri: ſiquidem omnibus Comitijs, & Leges, & Magiſtratus rogantur, verum aliter res habet: non enim ijs Comitijs, quæ Plebeius Magiſtratus habebat, quæ Tributa dicebantur; ſed ijs, quæ Patricius, hoc eſt, Centuriatis, & Curiatis, Patres auctores fiebant.

Quod enim credibile eſt, auctoritate Patrum Comitia Tributa confirmari oportuiſſe; cum Patres, vt lib. 11. Liuius docet, ijs Comitijs, quibus Plebei Magiſtratus crearentur, Voleronis Tribuni pl. lege ſummoti ſint? Vero igitur ſimilius eſt, non de omnibus Comitijs, ſed tantum de Centuriatis, & Curiatis, quibus adeſſe Patricijs licebat, Liuium intellexiſſe. Sed, quoniam poteſt eſſe aliquid veriſimile, nec tamen verum; recitabo Liuij verba lib. vi. vt hoc, de Centuriatis, & Curiatis, Comitijs, verum eſſe potius, quam veriſimile, videatur. Sic igitur lib. vi. Non

Leges

Leges auſpiciō ferantur; non Magiſtratus creentur; nec Centuriatis, nec Curiatis, Comitijs Patres auctores fiant. Quod ſi quis vno Liuij exemplo contentus non eſt, audiat Ciceronis vocem, in Oratione pro domo ſua. Populus, inquit Romanus breui tempore neque Regem ſacrorum, neque Flamines, neque Salios, habebit, nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes, neque auctores Centuriatorum, & Curiatorum, Comitiorum. Patet igitur, opinor, quibus de Comitijs lib. 1. Liuius intellexerit. Illud animaduertendum, quam valde ſit imminuta Senatus poteſtas: qui, cum in creandis Regibus Populi iudicium infirmare poſſet, (quod enim Populus iuſſerat, id ratum non erat, niſi deinde Patres auctores fierent) mutata conſuetudine, factum eſt, vt non poſt lata ſuffragia ſicuti per multos annos ſeruatū erat, ſed prius quā ſuffragium iniretur, Patres auctores fierent, &, quidquid omnino Populus iuſſurus eſſet, ante confirmaret. Quod, ætate ſua fieri, Liuius ait; quanto autem ante fieri, cœperit, non indicat. Sed Cicero non paucis ante annos inſtitutum eſſe in Oratione pro Plancio ſignificat his verbis: Nam, ſi ita eſſet, quod Patres apud Maiores noſtros tenere non potuerunt, vt repræhenſores eſſent Comitiorum; id haberent iudices, vel quod multo etiam minus eſt faciendum. Tum enim Magiſtratum non gerebatis, qui cœperat, ſi Patres auctores non erant facti: nunc poſtulatur à vobis, vt eius exſulio, qui creatus ſit, iudicium Populi Romani repræhendatis. Non ſignificat, Patres deſijſſe prorſus auctores fieri; vt neque ante inita ſuffragia, neque poſt, aut approbarent, aut improbarent, Comitia: ſed deſijſſe auctores fieri poſt habita iam Comitia: quod Liuij verba declarant. Ita, quod Liuio deeſt, a Cicerone ſumitur; quod in Cicerone paulo obſcurius eſt, ex Liuio patefit. Eſt ne aliquid præterea, quod omnium Comitiorum commune fuerit? eſt. Nam poſt legem Hortenſiam, de qua in libro de Legibus mentio facta eſt, quibuſ-

buſcumque Comitijs Lex ferretur, omnes Quirites tenebantur: cum antea Rogationibus, quæ Tributis Comitijs latæ eſſent, Patricij non tenerentur. Centuriatis igitur, quorum ſumma ſemper fuit poteſtas, Q. Hortenſij Dictatoris lege Tributa Comitia ſunt æquata. Opinor, & illud inter Comitiorum generalia fuiſſe, ne cuius abſentis in petitione Magiſtratus ratio haberetur. Quod tamen non per omnia Reip. tempora ſeruatum; (nam, multis abſentibus, atque etiam non petentibus, Conſulatum eſſe delatum, Hiſtoriæ loquuntur) ſed poſtremis annis vſitatum, atque legitimum video fuiſſe; quia, vt abſenti Cæſari Conſulatum petere liceret, Pompeio Conſule ferente, Populus iuſſit. Sic enim à Cicerone, & ab alijs traditum eſt. Quod ſi, vt Cæſari liceret, Populus iuſſit: certe, antequam iuberet, non licebat: non enim iuſſiſſet, ſi licuiſſet. Quod autem in petitione Conſulatus non licuiſſe, Cæſaris exemplum demonſtrat: id nec in cæteris Magiſtratibus, qui aut Centuriatis, aut Tributis, Comitijs peterentur, licuiſſe, credendum eſt. Dicerem, & illud omnibus Comitijs conueniſse, vt nihil, niſi auſpicato, ageretur: de quo Liuius lib. I I I. ſic: Augures iuſsos adeſse ad Regillum Lacum, fama exierat; locumq; inaugurari; vbi auſpicato cum Populo poſset agi; vt, quidquid Romæ vi Tribunicia rogatum eſset, id Comitijs ibi abrogaretur. Verum, ne hoc ita exiſtimem, facit Dionyſius, lib. IX. qui inter Centuriata, & Tributa, Comitia, cum alia quædam diuerſa ſcribit fuiſſe, tum hoc maxime, vt Centuriata, ſemper auſpicato; Tributa, ſine auſpicijs, ſineq; omni religione fierent. Quod cum ita ſit: aut de Comitis Centuriatis intellexit Liuius lib. I I I. cum dixit. Vbi auſpicato cum Populo poſſet agi; quibus Leges Tribunicias Cõſul L. Quinctius Cincinnatus abrogare velle videretur: aut diſtingue, & dic, Tributa Comitia, ſi à Plebeijs Magiſtratibus; hoc eſt à Tribuno pl. & Ædile pl. facta ſint, ſine auſpicijs, vt ait Dionyſius, eſſe

facta;

facta; ſin à Patricijs Magiſtratibus, cum Auſpicijs. Erant enim Auſpicia Patriciorum; vt ex Cicerone, & Liuio eſt videre. Potuit igitur auſpicato Tributis Comitijs Conſul Cincinnatus cum Populo agere, quia Conſulatus, Patricius erat Magiſtratus; Tribunus autem pl. aut Aedilis pl. auſpicato agere nemo potuit. De quibus tantùm, & ipſe Dionyſius videtur ſignificare: nam, cum illam Centuriatorum, & Tributorum, Comitiorum differentiam poſuiſſet, eodem libro, non ita multo poſt, ſubiunxit, ab eo tempore, vſque ad hanc diem, ad Tribunorum, Aediliumq; Comitia ſine Auſpicijs, ſineq; omni religione, Tribules Conciones ſuffragia ferunt. Patricios autem Magiſtratus auſpicato creatos eſſe, minime dubitauerim: quia lib. II. de Natura Deorum, & in ea pro Murena, Conſules ſignificat. Quare ſic fortaſſe vere ſtatueretur, omnia Comitia, ſiue Tributa, ſiue Centuriata, tum auſpicato eſſe habita, cum à Patricio Magiſtratu haberentur. Fuit etiam omnium Comitiorum commune, cum quidem Legum cauſa haberentur; vt primum priuati, deinde Magiſtratus, eam Legem, quæ rogabatur, ſuaderent, aut diſſuaderent. De quo quia pluribus verbis egimus in libro de Legibus, vbi de ijs, qui Legem ſuaderent, aut diſſuaderent, mentio fit: hic monere tantùm ſatis fuit: reliqua inde petantur.

Comitiorum Curiatorum Origo.

CVriata Comitia Centuriatis antiquiora fuiſſe, ea, quæ ſupra diximus, declarant. Nam à Romulo ad Ser. Tullium, qui Romæ ſextus regnauit, Populum curiatim ad ſuffragia coijſſe, ex Dionyſio cognoſcitur, ita ſiue roganda lex eſſet, ſiue Magiſtratus aliquis, aut etiam Rex ipſe creandus, aut omnino aliquid, quod alicuius eſſet ponderis, ſtatuendum, Curiatis Comitijs peragebatur, & vt ſcripſit Lælius Felix, cuius verba Gellius recitat, quemadmo-

admodum, qui eiuſdem erant cenſus, & ætatis, in ſuis Centurijs: ſeparati ab alijs ſuffragium ferebant; qui eiuſdem regionis, & loci, in ſua quiſque Tribu: ſic cum Curiata Comitia haberentur, pro generibus omnium, Curiæ diſtinguebantur, vt qui eſſent e genere Senatorum, in decem Senatorijs Curijs ſuffragium ferrent; qui e genere Equitum, in Equeſtribus; qui Peditum, in Pedeſtribus. Numerum autem Curiarum in vno quoque genere neque apud Gellium, neque omnino apud quemquam legimus. Sed, vt cum ad aliquid probandum ratio deeſt, confugimus ad exemplum: ſic vbi exemplo caremus, confugere ad rationem neceſſe eſt. Poſtulat igitur ratio, vt in Comitijs non plus Pedites poſſint, quam aut Senatores, aut etiam Equites; ſed pari condicione, cum omnes æque Ciues ſint, in ſuffragijs vtantur. Sequitur igitur vt denæ cuiuſque ordinis Curiæ fuerint, quod ſi quo in ordine plures homines erant, ibi plures Curiæ fuiſſent: ſemper ad Peditum voluntatem, qui numero præſtabant, Comitiorum exitus conſecutus eſſet, quo quid iniquius, aut quid imprudentius, fieri potuit in ea Ciuitate: quam tum primum naſcentem nihil magis alere, quam æqualia iura, parq; omnium condicio poſſet? Poſt Seruij Regis cenſum omnia Curijs iura ſunt erepta, & ad Centurias translata: vt tamen ius illud dandi Magiſtratibus imperij, quod ab initio Curiæ habuerant, perpetuum illis manſerit, quod Cicero, Liuiuſq. ſignificant. Itaque non modo Conſules, qui de Patribus primo creabantur, ſed & Tribunos pl. Centuriatis Comitijs eſſe factos, ex Liuij lib. II. & Dionyſij lib. IX. plane conſtat tametſi Tribunorum creationem, poſt annos XVII. a Centuriatis ad Tributa Voleronis Lege eſſe translatam, ijdem Liuius, & Dionyſius narrant, quod autem factum eſt in Tribunis creandis Ap. Claudio, T. Quinctio Coſ. idem annis iam ante XIIX. factum erat in Ciuibus iudicandis, vt de capite ciuis non

vt ante, Centuriatis, ſed Tributis ageretur, quod in Cn. Marcij Coriolani cauſa inſtitutum eſt M. Minucio A. Sempronio Coſ. Ita primum in iudicijs capitalibus, deinde plebeijs in Magiſtratibus, Centuriata Comitia ſunt immutata; Tributaq; eorum loco reſtituta.

Comitia Tributa a quibus haberentur.

TRibuta Comitia, primo aut a Regibus, aut ſi creandus Rex eſſet, ab Interregibus habebantur. Reges ipſi non Tributis Comitijs omnes, neque eodem modo creati ſunt. Romulus Vrbis Conditor, inſignibus Imperij ſumptis, trabea, & lictoribus duodecim, quot Regibus Etruſcis apparere conſueuerant, ipſe ſe Regem ſuo Populo conſtituit. Numam, ſi Liuio credimus, Senatus creauit; cum Populus eam poteſtatem, a Patribus acceptam, ad eoſdem a quibus acceperat, tranſtuliſſet. Sed Plutarchus, Sabinis, quos in Vrbem Romulus receperat, & Romanis de Rege creando diſſidentibus, ait ita conueniſſe, vt altera pars ex altera Regem crearet: ita Sabinum hominem Numam Pompilium, qui tum Curibus habitabat, a Romanis creatum: qui per legatos accitus, cum Romam veniſſet, prolato a Sp. Vettio Senatus conſulto, ſuffragium omnes Ciues tuliſſe, quod de Numa decretum erat, omnes confirmaſſe. Vterque, prius a Senatu Regem Numam eſſe lectum, videtur conſentire, de Populo, diſſentiunt mihi, in rebus Romanis, certior auctor Liuius eſt. Itaque illum ſequar potius, quam Plutarchum. Tullum Hoſtilium, Interrege Comitia habente, primum Tributis Comitijs Regem Populus iuſſit. Patres auctores facti, ſic enim poſt obitum Romuli Senatum decreuiſſe, Liuius ait cum de Rege creando poteſtatem Populo permiſit; adiecta condicione, vt cum Populus Regem iuſſiſſet, id ita ratum eſſet ſi Patres auctores fierent, eademq; in Anco Marcio

Rege

Digitized by Google

Rege creando ſeruata ratio eſt. Nec alio iure Priſcus Tarquinius Regnum accepit. Ser. Tullius iniuſſu Populi, voluntate Patrum, primus regnauit: qui tamen poſt aliquot annos, cum maxime omnium, qui Romæ regnarunt, rem Romanam præclaris factis, inſtitutiſque, & legibus ſaluberrimis, locupletaſſet, & conſtituiſſet; ipſe ad Populum tulit, vellent, iuberent ne ſe regnare, tantoq; conſenſu, quanto haud quiſquam alius ante, Rex eſt declaratus. Nec dubium eſt, quin Centuriaris Comitijs, quæ ipſe inſtituerat non vt tres ante illum proximi Reges, Tributis, creatus ſit. L. Tarquinius, cui Superbo cognomen a factis fuit, vnus neque Populi iuſſu, neque Patribus auctoribus, regnauit. Regno ſublato, & Republica conſtituta, a minoribus Magiſtratibus Tributa Comitia habita ſunt: quos Tributis Comitijs creatos, ex libro M. Meſſallæ de Auſpicijs primo, Gellius lib. XIII. docet, nec tamen ab omnibus plane minoribus habebantur, ſed ab ijs, quorum inter minores poteſtas maior erat, ideſt a Quæſtore a Tribuno Pl. ab Aedili plebeio, atque etiam a Curuli. Nam, Cn. Flauium Aedilem Curulem, Tributis Comitijs creatum, Aedili Comitia habente, patet ex Hiſtoria L. Piſonis, quam lib. VI. idem Gellius recitat. Nam quod Tributis Comitijs, quæ creandis Quæſtoribus habebantur, vnus ex quattuor Tribunis mil. Conſulari poteſtate A. Sempronius Atratinus præfuerit: (ſic enim ſcribit Liuius lib. IV.) id factum eſt, quia Quæſtores, anno peracto, Magiſtratu exierant, cum propter Plebis, Patrumque contentiones, Comitijs omnibus dilatis, ad Interregnum deducta res eſſet; primum enim ab Interrege Tribuni mil. Conſulari poteſtate, qui ſummus erat Magiſtratus, creati ſunt: deinde cum qui Comitia Quæſtoribus creandis haberent, Quæſtores non eſſent, habuit vnus ex ipſis Tribunis Sempronius Atratinus: ſed hoc extra ordinem, caſuq. ita ferente, factum eſt, illud ex ordine, & conſuetudine,

quod cum & de ſingulis Magiſtratibus, & de ijſdem candidatis, bina Comitia habita ſint, vt in Oratione II. in Rullum, & in ea pro Plancio, & in Pediano, legimus, priora Tributa de Minore Magiſtratu a Conſule habita ſunt: quod cum e Ciceronis epiſtola ad Atticum lib. IV. conijci videtur poſſe, in qua Milonis Tribuni pl. obnunciatione factum eſſe ſcribit, ne Metellus Conſul Aedilium Curulium Comitia potuerit habere: tum hæc in Oratione pro Plancio verba declarant. Sed, cur ego ſic ago? quaſi non Comitijs iam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus Aedilis, quę Comitia primum habere cœpit Conſul, tum omnibus in rebus ſumma auctoritate, tum harum ipſarum legum ambitus auctor: deinde habere cœpit ſubito, præter opinionem omnium; vt ne ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpatium comparandi, vocate tribus latum ſuffragium: deſcriptæ: renunciatæ longe plurimum valuit Plancius. Quibus verbis, cum bina fuiſſe Tributa Comitia de minore Magiſtratu, tum a Conſule priora eſſe habita, manifeſtum eſt. Poſteriora vero, quin a minore Magiſtratu habita ſint, cum exempla exſtent permulta, dubitare non licet, Aedilicia ſcilicet ab Aedili; Tribunicia, a Tribuno: Quæſtoria, a Quæſtore. De binis autem Comitijs, ego ita ſtatuo: neminem geſſiſſe magiſtratum, niſi quem Populus, bis ſuffragijs latis, Magiſtratu dignum iudicaſſet. Quod ſi priora comitia poſterioribus comprobarentur: Magiſtratum habebat is, qui vtriſque Comitijs probatus eſſet. ſin a prioribus poſteriora diſſentirent; iacebat Candidatus is, in quem prioribus Comitijs Populi voluntas inclinauerat, rurſuſq; de alio Candidato ſuffragia ferebantur, eadem, qua dixi, ratione, vt omnino binis de eodem Candidato Comitijs iudicium Populi cognoſceretur, ſed opinor, admodum raro factum eſſe, vt, quod prioribus Comitijs Populus voluerat, id poſterioribus repræhenderetur. Factum tamen aliquando eſſe, videntur illa verba ſignifi-

care,

Digitized by Google

care, quæ ſunt in Oratione pro Plancio. Quo quidem tempore, ſi id, Laterenſis, facere voluiſſes; aut ſi grauitatis eſſe putaſſes tuæ; quod multi nobiles ſæpe fecerunt; vt, cum minus valuiſſent ſuffragijs, quàm putaſſent, poſtea; prolatis Comitijs, proſternerent ſe, & Populo Romano, fracto animo, atque humili ſupplicarent: non dubito, quin omnis ad te conuerſura ſe fuerit multitudo. Numquam enim Nobilitas, integra præſertim, atque innocens, Populo Romano ſupplex, repudiata fuit. Pedianus autem, cum de binis Comitijs meminit, cur dixerit in vtriſque rogatas eſſe Tribus, quos vellent Conſules fieri; valde mirarer, niſi corruptum eſſe locum exiſtimarem, vix enim credibile eſt, Pedianum ignoraſſe, quod in omnibus veterum libris ſcriptum videmus, Conſules à Centurijs creatos eſſe, quare, peritum antiquitatis hominem tam pueriliter erraſſe, mihi quidem perſuaderi non poteſt, mendum ſubeſſe, & aliquid fortaſſe deſiderari, facile crediderim, cuiuſmodi, & alia in illius Commentarijs loca animaduertimus. Erant igitur, vt dixi, de minore Magiſtratu bina Tributa Comitia; priora, a Conſule; poſteriora, à minore Magiſtratu habita: priora, infirma, niſi poſterioribus comprobarentur; poſteriora, poteſtatis abſolutæ; vtraque, ſine Senatus Conſulto; dicerem, & vtraque ſine Auſpicijs, non hoſtijs immolatis, non ſacris perfectis; quæ omnia præijſſe Centuriatis Comitijs, duobus libris, IX. & X. Dionyſius ſignificat. Sed perturbor Meſſallæ Auguris auctoritate: cuius hæc ſunt verba libro I. de Auſpicijs, quæ lib. XIII. Gellius recitat: Patriciorum Auſpicia in duas ſunt poteſtates diuiſa, maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum, reliquorum Magiſtratuum minora ſunt Auſpicia; ideo illi Minores, hi Maiores, Magiſtratus appellantur. Ex his verbis, Minores quoque Magiſtratus auſpicato creatos eſſe, conſtat, qui cum Tributis Comitijs creati ſint, ſequitur, vt in Tributis Comitijs, contra quam ſentire Dionyſius videtur, auſpicia ſeruarentur.

Aut

Aut igitur Meſſalla, aut Dionyſius errauerit, neceſſe eſt. Ita videtur. Sed, cum iiſdem temporibus vterque fuerit, & vterque non ſolùm de more maiorum, ſed etiam de ſui temporis conſuetudine, loquatur: nos, qui ab illorum ætate tam longe diſtamus, de tantis viris ſententiam ferre, impudentiæ eſt. Ego quidem, quod ad me attinet, tantùm abeſt, vt alterutrum damnem, vt, me potius hebetem eſſe ad intelligendum, quam illos imperitos, aut mendaces, in ſcribendo, confitear. Sed, quoniam eſt inſtituti mei; primum, dubitationibus eorum ingenia, qui hæc noſtra legerint, acuere, atque exercitare; deinde aliquid afferre, quod ad tollendam dubitationem ita valeat, vt ea valere ſolent, quæ probabilia videntur: alterum cum iam fecerim, alterum aggrediar: obiectamque dubitationem vt de medio tollam, pro viribus enitar. Magiſtratus erant Romæ, tum Patricij, tum Plebeij: Patricij dicebantur, qui primo de Patribus creati; Plebeij, qui de Plebe. Ex his, Minores erant, Quæſtor, Aedilis pl. Tribunus pl. Aedilis Curulis; Maiores, Prætor Conſul, Cenſor: Minorum, alij Patricij, alij Plebeij; Maiores, Patricij omnes. De Minoribus erant Patricij, Quæſtor, & Aedilis Curulis; Plebeij, Aedilis pl. Tribunus pl. De Quæſtoribus, teſtem habeo Liuium lib. IV. cum ait: Conſulibus Tribuni pl. certamen intulerunt, vt pars Quæſtorum (nam ad id tempus Patricij creati erant) ex plebe fieret. De Curulibus Aedilibus, idem Liuius lib. VI. in extremo, & libro VII. in principio, ſcriptum reliquit. Cum igitur ait Dionyſius lib. IX. Tributa Comitia ſine Auſpicijs fuiſſe: intelligit ea Comitia, quæ Plebeijs Magiſtratibus creandis haberentur: qui enim Voleronis lex, de qua tunc Dionyſius agit, ad omnes Minores Magiſtratus, tam Patricios, quam Plebeios, pertinuit, id eſt ad Quæſtorem, Aedilem pl. Tribunum pl. Aedilem Curulem; cum eo tempore non à Populo, ſed à Conſulibus Quæſtores fierent; Curules autem Aediles nondum eſſent inſtituti? Nam,

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtores creari à Populo cœptos eſſe anno poſt Vrbem conditam LXIII. ideſt multis poſt latam à Volerone Legem annis, legimus in hiſtoria Taciti lib. XI. hunc enim potius ſequor, quam Iunium Gracchanum, quem nominat Vlpianus, contra ſentientem. Fuit igitur Voleronis Lex de plebeijs tantùm Magiſtratibus, ideſt de Aedili pl. & Tribuno pl. quod tum à Liuio lib. II. ſignificatur his verbis: Rogationem Volero tulit, vt Plebeij Magiſtratus Tributis Comitijs fierent: tum ab ipſo Dionyſio confirmatur lib. X. cum ait: Ab eo tempore ad hanc diem in Tribunorum, Aediliumque Comitijs, ſine Auſpicijs, ſine vlla religione, Populus Tribunicia ſuffragia fert. Conſentit igitur cum Liuio Dionyſius: quia de Minoribus Magiſtratibus plebeios tantùm nominat, omiſſis Quæſtore, & Aedili Curuli, qui poſt Voleronis Legem à populo creati ſunt. Quod ſi Plebeij tantùm Magiſtratus ex Voleronis Lege, & Tributis Comitijs, & ſine Auſpicijs, creati ſunt: ſequitur, vt Minores reliqui Magiſtratus, qui erant Patricij, auſpicato creati videantur; de quibus intellexit Meſſalla, cum dixit: Reliquorum Magiſtratuum Minora ſunt Auſpicia. Dixit enim non de cunctis Minoribus, ſed de Minoribus Patricijs: Dionyſius autem nec ipſe de Minoribus cunctis, qui deinde in Republica fuerunt, ſed de cunctis, qui, cum Volero Legem tulit, Minores erant: quos, fuiſſe Patricios, diximus. Nam, ſi de cunctis minoribus intellexiſset, non In Tribunorum, Aediliumque Comitijs, dixiſset, ſed In minorum Magiſtratuum Comitijs. Cum igitur de minoribus Magiſtratibus ſolos Plebeios nominauerit: ſatis arguit, eorum, quos non nominat, diuerſam condicionem fuiſse. Ergo, vt de Tributorum Comitiorum Auſpicijs concludamus: Tributa Comitia dicemus, ſi minores Plebeij Magiſtratus crearentur, ſine auſpicijs habita eſse, & ſine Senatus Conſulto; quod Dionyſius ait: ſin minores Patricij, ſemper quidem ſine Senatus Conſulto, numquam

tamen

tamen ſine auſpicijs: quorum alterum Dionyſius aperte narrat, alterum Meſsalla non obſcure ſignificat. Pergo ad reliqua. Dixi, Tributa Comitia in minore Magiſtratu creando etiam à Conſule eſse habita. Nunc illud addo, quod mirandum magis videri poſſit, in maiore Magiſtratu creando habita eſse Liuium ſignificare, qui lib. v. ita ſcripſit: Omnes ex collegio eiuſdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genucium, L. Atilium, qui prius quam renunciarentur iure vocatis Tribubus permiſſu Interregis P. Licinius Caluus ita verba fecit. Cur in Tribunis militum conſulari poteſtate creandis, qui maior erat Magiſtratus, cum Proconſules eſſent, Tribus nominat? cum maiores omnes Magiſtratus non à Tribubus, ſed à Centurijs, fieri ſolitos eſſe, quamplurimis doceamur exemplis. Ego ſic exiſtimo: Cum ſinguli Magiſtratus, ſiue maiores, ſiue minores, binis Comitijs fierent: quod iam probatum eſt; in minore Magiſtratu creando vtraque fuiſſe Tributa Comitia; in maiore neque vtraque Tributa, neque vtraque Centuriata, ſed priora Tributa, poſteriora Centuriata fuiſſe. Quod autem opinor, facile veterum teſtimonio comprobatur, nam de binis Tributis, in minore Magiſtratu, ſignificant illa, quæ iam ex Oratione pro Plancio recitauimus, de Tributis autem, & Centuriatis, in maiore, vel hic ipſe Liuij locus declarat. Nominat enim Tribus, cum priora Comitia intelligit. Centurias autem etſi non nominat, eas tamen ſuffragium in poſterioribus Comitijs tuliſſe, dubium non eſt, qui enim Centuriatis Comitijs creari Maiores Magiſtratus dicerentur, ſi neque in prioribus, neque in poſterioribus, Comitijs Centuriæ ſuffragium ferrent? Hæc ipſa de maiore Magiſtratu bina Comitia, Tributa, & Centuriata, videtur Cicero in II. Agraria ſignificare, cum ait: Me non extrema Tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neque ſingulæ voces præconum, ſed vna voce vniuerſus Populus Romanus Conſulem decla-

Digitized by Google

declarauit. Nam, cum ait, Extrema Tribus ſuffragiorum; ſignificat nonnullos ita Conſules eſſe factos, vt à repulſa minimum abfuerint: cum ex xxxv. Tribubus Conſulatum detuliſſent xvii. & item xvii. negaſſent, vna vero, quæ ſuffragium extrema tulit, trigeſima quincta ad ſuffragantes xvii. Tribus inclinans, legitimum numerum confeciſſet. In meis, inquit, Comitijs non ea Tribus, quæ ſuffragium extrema fert, me Conſule fecit, ſed magno concurſu primæ ſingulæ Tribus, ita non varie, vt extremæ Tribus ſuffragia expectare neceſſe non fuerit. Significat etiam Liuius lib. ix. M. Liuium Salinatorem, & Conſulem, & Cenſorem, à Tribubus eſſe factum. Ait enim ſic: M. Liuius in ærarium venit; &, præter Mæciam Tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatum, aut Conſulem, aut Cenſorem, feciſſet Populum Romanum omnem, quatuor, & triginta Tribus ærarios reliquit; quod & innocentem ſe condemnaſſent, & condemnatum Conſulem, & Cenſorem feciſſent, neque inficiari poſſent, aut iudicio ſemel, aut Comitijs bis, ab ſe peccatum eſſe. Notauimus, & in Oratione pro Milone locum; quo ex loco planum fit, non Centurias modo, verum etiam Tribus, in Conſularibus Comitijs ſuffragia tuliſſe. Occurrebat, inquit de P. Clodio, mancam, ac debilem, Præturam ſuam futuram Conſule Milone, cum porro ſummo conſenſu Populi Romani Conſulem fieri videbat, contulit ſe ad eius competitores, ſed ita, totam vt petitionem ipſe ſolus etiam inuitis illis gubernaret; tota vt Comitia ſuis, vt dictitabat, humeris ſuſtineret, conuocabat Tribus: ſe interponebat: Coloniam nouam, delectum perditiſſimorum ſcribebat Ciuium. Conuocabat enim Clodius Tribus, vt Scipioni potius, & Hypſæo, quam Miloni, & Scipioni, aut Miloni, & Hypſæo, Conſulatum demandarent, prioribus ſcilicet Comitijs: nam, poſteriora omnino fuiſſe Centuriata, neceſſe eſt. Hoc ipſum, de binis Comitijs in maiore Magiſtratu creando ſi-

gnificat, & Plutarchus in Catone Vticenſi, ait enim, cum prima Tribus Catonem prætorem declaraſſet, Pompeium, tonitrua ſe audiuiſſe mentitum, Comitia diſſoluiſſe. Præturam igitur, qui Maior erat Magiſtratus, Tributis Comitijs datam, ſatis liquet: cum tamen, & Centuriata deinde eſſe habita, iam dixerim. Sæpe autem contigit, vt, Comitijs vtriſque perfectis, produceretur tamen res, ante quam renunciatus eſſe is, cui Magiſtratum Populus detuliſſet. Id ſignificant illa verba pro Milone: Vbi vidit homo, ad omne facinus paratiſſimus, fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum Conſulem; idq; intellexit non ſolùm ſermonibus, ſed etiam ſuffragijs Populi Romani eſſe declaratum: palam agere cœpit, & aperte dicere, occidendum Milonem. Quibus in Comitijs Populus Milonem Conſulem declarauit? nempe Conſularibus: quibus & Milo ipſe, & Scipio, & Hypſæus petebant, quæ cum ſæpe eſſent inſtituta, aut etiam habita; numquam tamen perfecta res eſt: vel, vt Pedianus ait, ob contentiones Candidatorum; cum aut inſtituta Comitia, in quibus Populi Romani ſtudium erga Milonem ex ipſis ſuffragijs appareret, perfici non ſinerent, aut iam perfectis, Conſulem Milonem a Conſule Comitia habente renunciari tumultu excitato non paterentur: vel quod ſæpe vſu venit, ob religionem ab aliquo Augure obiectam. Comitia enim iam habita reſcindi ſolere Augure renunciante, ſignificat his verbis Cicero lib. II. de Legibus: Quid maius eſt, ſi de iure quærimus, quam poſſe a ſummis imperijs, & ſummis poteſtatibus, Comitiatus, & Concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid grauius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi Augur, Alio die, dixerit? Malo enim ita legere ex Oratione II. in Antonium, quam, vt impreſſi libri habent, Aliter dixerit. Ob hanc ipſam cauſam, ter dilata eſſe cum iam ſuffragia Populus vniuerſus tuliſſet, Prætoria Ciceronis Comitia exiſtimo. Qua de

re

Digitized by Google

re ſic in ſuaſione Maniliæ rogationis: Cùm propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus Centurijs cunctis renunciatus ſum; facile intellexi, Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis. Habebantur & a Pontifice Tributa Comitia Pontifici maximo ſurrogando. Cuius rei notitia ex vna parte a Liuio, ex altera a Suetonio, & Plutarcho colligitur. Nam, præfuiſſe Pontificem ijs Comitijs, quibus Pontifex Maximus crearetur, indicat Liuius lib. xxv. his verbis: Comitia inde Pontifici Maximo creando ſunt habita, ea Comitia nouus Pontifex M. Cornelius Cethegus habuit. Hæc vero, quibus Pontifex Maximus crearetur, Tributa fuiſſe Comitia, Suetonij verba declarant: quæ ſunt hæc in C. Cæſaris vita: Pontificatum Maximum petijt, non ſine profuſiſſima largitione; potentiſſimoſq. duos competitores, multum & pietate, & dignitate, antecedentes, ſuperauit: vt plura ipſe in eorum Tribubus ſuffragia, quam vterque in omnibus tulerit. Idem & Plutarchus ſignificat: qui etiam duos illos Cæſaris competitores, quos Suetonius non appellat, ipſe nominat. Ait enim alterum fuiſſe P. Seruilium Iſauricum, alterum Q. Lutatium Catulum: quorum vtrumque Conſularem eo tempore fuiſſe, Seruilium etiam Triumphalem, ex annalibus conſtat. Quod ſi paululum mihi licet, meo more, dubitare, libenter quæram, Cethegus ille, a quo Pontifice Comitia habita Liuius ait, vtrum Pontifex pari cum multis dignitate, an vero Pontifex & ipſe Maximus, fuerit Pontificem fuiſſe Maximum non eſt, vt credi poſſit, nam ſi Maximus ipſe Pontifex eſt cur Pontifici Maximo creando habet Comitia? an, vt eſſent eodem tempore duo Pontifices Maximi? hoc quidem abſurdum magnopere eſt ſin non fuiſſe Maximum Pontificem Cethegum, ſed vnum de Collegio Pontificum, dicemus: a Liuio diſſentiemus: qui aliquanto ante illa verba, quæ iam recitauimus, eodem libro ſic ait: Aliquot

publici Sacerdotes mortui eo anno ſunt, L. Cornelius Lentulus Pontifex Maximus, & C. Papirius C. F. Maſſo Pontifex, & C. Furius Philus Augur, & C. Papirius L. F. Maſſo Decemuir Sacrorum in Lentuli locum C. Cornelius Cethegus, in Papirij Cn. Seruilius Cæpio Pontifices ſuffecti ſunt. Et deinde reliqua. Non obſcure ſignificat, factum eſſe Cethegum Pontificem Maximum; ſi quidem in locum Lentuli, qui Pontifex Maximus fuerat, ſuffectus eſt. Tollitur dubitatio ſic. Duo Pontifices erant, qui Maximi dicebantur, impari tamen dignitate: alter, qui Sacerdotibus omnibus, Sacriſque præerat, qui Tributis Comitijs creabatur, alter, qui non a dignitate, ſed a Sacerdotij vetuſtate Maximus appellabatur, quod in Collegium Minorum Pontificum primus veniſſet, quo mortuo non dicebatur Maximus, is qui ſurrogatus eſſet, ſed tantummodo Pontifex: quia, quod cognomen vetuſtas Sacerdotij dabat, id in eum, qui poſtremus eſſet cooptatus, conferri ſimul cum Sacerdotio non poterat, & hoc eſt cauſæ, cur Liuius, cum L. Cornelium Lentulum Pontificem Maximum nominauerit, non ſubiungit de Cethego potifice Maximo in Lentuli locum ſuffecto: ſed tantùm ait, eum Pontificem eſſe factum, eiuſque, & Cn. Seruilij Cæpionis dignitatem adæquat, quia pontifices ſimul nominat, ſine vlla diſtinctione cognominis, quod Lentulus vetuſti iure Sacerdotij habuerat. De quo, ne quis hæc me per ſomnij phantaſmata putet inueniſſe. Feſti verba recitabimus. Is igitur hæc de duobus Maximis pontificibus: Maximus pontifex, quod maximus rerum: quæ ad ſacra, & religiones pertinent, iudex ſit, vindexq; contumaciæ priuatorum, Magiſtratuumque. Minorum Pontificum Maximus dicitur, qui primus in id Collegium venit, item Minimus, qui nouiſſimus. Semel etiam Tribunorum pl. Comitijs, quæ Tributa fuiſſe diximus, Pontificem Maximum præfuiſſe, legimus in Liuio lib. III. cum enim ad ſedandas

dandas diſcordias inter Senatum, plebemque, conueniſſet, vt decem Tribuni pl. crearentur: cenſuit Senatus, vt Q. Furius Pontifex Maximus, quod Magiſtratus nullus erat, Tribunos pl. crearet: quod præter Liuium, ſcripſit etiam Cicero in Oratione pro C. Cornelio, & interpræs Pedianus Pontificem Maximum, cuius nomen Cicero non ponit, ait fuiſſe M. Papirium: cum Liuius Q. Fuſium appellet. Iam igitur oſtendimus, a Quæſtore, ab Aedili pl. a Tribuno pl. ab Aedili Curuli, qui Minores Magiſtratus erant, item a Conſule, a Pontifice, Tributa Comitia eſſe habita. Reliquum eſt, an a prætore haberentur, vt conſideremus. Tributa Comitia prætoribus creandis prætor non habebat: non ſolum ob eam cauſam, quia prætura, quæ Minores inter Magiſtratus erat, non Tributis, ſed Centuriatis Comitijs dabatur: verum etiam, quia non a prætore, ſed a Conſule, Prætoria Comitia habebantur, quod cum Meſſalla docet in libro de Auſpicijs apud Gellium, tum Liuius exemplo confirmat in libro XXXIX. Ob has igitur cauſas Minoribus creandis Magiſtratibus Tributa Comitia Prætor non habebat. Deſcendamus ad Minores. Aedilis Curulis, qui fuit Magiſtratus inter Minores honoratiſſimus, quia ſella Curuli ſolus ſedit, & ordine petitionis vltimus erat, non a prætore, ſed ab Aedili Curuli creabatur, quod exemplo Cn. Flauij, e Piſonis hiſtoria, iam oſtendimus. Tribunus pl. & ipſe non a prætore, ſed a Tribuno pl. creabatur. Cuius rei cum argumenta, ac teſtimonia veteris hiſtoriæ multa ſunt, tum apud Liuium lib. III. expreſſa de Duillio Tribuno pl. Tribunicia Comitia habente mentio eſt, Aedilem pl. cum ante Præturam Aedilitas pl. multis annis Romæ fuerit, numquam a Prætore creatum crediderim, ſed ab eo Magiſtratu, a quo creatus ab initio eſt, nec vero dubitauerim, quin is fuerit Tribunus pl. quandoquidem & petentibus Tribunis pl. ijs, qui primi facti ſunt, tamquam eorum admini-

miniſtros, creatos eſſe Aediles pl. Dionyſius lib. vi. prodidit, & plebeium Magiſtratum a Plebeio potius, quam a Patricio creatum eſſe facile crediderim. Plebeius autem, qui Aedilium pl. Comitijs præeſſet, excepto Tribuno pl. Magiſtratus erat nullus. Nam, vt ipſi Aediles inſequentis anni Aediles crearent, minus veriſimile eſt, quam ſi de Tribubus pl. opinemur quos enim creari ſuæ poteſtatis adminiſtros voluerunt, vt ex Dionyſio iam oſtendimus eorum Comitia cur ipſi habere noluerint, non video. Quæſtorum Comitia ne ipſa quidem a prætore, qui multis annis poſt Quæſtores creatos inſtitutus eſt, ſed aut a Conſule, aut a Quæſtore ipſo habita crediderim. Nam a Tribuno pl. aut ab Aedili pl. hoc eſt Magiſtratu plebeio, patricium Magiſtratum eſſe factum (erat enim inter Magiſtratus Patricios Quæſtura) veriſimile non videtur, infra Quæſturam erant alij Minores Magiſtratus, Triumuiri Capitales, Triumuiri Menſarij, Triumuiri Monetales: quos nominabimus in libro de Magiſtratibus, hi ſi coniecturæ locus eſt, a prætore Tributis Comitijs omnes creati ſunt. Duco autem coniecturam a ſimili. Nam apud Liuium lib. xxv. ſcriptum video, Prætorem Vrbanum ijs Comitijs præfuiſſe, quibus creati ſunt. Quinqueuiri muris, turribuſque, reficiendis, & Triumuiri bini, vni ſacris conquirendis, doniſq. perſignandis, alteri reficiendis Aedibus Fortunæ, & Matris, Maturæ & Spei, & Feſtus Pompeius ex Lege L. Papirij Tribuni pl. verba recitat: quæ Treuiros Capitales a prætore Vrbano Comitijs creatos ſignificant. Quod cum ita ſit: de cæteris infra Quæſturam Minoribus Magiſtratibus, non abſurde, vt opinor, idem exiſtimabitur. Inuenio tamen, & ab Interrege habita Tributa Comitia Tribunis mil. conſulari poteſtate creandis; & a prætore Vrbano, cum Triumuiros Capitales, aut Præfectos opidorum deſignari vellet.

Comi-

Comitia Tributa quibus locis habita ſint.

QVemadmodum Tributa Comitia, modo Magiſtratuum, modo Legum, cauſa, ſic modo in Foro, modo in Campo Martio, habebantur: in Foro, cum Leges ferebantur; in Campo, cum Magiſtratus creabantur. Legimus & in Capitolium, ad accipiendas Leges Populum tributim conueniſſe, ſed Capitolium intra Fori terminos fuiſſe, ex P. Victoris libello, de Regionibus Vrbis Romæ perſpicuum fit, Ac de Legibus in Foro latis, Populo tributim conuocato, ita crebra eſt in antiquorum libris mentio, vt exempla recitare, ſuperuacaneum videatur, quas enim rogationes Tribuni pl. tulerunt, omnes tum Tributis Comitijs, tum in Foro, latas eſſe, animaduertimus. De Tributis autem Comitijs in campo Martio habitis, extant hæc Ciceronis verba in I. ad Atticum epiſtola: In campo Comitijs Tribunicijs ad XVI. Kal. Sext. competitores, qui certi eſſe videbantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. Tribunicia enim fuiſſe Tributa, ex Gellio patet: qui, præter Prætorem, Conſulem, cenſorem, reliquos ait & fuiſſe Minores Magiſtratus & Tributis comitijs creatos. Alterum exemplum eſt item ad Atticum lib. IV. his verbis: In campo Martio ſæpta Tributis Comitijs marmorea ſumus, & tecta facturi.

Comitia Tributa quo tempore haberentur.

CVm, ineundis Magiſtratibus non eundem diem per omnia Reip. tempora ſeruatum eſſe, videam: ſequitur, vt nec eundem menſem habendis Comitijs legitimum fuiſſe, exiſtimem, quo autem menſe Maio-

res

res Magiſtratus Centuriatis Comitijs deſignati ſunt, eo Minores quoque Tributis eſſe deſignatos facile aliquis poſſit conijcere. Ego autem hoc non omnino per omnia Reip. tempora ſeruatum exiſtimo, ſed tantùm per ea tempora, cum Kalendis Ianuarij Conſules Magiſtratum inierunt, cum enim Conſulatus capiendi legitimus dies fuit Kalendæ Sextilis, aut Idus Maij, aut Idus Decembris, aut Kalendæ Octobris, aut Idus Martij: (his enim diebus Conſules, aut Tribunos mil. Conſulari poteſtate, Magiſtratum iniuiſſe, in libro de Magiſtratibus oſtendemus) tunc, eodem menſe omnia omnium Magiſtratuum Comitia eſſe habita, credibile non eſt. Aſſenſerim fortaſse de Minoribus Magiſtratibus, qui Patricij eſsent, ideſt de Quæſtore, & Ædili Curuli: ſed in deſignandis minoribus plebeis diuerſam puto rationem fuiſſe, verbi cauſa. Ineunt Magiſtratum Conſules Idibus Martijs: quod diù ſeruatum eſt, ergo ante Idus Martias deſignati ſunt. Tribuni pl. non Idibus Martijs, ſed IV. idus Decembris Magiſtratum inierunt: quod, ab initio Tribuniciæ poteſtatis inſtitutum, numquam deinde eſt immutatum. An ante Idus Martias ipſos quoque deſignatos eſſe dicemus? veriſimile non videtur, nouem enim menſibus ante diem ineundi Magiſtratus deſignati fuiſſent, eoq; etiam amplius, quo longius ab ineundi Magiſtratus die Maiorum Magiſtratuum Comitia diſtabant, non enim ſtatim poſt deſignationem Magiſtratum Conſules, aut alij Maiores Magiſtratus inibant, idq; iam tum vſitatum fuiſſe, cum Decemuiri creati ſunt, ſignificat libro III. Liuius his verbis: Decemuiri creati Ap. Claudius, T. Genucius, P. Seſtius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, P. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſtumius. Claudio, & Genucio, quia deſignati conſules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus. Diſtinguendum igitur, & ita ſtatuendum: Tributa Comitia, ſi Patricij Minores Magiſtra-

tus

ſus deſignarentur, eodem tempore, quo Centuriata, eſſe habita: ſin Plebeij, multo poſt, idq; tam diu ſeruatum fuiſſe, crediderim, quamdiu Maiores Magiſtratus aliquot menſibus ante Minores Magiſtratum inierunt: nam cum aut Idibus Decembribus, aut Kalendis Ianuarijs, aut etiam fortaſſe Kalendis Octobribus Conſulatus initium fuit: tunc, eodem menſe omnes Magiſtratus eſſe deſignatos; ſiue maiores eſſent, ſiue minores, conſentaneum eſt. Poſtremis quidem Reipublicæ temporibus, Quinctilem deſignandis cunctis Magiſtratibus legitimum fuiſſe menſem, ex epiſtola I. Ciceronis ad Att. ſatis conſtat, quæ ipſa æpiſtola, Tribunorum pl. Comitia ante Conſularia eſſe habita ſignificat: credo, propter eam cauſam; quia quemadmodum Tribuni pl. Magiſtratum ante Conſules inibant, ſic ante Conſules deſignari æquum fuit, inibant autem Conſules, Ciceronis ætate, Magiſtratum Kalendis Ianuarij: quod ſtudioſi norunt omnes: Tribuni vero IV. Idus Decembris, quod Liuius indicat libro XXXIX. his verbis: Antiatem auctorem refellit Tribunus pl. M. Næuius: aduerſus quem Oratio inſcripta P. Africani eſt. Næuius hic Magiſtratum non inijt P. Claudio, L. Porcio Conſulibus, ſed inijt Ap. Claudio, M. Sempronio Conſulibus, ad IV. Idus Decembris, inde tres menſes ad Idus Martias ſunt, quibus P. Claudius, L. Porcius Conſulatum inierunt. Cuius loci auctoritate videtur Dionyſij locus poſſe corrigi, nam libro VI. de primis Tribunis pl. ſic ait: Δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες ἡμέρα τετάρτη πρὸ τριῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. Scripſit, opinor, Dionyſius, πρὸ τῶν εἰδῶν, non, vt impreſſum eſt in vulgatis libris, πρὸ τριῶν εἰδῶν. Quis enim vmquam ſic locutus eſt, aut quid omnino ſignificat, Ἡμέρα τετάρτη πρὸ τριῶν εἰδῶν? At vero, ſi legas, Ἡμέρα τετάρτη πρὸ τῶν εἰδῶν, aperta, & Latinis etiam hominibus vſitata, locutio erit: nam, Die quarto ante Idus, &, ante diem IV.

Digitized by Google

Idus, & ad IV. Idus, & IV. Idus, cum dicimus, veterem loquendi conſuetudinem imitamur, & eundem diem ſignificamus. Neque vero Pediani verba vacare mendo exiſtimauerim, vbi explanat illud ſecundæ Orationis in Verrem: P. Sulpicius Magiſtratum ineat neceſſe eſt nonis Decembribus, ait enim, Sulpicium eo die Tribunum pl. futurum. Quod certe ſi ita ſcripſit Pedianus, imperite ſcripſit, ſed culpam in librarios potius conferamus, qui libros mendoſiſſime ſcribere conſueuerunt, non enim ignotum Pediano potuit eſſe, Tribunos pl. Magiſtratum iniuiſſe IV. Idus Decembris: præſertim cum id perpetuo ſeruatum ſit, iam ab eo tempore, quo Tribunicia poteſtas Romæ eſt inſtituta. Itaque dixit Dionyſius, Ὡς περ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. Aut igitur ex ipſa conſuetudine, quæ numquam immutata eſt, aut ex Liuio, ac Dionyſio facile fuit Pediano cognoſcere, non nonas Decembris, ſed IV. Idus Decembris, legitimum ineundi Magiſtratus diem Tribunis pl. fuiſſe. Præterea, cur de mendo ſuſpicer, etiam illud facit, quod, ſi Tribunus pl. deſignatus fuiſſet Sulpicius, nominaſſet illum Cicero cum Manlio, & Cornificio, non enim partite dixiſſet, ſicuti dixit, Q. Manlium, & Q. Cornificium, duos ſeueriſſimos, atq; integerrimos iudices, quod Tribuni pl. tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpicius, iudex triſtis, & integer, Magiſtratum ineat neceſſe eſt nonis Decembribus. Non, inquam, a duobus Tribunis pl. Manlio, & Cornificio, Sulpicium, ſi & ipſe Tribunus pl. eſſet deſignatus, ſeiunxiſſet, ſed vna omnes nominaſſet. Nec leue etiam illud eſt argumentum, ad indicandam, Pediani dicam, an librarij, culpam; quod Sulpicius, qui fuit e gente Patricia, Tribunus pl. eſſe non potuit: cum Tribunatus pl. ſolis Plebeijs daretur.

Digitized by Google

Comitia Tributa quibus de cauſis haberentur.

TRibuta Comitia tum ad Magiſtratus creandos, tum ad Leges ſciſcendas, habita eſſe, exempla declarant, dicerem, & ad Bella iubenda; niſi legis nomen ita late patere cognouiſſem, vt etiam actiones de Bello indicendo compræhenderet, quidquid enim Comitijs ageretur, de eo Populus rogabatur; & rogantis actio Rogatio dicebatur. Rogationem autem Legis nomine appellatam eſſe, ſicuti & Legem Rogationis, ex Gellij libro x. & ex ipſo veterum teſtimonio, notum eſt. Magiſtratus non omnino omnes Tributis Comitijs creabantur, ſed ij dumtaxat, qui minores dicebantur: qui erant, vt etiam dicemus in libro de Magiſtratibus, Quæſtura, Aedilitas pl. Tribunatus pl. (etſi, Magiſtratum fuiſſe, Plutarchus negat; ſed Magiſtratum tamen & Cicero, & hiſtorici nominant) Aedilitas Curulis: præterea Centumuiri litibus iudicandis, Triumuiri Capitales, Triumuiri nocturni, Triumuiri monetæ cudendæ, Quæſtores Patrici, Tribuni Aerarij, Tribuni militum comitiati, & alij, opinor, quos omnes illa verba ſignificant, quæ ſunt apud Ciceronem libro III. de Legibus: Minores Magiſtratus partiti iuris plures in plura ſunto. Quem locum, ſi ita legatur, non eſſe mendoſum, vt nonnullis viſum eſt, oſtendemus in libro de Magiſtratibus: qui erit ad III. Librum Ciceronis de Legibus quaſi Commentarius. Præfectos etiam Opidorum, non omnes tamen, ſed aliquot, in hunc ordinem refero: quia creatos à Populo legimus in Feſto. Nec dubitandum eſt, quin & ea Tributa fuerint Comitia; quibus Triumuiros daducendis Colonijs in Capitolio creatos eſſe, ſcripſit Liuius libro XXXIV. qui, etſi Tributa non nominat; quia tamen habita in Capitolio

Digitized by Google

dicit, ſatis apertè declarat Tributa fuiſſe, nam Centuriata non in Capitolio, ſed extra Vrbem in Campo Martio, habita eſſe, ex Dionyſio, Liuio, Cicerone, Gellio, ſatis liquet. Vt omittam, quod in Gellio legimus, Centuriatis Comitijs tantùm eos Magiſtratus, qui Maiores dicebantur, eſſe deſignatos. Quod cum ita ſit: ſequitur, vt reliquos omnes Tributis Comitijs Populus creauerit. Pontificem quoque Maximum, qui tamen non Magiſtratus, ſed honor fuit, cum in Liuij libro xxxv. Comitijs creatum legerem, de Tributis accipiendum putaui: quia Cæſarem Tributis Comitijs maximum Pontificem eſſe factum, e Suetonio, Plutarcho, Dione cognouimus. Sed de Pontificis Maximi, ac reliquorum Sacerdotum creatione in duobus libris, de Legibus, & de Religione, haud paulo fuſius agemus. Nunc quando, propoſitis Tributorum Comitiorum cauſis eam, quæ ad Magiſtratus attinebat, explicauimus; alteram, quæ ſupereſt, de Legibus, aggrediamur. Legum cauſa Tributa Comitia habebantur; ſiue de iure ciuili Lex ferretur, ſiue de criminibus vindicandis, ſiue de Bello indicendo, ſiue de Prouincia mandanda, ſiue de Pace facienda, Fœdere ve percutiendo, ſiue de Imperio abrogando, ſiue de Ciuitate danda, ſiue de capite Ciuis. Legis enim nomine continebatur, quidquid horum cum Populo ageretur. Neque vero id, quod dixi, generale eſt, vt ijs omnibus de rebus, quas nominaui, Leges omnes Tributis Comitijs ferrentur. Nam, vt incipiam a Iure Ciuili, & a criminibus; quæ vtraque priuati Iuris ſunt; vt in libro de Legibus oſtendemus: Leges XII. Tabularum, in quibus dubium non eſt de iure priuato fuiſſe multa, Centuriatis Comitijs latas eſſe Legimus, de Bello autem indicendo quod dixi, ita recte dictum affirmo, ſi ſic accipiatur, Tributis non ſæpe eſſe actum, centuriatis ſæpiſſime, vt cum Veientibus indictum bellum eſt, conſulibus A. Cornelio Coſſo, T. Quinctio Pœno iterum;

Digitized by Google

rum ; & Philippo Macedonum Regi, Ser. Sulpicio Galba, C. Aurelio conſulibus, & Perſeo Philippi filio, P. Licinio C. Caſſio conſulibus. Quæ Liuij tribus libris, IV. XXXI. XLII. notauimus. Tributis autem comitijs aduerſus Veliternos bellum eſſe iuſſum, idem Liuius libro VI. tradidit, ſed ſiue Tributis, ſiue Centuriatis comitijs de bello actum eſt; ſemper prius Senatum eſſe conſultum, deinde ad Populum latum idem, quo tam ſæpe vtimur teſte, Liuius dixit libro XLII. De Prouincia mandanda neque ſemper Tributis, neque ſemper Centuriatis comitijs actum eſt. Tributis actum eſſe, cum Q. Fabio Maximo Etruria Prouincia decreta eſt, libro X. Liuius oſtendit; centuriatis, cum P. Scipionem, eum qui Africanus poſtea dictus eſt, Proconſulem in Hiſpania eſſe Populus iuſſit, idem Liuius libro XXVI. tradidit. Sequuntur tria capita, de Pace facienda, Fœdere percutiendo, Imperio abrogando. In his exceptioni locus non eſt. Leges enim omnes, quæ ad hæc ſpectarent, Tributis comitijs latas eſſe, hiſtoriæ demonſtrant Tantùm illud quæſtione dignum videri poteſt; cur cum de bello, aduerſus Philippum, Macedonum Regem, inferendo Centuriatis Comitijs eſſet actum; quod apud Liuium libro XXXI. ſcriptum eſt: mox de pace cum eodem facienda Tributis comitijs actum ſit; quod libro XXXIII. apud eundem Liuium obſeruauimus; mihi hoc videtur fuiſſe cauſæ; quod cum centuriata Comitia Tributis dignitate præſtarent; inq; ijs Maiores Magiſtratus creari mos fuerit; Senatus, ſiquid grauius agendum eſſet, Centuriatis potius, quam Tributis committebat, grauiorem autem fuiſſe actionem de Bello, quam de Pace, nemo dubitat. Tunc enim agebatur de bello ſuſcipiendo: cum aut, niſi ſuſciperetur, aditura periculum Reſp. videretur; aut iniurias alicuius vlciſci, ad populi R. dignitatem pertineret. At de pace tunc agebatur, cum ſublato periculi metu, jam in tuto res eſſet; finis autem belli non ad vitandam calami-

lamitatem, ſed commodi cauſa, quæreretur, numquam enim Populus Romanus ſine aliqua vtili condicione pacem fecit. Quanto igitur pluris eſt, periculum repellere, aut dignitatem tueri, quam emolumentum aliquod parere: tanto magis ad Centuriata Comitia, quam ad Tributa, belli actio pertinuit. Quod cum ita ſit: ſemel tamen, quod meminerim, Tributis Comitijs actum de bello legimus, ſed eo bello, in quo periculi nihil eſſet, aduerſus Veliternos Colonos, qui defecerant; vt ad ſumendam potius de Veliternis pœnam, quam ad bellum gerendum, exercitus ire videretur, non enim dubito, quin ſi maioris momenti res fuiſſet, bellum a Centurijs potius, quam a Tribubus iuſſum eſſet: ſicuti paucos ante annos factum animaduerto, cum Veientibus bellum eſt indictum, Conſulibus, vt iam dixi, A. Cornelio Coſſo, T. Quinctio Pœno iterum. De Ciuitate danda, quod Populi ius fuiſſe patet ex Oratione pro Balbo, ſemper Comitijs actum eſt, ſed vt opinor, Centuriatis, ante Legem Hortenſij Dictatoris; poſt Legem Hortenſiam, Tributis non enim dubito quin Ap. Claudio Sabino, quem non modo ante Legem Hortenſiam, ſed etiam ante Coriolani damnationem, ab Regillo Romam transfugiſſe, Liuius, & Dionyſius tradiderunt, Centuriatis Comitijs Ciuitas data ſit. Nam, ſi antequam de Coriolano iudicium fieret, Appius ciuitate donatus eſt: qui poſſumus de Tributis Comitijs exiſtimare cum ante Coriolani iudicium numquam Populum, niſi per Centurias conuocatum, ſuffragia tuliſſe, libro VII. Dionyſius affirmet? Præterea a quo Magiſtratu haberentur Tributa Comitia, cum quo tempore Ap. Claudius Ciuitate donatus eſt, Tribuni pl. creati nondum eſſent? Dicet aliquis A Conſule. Negatur Nam, vt omittam, quod ab ætate Seruij Regis, qui Centuriata Comitia inſtituit, ad vſque creationem Tribunorum pl. nullam Tributorum Comitiorum mentionem inuenio; credibile non eſt, ea de

re Conſulem Tributis Comitijs vſum eſſe potius, quam Centuriatis, quæ Senatui non minus, quam Populo, probarentur. Tributa enim voluntatem tantummodo Plebis, Centuriata vniuerſæ Ciuitatis, ſignificabant: quodq; iis a Tribubus ſancitum eſſet, eo iure Plebem dumtaxat obſtrictam fuiſſe, a Lælio Felice acceptum Gellius narrat. Quam ob cauſam Q. Hortenſius Dictator Legem tulit, vt quod Plebs iuſſiſſet, eo Quirites omnes tenerentur. De quo fuſior erit in libro de Legibus tractatio. Cur igitur Conſul ad Tribus potius, quam ad Centurias, ferret de Ap. Claudio Ciue adſciſcendo; cum Appium, magna Clientium comitatum manu, vt Liuij verbis vtar, Romam aduenientem non minus libenter Senatus, quam populus, exceperit? quod ex Dionysij libro V. & Liuij libro II. colligitur. Centuriatis igitur, non dubito, quin actum & de Appio ſit, & de L. Manilio Tuſculano, cui ciuitatem, approbantibus cunctis eſſe datam, Liuius libro III. tradidit, & ſiquis præterea ante Legem Hortenſiam in Ciuitatem receptus eſt, poſt eam vero Legem, cum Tributa Centuriatis eſſent æquata, Tributis potius, quam Centuriatis, de danda Ciuitate actum eſt. Itaque rogationem a Tribuno pl. ad Plebem eſſe latam, vt Mutines Ciuis Romanus fieret, apud Liuium libro XXVII. notauimus, quod Tributis Comitijs eſſe factum, ſatis patet, quia rogationes Tribunorum pl. Centuriatis, vt iam diximus, non ferebantur. Poſt Hortenſij vero Dictatoris Legem, de Ciuitate Mutini danda actum eſſe, facile eſt ex Annalibus Populi Romani cognoſcere. Extremum caput erat de capite Ciuis. Quo ipſo in capite conſiderando, ab Vrbe condita ad vltima Reip. tempora percurremus, ſic enim neceſſe eſt. Romulus ſuam Ciuitatem, quaſi tenerum, ac rude corpus, Legibus confirmauit, ipſe de maximis rebus vt Dionyſius libro II. ſignificat, iudicabat: vt tamen a Rege condemnatis ad Populum prouocatio eſſet, quod

cum

cum Liuius in M. Horatij cauſa libro I. tum Seneca libro Epiſtolarum XIX. ſcriptum reliquit, idq; ius a P. Valerio Poplicola poſt eiectos Reges confirmatum, renouatumque eſt; tulit enim legem in Conſulatu de prouocatione aduerſus Magiſtratus ad Populum, itaque anno ab Vrbe condita ccxxc. Conſulibus Aemilio, & Virginio, audita vox eſt Voleronis, de Plebe hominis aduerſus Conſules ad populum prouocantis: & anno CDXXIIX. Conſulibus L. Furio Camillo II. D. Iunio Bruto Scæua, aduerſus L. Papirium Dictatorem M. Fabius pro filij capite prouocauit cum tamen aduerſus Dictatorem infirmam, inanemq; prouocationē eſſe conſtaret. Sed & in cauſis, quę capitales non eſſent, prouocationē ad Populũ video fuiſſe. Nam, vt apud Liuium libro XL. legimus, cum C. Seruilius Pontifex Maximus L. Cornelio Dolabellæ, Duumuiro Nauali, multam dixiſſet; prouocauit Dolabella, certatumq; ad Populum eſt: Iudicauit igitur Populus iam inde a Regibus ex prouocatione vtrum autem Tributis, an Curiatis, an Centuriatis, Comitijs iudicauerit; ſeruato temporum ordine, quam breuiter licebit, explicabo. Ante Seruium Regem Centuriata Comitia non fuiſſe, ex Dionyſio, & Liuio, ſatis conſtat. Reſtat igitur Tributa ne, an Curiata, fuerint, vt conſideremus. Quod etſi dijudicare difficile eſt; quæ tamen legendo notauimus, in medium afferemus vt quibus argumentis noſtra nitatur opinio, cognoſcatur. Liuius ante Seruium Regem neque Tributa Comitia neque Curiata nominat tantùm ait libro I. eos, qui ante Seruium regnauerant, hoc ab Romulo traditum ſeruaſſe, vt viritim ſuffragium eadem vi, eodemq; iure promiſcue omnibus daretur. Tribus vero, aut Curias, aut Tributa, & Curiata Comitia non nominat, itaque, quod ad Liuium attinet, in dubio res eſt. Quid Dionyſius? ne hic quidem aut Tributa, aut Curiata Comitia nominat, de Curijs tamen libro II. mentionem facit his verbis: Plebi

Digitized by Google

deinde Romulus hæc tria permiſit, Magiſtratus creare, Leges ſciſcere, de Bello decernere, cum Rex vellet; ita tamen, vt horum abſoluta poteſtas non eſſet, niſi Senatus approbaſſet, ferebat autem Populus ſuffragium, non viritim, ſed per Curias conuocatus: quodq. pluribus viſum erat Curijs, ad Senatum referebatur. Idemq. libro IV. confirmat. Quo, niſi fallor ſatis liquet, ante Seruium Regem vtra Comitia fuerint, Curiata an Tributa, quibus enim in Comitijs Curiæ ſuffragium tulerunt, nimirum illa Curiata potius, quam Tributa, dicemus. Quod autem ait Liuius viritim ſuffragium eſſe datum; Dionyſius autem Populum tuliſſe ſuffragium, non viritim, ſed per Curias conuocatum: non videtur inter eos conuenire, cum tamen, vt oſtendam, controuerſiæ nihil ſit, non enim, Populum ſuffragia viritim tuliſſe, Dionyſius negat; (nam, ſi negaret, manifeſte a Liuio diſſentiret) ſed ait, Populum ad ferenda ſuffragia conuocatum eſſe non viritim, quod fuiſſet infinitum, ſed per Curias: quæ cum xxx. eſſent, nominatim vnaquæque citabatur, ſuffragijs tamen, vt ait Liuius viritim datis, ita nec de ſuffragijs viritim datis Dioniſius negat, nec Liuius de Populo per Curias conuocato: ſed quod habet Liuius, id Dionyſio deeſt, quod Dionyſius, id Liuio: vtrumque autem ex vtroque colligitur; Populum per Curias eſſe conuocatum, conuocato ſuffragia viritim data, nec vero, latis ſuffragijs ex maiore ſuffragiorum numero deliberatum, ſtatutumq. eſſe aut de Lege, aut de Magiſtratu, aut de Bello, crediderim: ſed potius Curiarum habitam eſſe rationem exiſtimo, vt quod pluribus viſum eſſet Curijs, ſicuti & Dionysij verba proxime recitata ſignificant, id tamquam a Populo iuſſum, ratum, ac firmum haberetur, ſi modo & Senatus deinde comprobaſſet. Atque hoc de Curiatis Comitijs ante Seruium Regem, eo mihi certius eſt, quam de Tributis, non modo ob eam cauſam, quod Curias tum tuliſſe ſuffragium,

Digitized by Google

Dionyſius ait, Tribus autem nemo ex ijs, qui de rebus Romanis aut Latine, aut Græce, ſcripſerunt: verum etiam, quia tantam Populi multitudinem, quanta in Forum ad ferenda ſuffragia conueniebat, veroſimilius eſt in xxx. potius Curias, quam in tres tantùm Tribus, ordinis cauſa, diſcretam in Comitijs affuiſſe. Eſt etiam apud Varronem locus libro IV. de lingua Latina, qui me in hac opinione valde confirmat. Comitium enim, qui locus in Foro fuit, ait propterea dictum eſſe, quod eo coibant Comitijs Curiatis, & litium cauſa. Quod ſi quis obijciat, non ideo probari ſola fuiſſe Curiata, ſed potuiſſe bina Comitia ante Seruium eſſe Curiata, & Tributa, vt Curiata in Comitio, quod ait Varro, Tributa vero alibi facta ſint: ego aduerſus hunc Feſti Pompeij teſtimonium recitabo; qui Curiata tantùm Comitia a principo fuiſſe ſignificat. Comitiales, inquit dies appellabant, cum in Comitium conueniebant: qui locus a Coeundo, ideſt ſimul veniendo, eſt dictus. Si Comitiales dies ij fuerunt, quibus in Comitium Populus conueniebat: ergo extra Comitium Comitia fuere nulla, quod ſi extra Comitium Comitia nulla; & ea, quæ in Comitio facta ſunt, Curiata Varro appellat; cuius coitionis cauſa Comitio nomen inditum eſſe dicit: certe ante Seruium Regem Curiata dumtaxat Comitia fuerunt. Verum, vnde conijcis, dicet aliquis, Varronem, & Feſtum, de temporibus ante Seruium Regem ſignificare, qui probas, de temporibus Reip. ſignificari non poſſe, quibus & Tributa, & Curiata, & Centuriata, Comitia ſunt habita? Facile reſpondetur. Neuter de temporibus poſt Seruium Regem potuit ſignificare? primum, quia loquuntur de illo tempore, cum Comitio nomen eſt inditum: quod multis ante Seruium annis, regnante Romulo, fuiſſe Plutarchus in Romulo tradit: deinde cum dicat Feſtus comitiales dies eos fuiſſe, quibus in comitium conueniebant, neceſſe eſt, vt de conſuetudine,

quæ

Digitized by Google

quæ fuit ante Seruium, intelligat, nam poſt Seruium, qui Centuriata Comitia inſtituit, in campum Martium, qui erat extra Vrbem potius, quam in comitium, quod in Foro erat, comitialibus diebus Populus conueniebat. Claſſibus enim, & Centurijs a Seruio inuentis, per aliquot annos in campo Martio dumtaxat Populus centuriatim ſuffragia tulit, ſiue de Lege ſiue de Magiſtratu, ſiue de Bello rogaretur, mox in Cn. Marcij Coriolani iudicio ſuffragium ferre Tribus coeperunt; aliquotq. poſt annos, vt idem in Plebeijs magiſtratibus rogandis ſeruaretur, Voleronis Tribuni pl. lege factum eſt, ſed neque dum ſola Centuriata fuerunt, neque poſtea quam Tributa ſunt inſtituta in Comitio tantùm ſuffragia eſſe lata, licet opinari: cum non modo Centuriata, vt dixi in campo Martio ſemper habita ſint, verum & ipſa Tributa, quoties creandorum cauſa Magiſtratuum haberentur, ergo neceſſe eſt, ad ea tempora Feſtus reſpexerit, quæ fuerant ante Seruium Regem, cum Populus Comitiorum cauſa ex Vrbe non exibat, ſed in Comitium, hoc eſt in Forum, quacumque de re conſulendum eſſet, coire ſolitus erat; quando, poſt Seruium coiuiſſe in campum Martium, liquido probatur. Curiatis igitur Comitijs, a Tullo Hoſtilio Rege, vſque ad Seruium Regem, iudicatum eſſe exiſtimo, non quod & ante Hoſtilium prouocatio ad Populum non fuerit: hoc enim ius, non dubito, quin ex Lege, a Romulo lata, Populus acceperit; ſed quod iudicium de capite ciuis ante Hoſtilij tempora Romæ nullum fuit; qua de re Ciceronis verba in Oratione pro Milone ſunt hæc: In qua tandem Vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij, fortiſſimi viri: qui nondum libera Ciuitate, tamen Populi Romani Comitijs liberatus eſt cum ſua manu ſororem eſſe interfectam fateretur. Habemus igitur a Cicerone, primum in cauſa capitali M. Horatium eſſe iudicatum, regnante au-

tem Hoſtilio iudicatum eſſe, habemus a Liuio, ergo, cum ab Hoſtilio ad Seruium Curiatis Comitijs de Capite Ciuis iudicatum dico, non reſpicio ad illud tempus, quo Lex de prouocatione ad Populum lata eſt, ſed ad illud, quo primum de capite Ciuis iudicium fuit: nam, ante Hoſtilium, Legem de prouocatione fuiſſe, videtur Liuius libro 1. ſignificare, cum ait: Rex, Concilio Populi aduocato, Duumuiros, inquit qui Horatio Perduellionem iudicent ſecundum Legem, facio. Lex horrendi Carminis erat. Duumuiri Perduellionem iudicent: ſi a Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. Quod ſi ante Hoſtilium prouocatio fuit; datam a Romulo potius, quem Populo gratiſſimum fuiſſe Liuius tradit, quam a Numa, cuius in colenda religione ſtudium omne fuit, exiſtimauerim. Vt vt fuerit, iudicauit Populus Curiatis Comitijs vſque ad Seruium Regem. Seruius Curiata ſuſtulit, & Centuriata induxit, Populuſq. deinde non vt antea, per Curias, ſed per Centurias, conuocatus non modo de Ciuium capite iudicauit; ſed & bella iuſſit, & Magiſtratus creauit, & omnino omnia tranſegit. Iudicandi autem per Centurias conſuetudo ad eum annum perdurauit, quo Cn. Marcius Coriolanus damnatus eſt, nam cum inter Patricios & Plebeios, acerrima contentio fuiſſet; quia Patricij Marcium iudicari, vt mos erat, Centuriatis Comitijs vellent, in quibus multo plures Patriciorum, quam Plebis, erant Centuriæ; Plebeij autem Tributis, in quibus vniuerſo Populo ſuffragia viritim ferente, Plebs Patricijs numero præſtabat ad extremum, concedentibus Patricijs, Populus non Curiatis Comitijs, vt ante Seruium Regem fieri ſolebat, neque Centuriatis, vt poſt Seruium ſeruatum eſt, ſed Tributis, de Coriolano iudicauit, manſitq; ea conſuetudo vſque ad Decemuiros: qui rurſus eam poteſtatem a Tribubus ad Centurias tranſtulerunt: ſcriptaq; ſunt ab ijs hæc verba, aut huiuſmodi, in XII. Tabulis: vt etiam in ea

pro

Digitized by Google

pro Sextio notauimus: De capite Ciuis, niſi per Maximum Comitiatum, ne ferunto. Maximum autem Comitiatum interpraetatur Cicero Centuriata Comitia, libro III. de Legibus, cum hæc verba, de XII. Tabulis tranſlata, ſed ſuis ab ipſo Legibus inſerta, explanat: quo loco illud addit: Deſcriptus Populus Cenſu, Ordinibus; Aetatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilij; quam fuſe in Tribus conuocatus. Quam ob cauſam cum P. Clodius Tribunus pl. Populo per Tribus conuocato Legem tuliſſet, vt Ciceroni, quia Ciues Romanos indicta cauſa condemnaſſet, aqua,& igni interdiceretur: inique factum, quia non Tributis, ſed Centuriatis, Comitijs de capite ciuis iudicari XII. Tabulæ iuberent, in libro III. de Legibus Cicero diſputat. Lucius, inquit, Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis: præter enim quam, quod Comitia illa eſſent armis geſta ſeruilibus, præterea neq; Tributa capitis Comitia rata eſſe poſſe, neque vlla priuilegij, quo circa nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet Legibus. Hæc Cicero; qui ſuam cauſam XII. Tabularum auctoritate ac iure, tuetur, ſed ante Ciceronis ætatem clarorum virorum exempla non deſunt, quorum de capite Comitijs Tributis actum eſt; multos enim video Tribunicijs rogationibus poſt XII. Tabulas in exſulium eſſe miſſos, vt P. Popillium; de quo tulit C. Gracchus; Q. Metellum Numidicum, de quo L. Saturninus: alios præterea, quos Tributis Comitijs eſſe damnatos ob eam cauſam exiſtimo, quia Centuriata Tribunis pl. habere non licebat, in Centuriatis enim ſimul cum Plebeijs ſuffragia ferebant: at Patricios aduocare, Tribunis pl. ius non erat, de quo hæc Gellius, ex Lælij Felicis libro verba recitat: Tribuni neque aduocant Patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt. Quare, vt dicam, quod opinio mea fert, ſuſpicor de mendo apud Ciceronem in Oratione pro domo ſua, cum ait: Cen-

Digitized by Google

tem Hoſtilio iudicatum eſſe, habemus a Liuio, ergo, cum ab Hoſtilio ad Seruium Curiatis Comitijs de Capite Ciuis iudicatum dico, non reſpicio ad illud tempus, quo Lex de prouocatione ad Populum lata eſt, ſed ad illud, quo primum de capite Ciuis iudicium fuit: nam, ante Hoſtilium, Legem de prouocatione fuiſſe, videtur Liuius libro 1. ſignificare, cum ait: Rex, Concilio Populi aduocato, Duumuiros, inquit qui Horatio Perduellionem iudicent ſecundum Legem, facio. Lex horrendi Carminis erat, Duumuiri Perduellionem iudicent: ſi a Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. Quod ſi ante Hoſtilium prouocatio fuit; datam a Romulo potius, quem Populo gratiſſimum fuiſſe Liuius tradit, quam a Numa, cuius in colenda religione ſtudium omne fuit, exiſtimauerim. Vt vt fuerit, iudicauit Populus Curiatis Comitijs vſque ad Seruium Regem. Seruius Curiata ſuſtulit, & Centuriata induxit, Populuſq. deinde non vt antea, per Curias, ſed per Centurias, conuocatus non modo de Ciuium capite iudicauit; ſed & bella iuſſit, & Magiſtratus creauit, & omnino omnia tranſegit. Iudicandi autem per Centurias conſuetudo ad eum annum perdurauit, quo Cn. Marcius Coriolanus damnatus eſt, nam cum inter Patricios & Plebeios, acerrima contentio fuiſſet; quia Patricij Marcium iudicari, vt mos erat, Centuriatis Comitijs vellent, in quibus multo plures Patriciorum, quam Plebis, erant Centuriæ; Plebeij autem Tributis, in quibus vniuerſo Populo ſuffragia viritim ferente, Plebs Patricijs numero præſtabat ad extremum, concedentibus Patricijs, Populus non Curiatis Comitijs, vt ante Seruium Regem fieri ſolebat, neque Centuriatis, vt poſt Seruium ſeruatum eſt, ſed Tributis, de Coriolano iudicauit, manſitq; ea conſuetudo vſque ad Decemuiros: qui rurſus eam poteſtatem a Tribubus ad Centurias tranſtulerunt: ſcriptaq; ſunt ab ijs hæc verba,, aut huiuſmodi, in XII. Tabulis: vt etiam in ea

pro

pro Sextio notauimus: De capite Ciuis, niſi per Maximum Comitiatum, ne ferunto. Maximum autem Comitiatum interpretatur Cicero Centuriata Comitia, libro III. de Legibus, cum hæc verba, de XII. Tabulis tranſlata, ſed ſuis ab ipſo Legibus inſerta, explanat: quo loco illud addit: Deſcriptus Populus Cenſu, Ordinibus, Aetatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilij; quam fuſe in Tribus conuocatus. Quam ob cauſam cum P. Clodius Tribunus pl. Populo per Tribus conuocato Legem tuliſſet, vt Ciceroni, quia Ciues Romanos indicta cauſa condemnaſſet, aqua, & igni interdiceretur: inique factum, quia non Tributis, ſed Centuriatis, Comitijs de capite ciuis iudicari XII. Tabulæ iuberent, in libro III. de Legibus Cicero diſputat. Lucius, inquit, Cotta dicebat, nihil omnino actam eſſe de nobis: præter enim quam, quod Comitia illa eſſent armis geſta ſeruilibus, præterea neq; Tributa capitis Comitia rata eſſe poſſe, neque vlla priuilegij, quo circa nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet Legibus. Hæc Cicero; qui ſuam cauſam XII. Tabularum auctoritate ac iure, tuetur, ſed ante Ciceronis ætatem clarorum virorum exempla non deſunt, quorum de capite Comitijs Tributis actum eſt; multos enim video Tribunicijs rogationibus poſt XII. Tabulas in exſulium eſſe miſſos, vt P. Popillium, de quo tulit C. Gracchus; Q. Metellum Numidicum, de quo L. Saturninus: alios præterea, quos Tributis Comitijs eſſe damnatos ob eam cauſam exiſtimo, quia Centuriata Tribunis pl. habere non licebat, in Centuriatis enim ſimul cum Plebeijs ſuffragia ferebant: at Patricios aduocare, Tribunis pl. ius non erat, de quo hæc Gellius, ex Lælij Felicis libro verba recitat: Tribuni neque aduocant Patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt. Quare, vt dicam, quod opinio mea fert, ſuſpicor de mendo apud Ciceronem in Oratione pro domo ſua, cum ait: Cen-

Digitized by Google

ſor ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Seruilius, cum eſſent optime de Rep. meriti, tamen Populi incitati vim, iracundiamque, ſubierunt; damnatiq; Comitijs Centuriatis, cum in exſulium profugiſſent, rurſus ab eodem Populo placato ſunt in ſuam priſtinam dignitatem reſtituti. Hæc, vt ſcripſi, ita in omnibus libris impreſſa ſunt, nulla mendi appoſita nota: qui ſolet Aſteriſcus eſſe mihi tamen, ſingula verba examinanti, & ad hiſtoriam, ac veterem conſuetudinem referenti, ita non vacare mendo locus hic viſus eſt, vt tres in eo vitioſa opiner eſſe dictiones: aut, ſi me fallit opinio, refellat aliquis vel voce, vel ſcripto; ſed ſcripto potius, quam voce. Nam apud imperitos adoleſcentes occulte nugari, & aliorum ſcripta, ijs, qui ſcripſerunt, abſentibus, carpere, malitioſæ inuidiæ videtur eſſe. Ego meas opiniones edo; edant ſuas, qui contra ſentiunt; nam, ſi recte ſenſerint: vltro gratias habeo; & me in ea re, quæ ſtudioſis vtilitatem pariat, redargui, lætabor: ſin autem non à me potius, quam à veritate diſſenſerint: ipſi quoque, ſi boni viri ſunt, & communi commodo conſultum volunt, ſe à me corrigi æquo animo patiantur. Sed locum examinemus. Cenſor ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Seruilius, non dubium eſt, quin ordinem temporum in his nominibus Cicero ſeruauerit, itaque ante Camilli exſulium, quo de hic agit Cicero, euolui diligenter omnes hiſtorias, vt de Quinctio Cenſore damnato mentionem aliquam inuenirem; nec tamen Cenſorem vllum non modo ante Camillum, ſed ne poſt quidem, in Magiſtratu damnatum à Populo comperi. Quod eo magis miratus ſum, quia Cicero, vt de homine notiſſimo loquitur, cum ait, Cenſor ille Quinctius; ſicut alibi, Metellus ille Numidicus, Alexander ille Macedo. Suſpicatus igitur de mendo, correctionem in litterarum ſimilitudine quæſiui: & pro, Cenſor, Kæſo legendum conieci, coniectura non ab hiſtoria minus, quam ab ingenio, ducta: nam Kæſo-

nem

nem Quinctium, ab A. Virginio Tribuno pl. accuſatum, in exſulium profugiſſe, apud Liuium lib. III. & Dionyſium libro x. ſcriptum eſt.

Quod ſequitur de M. Seruilio; nihil de M. Seruilio damnato vetuſtatis monumenta loquuntur, mihi venit in mentem, C. Seruilius, reponi poſſe: vt C. Seruilius Ahala ſignificetur; quia, cum loquatur Cicero de ijs, quos optime meritos Populus damnauit, vtrũq; inueniemus, & optime meritum C. Seruilium, & à Populo damnatum. Optime meritum nemo, opinor, qui paulo ſit humanior, ignorat; cum eius manu Sp. Melium, Regnum appetentem, eſſe interfectum, Liuius libro IV. & Cicero in Catone Maiore tradiderint, damnatum à Populo, vnus, quod ſciam, ſignificat Valerius Maximus: cuius hæc ſunt verba, libro V. Ahala vero, cum Magiſter equitum Sp. Melium, Regnum affectantem, occidiſſet, cuſtoditæ libertatis Ciuium exſulio ſuo pœnas pependit. Tertium mendum opinor eſſe in dictione, Centuriatis. Cum enim Kæſonem Quinctium, accuſante A. Virginio Tribuno pl. damnatum ſciamus, & accuſante item Tribuno pl. L. Appuleio M. Camillum; nec vero de C. Seruilio ſecus opinemur: (nam optime meritis diem dicere non Conſules, ſed Tribuni pl. ſolebant) non video, Centuriatis Comitijs qui locus eſſe potuerit; quæ, vt paulo ante oſtendi, Tribuno pl. habere non licebat. Mouet etiam illa ratio, quod, cum ante XII. Tabulas Kæſo Quinctius damnatus ſit, aliquot annis poſt Coriolani damnationem: non eſt, vt Centuriæ de illo ſuffragium ferre potuerint: ſiquidem à Coriolani damnatione Tribus de capite Ciuis ſuffragium ferre cœpiſſe, iam ex Dionyſio oſtendimus: Centurias autem XII. Tabularum iuſſu reuocatas eſſe, ea, quæ ſupra recitauimus, ex ipſis XII. Tabulis verba declarant. Quare confirmor in ſententia; &, Centuriatis, vitioſam eſſe dictionem puto. Quod vtinam, vt ille ait, tam facile vera reperire poſſem, quam falſa conuincere.

Vitium

Vitium equidem, niſi fallor, oſtendi: ſed, vt, quod vitioſum eſt, ſanetur, opportuna me remedia deficiunt: non, quod omnino, quo me coniectura ducat, non habeam; ſed, quod, cum in hac emendandi ratione, in qua iam inde à prima adoleſcentia ſum verſatus, hoc maxime ſoleam ſequi, vt inter mendum, & correctionem, ſit quaſi quædam affinitas litterarum, quæ mendi occaſionem dediſſe videatur; ſiqua mihi oritur coniectura, ab impreſſa ſcriptura paulo alienior, abijcio; neque, quod ipſi mihi diſplicet, alijs placere cupio. Apparet omnino, ſi ea, quæ dixi, conſiderentur, pro, Centuriatis, reponi poſſe, Tributis, quod à Tributis pl. non Centuriata, ſed Tributa, Comitia habeantur; & quod Kæſo Quinctius damnari Centuriatis non potuit, quæ, aliquanto poſt XII. Tabularum iuſſu, reuocata ſunt: ſed, quia inter has dictiones, Centuriatis, & Tributis, minimum eſſe video ſimilitudinis, vix opinor, quod ipſa ratio proponit, verum eſſe poſſe. Quod ſi cum ratione liber etiam aliquis ſcriptus conſenſerit: iam ego non ſuſpenſus hærebo, ſed in eam, quam ſuadet ratio, ſententiam totum me dabo. Quod ſi quis obijciat, nec Tributis, reponi poſſe, nec, Centuriatis, mendoſum eſſe, propter eam cauſam, quia poſt XII. Tabulas, quæ de capite Ciuis non niſi Centuriatis Centurijs iudicari voluerunt, Camillus, & Seruilius, damnati ſunt: hic ſane probabiliter obijciet, & argumento niti videbitur ſatis firmo: verum ego huic ita obijcienti reſpondebo: cur poſt XII. Tabulas Tributis tamen Comitijs, & de P. Popillio C. Gracchus, & de Q. Metello L. Saturninus tulit? quemadmodum enim in Popillio, & Metello, ſic in Camillo, & Seruilio, nullam XII. Tabularum rationem ab improbis Tribunis pl. habitam eſſe dico. Non ne, quod ſupra diximus, id ipſum in Cicerone contingit, vt, contra quam XII. Tabulæ cauerant, Tributis Comitijs damnatus in exſulium abierit? ſæpe contra Leges à Tribunis pl. iniquiſſime actum eſſe legimus, cum Senatus, qui ab incitato

Digitized by Google

Populo grauiora metuerent, eorum libidini cedendum putaret. Quare etiam poſt XII. Tabulas, nihil obſtat, quo minus Tributis Comitijs multi rerum capitalium condemnati ſint. Illud tamen perpetuo ſeruatum poſt XII. Tabulas, exiſtimo, vt, quicumque Perduellionis accuſaretur, quod erat ex capitalibus criminibus maximum, de eo, ſiue Tribunus pl. ſiue Maior Magiſtratus ageret, non Tributis Comitijs, ſed Centuriatis, Populus iudicaret, nam, etſi in Centurijs & Patricij ſuffragium ferebant, quos aduocare Tribuno pl. non licuiſſe diximus: tamen, cum eo de crimine ageretur, quod ad ſalutem Reip. pertineret; petebat Tribunus pl. a Maiore Magiſtratu, vt ſibi Populum per Centurias conuocatum, eius iudicij cauſa, certo die præberet: cum ipſe Centuriata Comitia habere non poſſet, id cognouimus ex Gellio, vel potius a Valerio Antiate, cuius ex hiſtoria locum recitat Gellius libro VII. cap. 9. quem nos quoque recitabimus. Pepoſci, inquit non Popoſci, Valerius Antias libro Annalium XLV. ſcriptum reliquit. Denique Licinius Tribunus pl. Perduellionis ei diem dixit, & Comitijs diem a Q. Marcio Prætore pepoſcit. Liuius quoque libro XXVI. eandem conſuetudinem oſtendit. Sempronius, inquit, perduellionis ſe iudicare Cn. Fuluio dixit, diemq. Comitijs ab C. Calpurnio Prætore vrbis petit. Cur Tribuni pl. Licinius & Sempronius, diem a Prætore Comitijs petierunt? an ſine Prætore Tribunus pl. tributim populum ad iudicium conuocare non poterat? non video, cur non potuerit idq. ſæpe eſſe factum legimus. Petijt igitur Centuriarum cauſa, non Tribuum; quia in eiuſmodi crimine, quod ad communem ſalutem pertineret, Centuriata Comitia, in quibus Ciuitas vniuerſa ſuffragium ferre poſſet, habenda viderentur: cum in Tributis non vniuerſa Ciuitas, ſed vt ſæpe iam dixi, ſoli Plebeij ſuffragium ferrent. Vt autem clarius appareat, in crimine Perduellionis non Tribus, ſed Centurias, ſuffra-

Digitized by Google

gium tuliſſe, alium Liuij locum ex libro VI. recitemus. In Campo Martio, inquit, cum Centuriatim Populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad Deos manus auertiſſet: apparuit Tribunis, niſi oculos quoque hominum liberaſſent a tanti memoria decoris, numquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum. Loquitur de M. Manlio Capitolino, Perduellionis reo, cuius ad iudicium Centuriæ vocatæ ſunt: quia, cum Senatuſconſultum factum iam eſſet, vt viderent Magiſtratus, nequid, ex perniciosis conſilijs M. Manlij, Reſp. detrimenti caperet, ſimul cum Tribunis pl. qui accuſabant, Tribuni militum Conſulari poteſtate conſenſerunt: ab hiſq. Tribuni pl. & petierunt Centuriata Comitia & acceperunt, ſicuti Licinius, & Sempronius, Tribuni pl. de quibus Antias, & Liuius, mentionem fecerunt, a Prætore petierant. Semper igitur Tribuni pl. in crimine Perduellionis, quod fuiſſe omnium maximum oſtendemus in libro de Iudicijs, XII. Tabulis paruerunt, in reliquis criminibus, non item. Quod ſi non Tribuni pl. ſed Conſul aut Maior aliquis Magiſtratus, de capite Ciuis ad populum ferret: tum quidem XII. Tabularum iuſſu eſſe obſeruatum & Centuriatis Comitijs ſemper iudicatum eſſe, minime dubitauerim. Qua de re exemplum vnum recitabo, quandoquidem multa non licet, quod de L. Sulla in Oratione pro domo ſua a Cicerone traditum eſt. Populus Romanus, inquit, L. Silla Dictatore ferente Comitijs Centuriatis Municipijs Ciuitatem ademit. Tunc enim agitur de capite damnati aut Ciuitate, aut libertate, aut vita, priuantur. Quo de genere, & in quo Capitis deminutio a cauſis capitalibus differat, diſputabitur in libro de Iudicijs. Quod ſi Populus in cauſis capitalibus, excepto Perduellionis crimine, Tributis Comitijs ſæpe iudicauit: certe in ijs cauſis, quæ capitales non eſſent. Tributis item Comitijs iudicaſſe, veriſimile eſt, de quo exemplum libro XL.

apud

Digitized by Google

apud Liuium obſeruauimus, ait enim, Tributis Comitijs inter C. Seruilium, Pontificem Maximum, & L. Cornelium Dolabellam, Duumvirum Naualem certatum ad Populum eſſe, ob multam, quam Dolabellæ, niſi Magiſtratu ſe abdicaret, Seruilius dixerat. Et idem lib. IV. M. Poſtumium decem millibus æris grauis damnatum a Tribubus ſignificat. Iudicarunt igitur, vt ſuperiora colligam, de capite Ciuis primum Curiæ, a Tullo Rege ad Seruium Regem; cum eam poteſtatem Lege Romuli, vt opinor, accepiſſent: deinde Centuriæ, a Seruio Rege ad Coriolani damnationem: tum Tribus, a Coriolano ad Decemuiros, qui XII. Tabulas conſcripſerunt: poſtremo, ſi Tribuni pl. rogationem ferrent, modo Centuriæ, modo Tribus; Centuriæ in Perduellione; Tribus, in reliquis capitalibus criminibus, & Centuriæ, ex XII. Tabulis Tribus, contra XII. Tabulas: ſin autem Maior Magiſtratus accuſaret, tum Centuriæ ſemper ex XII. Tabulis de reo iudicarunt.

SI creandus eſſet Magiſtratus; Populus, eius Magiſtratus iuſſu, qui Comitia habebat, in Campum Martium coibat, eo de Collibus, in quibus habitabant, deſcendebant ij, qui Magiſtratum petebant, propinquorum, amicorum, clientium, frequentia ſtipati; honoris, & commendationis cauſa, tum ad concilianda Populi ſtudia, quam blandiſſime poterat, pro ſe quiſque Populum, appræhenſis manibus rogabat, vnde Prenſare verbum, & Scipio Naſica, cum, Aedilitatem Curulem petens, ruſtici hominis apprehænſa manu, aſperitatem, ac duritiem, ſenſiſſet, eique, ioci cauſa, Num tu manibus ambulas, dixiſſet, ob eam cauſam repulſam tuliſſe fertur; ruſticis Tribubus, ad quas Naſicæ dictum emanauerat, paupertatem ſibi exprobratam iudicantibus. Prenſabant autem competitores omnes, candida toga induti, vt eo colore, qui puriſſimus, atque apertiſſimus eſt ſimplicem ani-

Digitized by Google

mum in petendo honore, nullaq. labe ſuffuſum ſignificarent. Prenſabant & ſine tunica, vt apud Plutarchum ἐν τῷ τῶν προβλημάτων βιβλίῳ ſcriptum eſt, vel ne argentum ſinu ferentes, & tunica, quæ corpus prima tegit, celantes, Comitia corrumperent, vel vt cicatrices, aduerſo corpore in bello exceptæ, meritorum in patriam indices, ac teſtes, Populo paterent; vel, vt pectore denudato, ſupplices, quaſi ſe ijs, quos rogabant, ſummittentes, ac totos dedentes, eorum ſtudia magis allicerent. Quo ipſo Plutarchi teſtimonio monemur, non eſſe ipſo Comitiorum die nummos a Candidatis inter prenſandum Populo diuiſos, nam diuidi ſolitos, Lege permittente, dubium non eſt; neque ſolùm ab ijs, qui Diuiſores dicebantur, verum etiam a Candidatis; de Diuiſoribus, auctorem habeo Pedianum in II. Verrinæ commentario: de Candidatis, Ciceronem ipſum; qui in quadam ad Atticum epiſtola, ita ſcribit: Scaurus domi ſuæ tributim Populo ſatis fecerat. Quibus verbis, & licuiſſe diuidi Populo nummos a Candidatis, & ante Comitiorum diem diuiſos eſſe, facile conijcimus. At, cur Tributim, ideſt cuiuſque Tribus hominibus, in ea epiſtola dixit Cicero: cum Scaurus Conſulatum peteret, & Conſulatus non Tributis, ſed Centuriatis Comitijs daretur? quia in vna quaque Tribu homines erant a pecunia inopes, qui Centuriatis Comitijs vel in quincta claſſe, quæ xxx. Centurias habebat, vel in ſexta, quæ vnam tantùm, ſuffragium ferrent. Ita, qui tributim numeros diuidebant, ſuffragia xxx. Centuriarum quinctæ Claſſis, & vnius e ſexta, quæ vltima erat, aucupabantur. Nam quartæ Claſſis hominibus; quorum cenſum xxv. minis ad L. fuiſſe, ex Dionyſio, & Liuio, docuimus, inopia laboraſſe, & ad capiendos nummos iuiſſe minus veriſimile eſt. Diuidebant igitur nummos tributim candidati conſulares; non ſolùm, ne repulſam ferrent cum ſæpe paucarum Centuriarum ſuffragijs vel datus honor

Digitized by Google

nor ſit, vel ereptus; quod L. Turio contigiſſe, ſcribit Cicero in Bruto: verum etiam, vt Centurijs quam plurimis crearentur: quod cum ſpecioſum in primis, maximeque honorificum ſemper fuit, itaque; ſe cunctis Centurijs Prætorem eſſe factum, Cicero noſter in Oratione pro Lege Manilia, ſuo more gloriatur: tum interdum etiam neceſſarium; cum multi competitores Populo probarentur ac Magiſtratu digni viderentur; nam ſi plures, quam quot Magiſtratum gerere poſſent, Populi ſuffragijs deſignati eſſent; & vt loquitur Liuius, Centurias, aut Tribus expleſſent: tum, non qui centurias, aut Tribus expleuerat, ſed omnino qui plures aut Centurias, aut Tribus tulerat, de ijs ipſis, qui expleuerant, ad gerendum Magiſtratum legebatur. Diuidebantur igitur Populo nummi, Lege permittente; verum, quia tum Candidati, tum ij maxime, qui Candidatorum nomine diuidebant, quos Diuiſores appellat Cicero in Orationibus, ſæpe plus, quam quantum Lege licebat, diuidere ſoliti ſunt: idcirco multas de coercendo ambitu Leges, & poſterioribus quaſque duriores, e S.C. latas eſſe legimus. Hic; quando, vt de Candidatis diceremus, ipſe narrationis ordo nos adduxit: addamus & illud: Omnes quidem, qui peterent, Candidatos fuiſſe; non omnes tamen, qui crearentur, numero Candidatorum fuiſſe: cur? quia creabantur interdum, qui non petebant, atque etiam nonnulli, quorum animus à Magiſtratu abhorrebat, vt T. Manlius Torquatus; qui Conſulatum renuit, oculorum valetudine excuſata: & quemadmodum non omnes, qui creabantur, de genere Candidatorum erant: ſic ex ipſis Candidatis creari nemo poterat, niſi cuius nomen recepiſſet Magiſtratus is, qui Comitijs præerat. Propterea, cum Cn. Flauius, Cn. filius, ſcriba, libertino patre natus, Curulem Ædilitatem peteret: Aedilis, qui Comitia habebat, negauit, ſe nomen eius accipere, quia ſcriptum faceret. Tum Flauius, tabula poſita, iura-

iurauit, ſe ſcriptum non eſſe facturum; & Aedilis creatus eſt. Q. etiam Fabius Maximus, Conſul, cum haberet Comitia Conſulibus creandis, rogatus ab omni nobilitate, vt Appij Claudij, qui cum ipſo Fabio Conſul fieri vellet, rationem haberet; facturum ſe fuiſſe dixit, vt duorum Patriciorum nomina reciperet, ſi alium, quam ſe, Conſulem fieri videret: nunc ſe ſui rationem Comitijs, cum contra Legem futurum ſit, peſſimo exemplo non habiturum. Ita L. Volumnius de Plebe cum Appio Claudio Conſul factus eſt. Cum prenſauerant Candidati; quos non ſuis dumtaxat Comitijs, ſed anno etiam antecedente, aliorum Comitijs prenſare ſolitos, epiſtola ad Atticum prima declarat: omnes xxxv. Tribus, aut Centuriæ, non promiſcue in campo verſabantur, ſed intra quædam ſæpta ſingulæ ſe recipiebant. Quæ, & Ouilia, a ſimilitudine, dicta Seruius, vbi illud in prima Ecloga interpratatur,

Quamuis multa meis exiret victima ſæptis,

declarat his verbis: Sæpta proprie ſunt loca in Campo Martio, tabulatis incluſa: in quibus ſtans Populus Romanus ſuffragia ferre conſueuerat. Sed, quoniam hæc ſæpta ſimilia ſunt ouilibus, duo hæc inuicem pro ſe ponuntur, vt hic Sæpta pro ouilibus poſuit: Lucanus è contra,

Et miſera maculauit ouilia Roma: & *Iuuenalis*,

Antiquo qua proxima ſurgit ouili,

Hæc Seruius. Qui quod de Populo Romano dixit; non dubito, quin ad omnem Populi conuentum referri poſſit, ſiue is eſſet Tributis Comitijs, ſiue Centuriatis: non vt omnis Populus vnico ſæpto concluderetur; ſed, vt Tribus, & Centuriæ, in Campo Martio ſuffragia laturæ, ſuis ſingulæ ſæptis diſcluderentur. Nam & loca tabulatis incluſa dicit fuiſſe, numero multitudinis: & cum ouilibus adeo ſimilia fuerint, vt, inde ſumpto nomine, interdum Ouilia ſint appellata; non dubium eſt, quin de pluribus ſæptis in Campo Martio ita ſit accipiendum, vt in ouili ſtabulario plura

ſæpta

Digitized by Google

ſæpta ſcimus eſſe, alia ad lactentes hædos cum matribus continendos, alia ad prægnantes oues, alia ad reliquas cum arietibus. Segregatas vero huiuſmodi ſæptis non Tribus modo, verum etiam Centurias, cognoſcitur ab exemplis. Nam & Liuius de Centuriarum ſæptis aperte loquitur libro XXVI. cum ait: Datum in ouili ſecreto colloquendi tempus. Et idem, cum libro X. Centurias primo, deinde aliquanto poſt Tribus, ad ſuffragium ait intro vocatas; quo modo, & Cicero ſimili de re locutus eſt pro C. Cornelio; tam Tribuum, quam Centuriarum ſæpta per verbum, Introuocari, videtur ſignificare, quo enim introuocarentur in Campo Martio? nimirum intra ſæpta, vt ſeparatim ſingulæ ſuffragium ferrent. Nec magis de Centuriarum, quam de Tribuum ſæptis accepiſſe videtur Ouidius, in illo verſu Faſtorum libro I.

Eſt quoque, quo Populum ius eſt includere ſæptis.

In Oratione etiam pro Milone, huiuſmodi ſæpta nominat, quo ſæpe Clodius, vt Comitia turbaret, irruebat. Eademq; hæc Martij Campi ſæpta ſignificat Suetonius in Auguſto: cum ait: Ludos facit nonnumquam vicatim, ac pluribus ſcenis, per onium linguarum hiſtriones, non in Foro modo, nec in Amphitheatro, ſed in Circo, & in ſæptis. Et paulo poſt: Publicauit Rhinocerotem apud ſæpta, Tigrim in ſcena. Hic occurrit illud. Si tam Tribus, quam Centuriæ, ſæptis inuicem diſiungebantur: cur in epiſtola ad Atticum libro IV. dixit Cicero, in Campo Martio ſæpta Tribunicijs Comitijs marmorea ſumus, & tecta, facturi? cur non potius, Comitijs, quam Tribunicijs Comitijs? Nam, ſi Comitijs dixiſſet: de omni Populi conuentu, ideſt, tam de Tribubus, quam de Centurijs, ſæpto marmoreo diſcludendis, acciperetur. Cum vero, Tribunicijs Comitijs, dixerit: non de Centuriarum, ſed de Tribuum ſæptis videtur intelligere. Non enim Centuriatis, ſed Tributis, Comitijs Tribuni pl. creabantur. Itaque iure dubitatur. Ego au-

tem

Digitized by Google

tem, vt tollatur dubitatio, primum, pro Tribunicijs lego, Tributis: ſicuti in Beſſarionis antiquo libro ſcriptum eſt. Nam, vt tantummodo eorum Comitiorum cauſa, quæ ad vnum Magiſtratum deſignandum haberentur, ſæpta marmorea fierent, abſurdum eſt opinari. Tributis vero Comitijs non ſoli Tribuni pl. ſed Minores omnes Magiſtratus deſignabantur. Itaque ſæpta marmorea Cæſaris nomine Cicero, & Oppius, in Campo Martio facere cogitabant, vt Populum, quotieſcumque tributim in Campum conueniret, commode, & honorifice, reciperent. Primum igitur locum ita corrigo: deinde, cum quæritur, cur, Comitijs, generali vocabulo non dixerit: reſpondeo, quia neceſſe non fuit: quandoquidem, quæ ſæpta fiunt Tribuum recipiendarum cauſa, ea Centuriarum cauſa fieri, non dubium eſt: nam, quo recipiuntur Tribus, multo facilius recipientur Centuriæ, frequentior enim in Tribubus, quam in Centurijs Populus fuit. Dixit igitur, Tributis Comitijs; cum hoc ſignificaret, ad eam frequentiam Populi recipiendam, quæ ſumma eſt. Tributis autem Comitijs ſummam eſſe, non ignorabat. Ideo nominauit Frequentiſſima Comitia: ſic enim amplitudinem ſeptorum Attico ſignificabat. Quod ſi quis plura ſæpta Centurijs, quam Tribubus, neceſſaria fuiſſe obijciat, cum plures eſſent Centuriæ, quam Tribus: nihil agat. Nam XXXV. ſæpta, numerum Tribuum æquantia, omnibus CXXCIII. Centurijs recipiendis facile ſufficerent: cum in vno vnius Tribus ſæpto multæ Centuriæ ſeparatum locum capere poſſent. Ita non plura ſæpta, quam XXXV. quot ſcilicet Tribus erant, exiſtimo fuiſſe. Erant etiam pontes huiuſmodi ſæptis ſuper impoſiti; non ſolum, vt ijs, qui calculorum, aut Tabellarum, ciſtas deferrent, facilis, & expeditus, a Centuria ad Centuriam, vel a Tribu ad Tribum tranſitus eſſet; verum etiam, vt calculi, ſiue Tabellæ, commodius Populo de loco ſuperiore viritim diſtribuerentur, non enim his de pontibus ſuffragium ferebatur;

batur;

batur; ſed calculi, ſiue Tabellæ, ſuffragium laturis miniſtrabantur. Patet ex Ciceronis epiſtola ad Atticum libro 1. in qua hæc ſunt verba: Operæ Clodianæ pontes occuparant: Tabellæ miniſtrabántur, ita, vt nulla daretur, Vti rogas. Occuparant enim ideo pontes operæ Clodianæ, vt ne quis, præter ipſos, miniſtrare Tabellas poſſet ijs, qui de lege contra Clodium lata ſuffragium laturi erant. Ipſi enim tantùm eas miniſtrabant, quæ legem antiquarent; nullam, quæ iuberet: vt Populus, vellet, nollet, antiquare cogeretur; cum ſine Tabella, Vti rogas, de qua iam dicemus, iubere non poſſet. Legimus etiam in Suetonio, eum, qui Comitia haberet, his de pontibus Populum ad ſuffragia vocaſſe, ſcripſit enim in Iulio ſic; Primum cunctati, vtrum ne illum in Campo per Comitia Tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis è ponte deijcerent, atque exceptum trucidarent. Nam de ponte, qui fluminis, aut omnino foſſæ, alicuius tranſitum coniungeret, abſurdum eſt opinari: cum, perpetuum, & continentem, fuiſſe Campum Martium, nulla interfluente, aut interiacente aqua diſiunctum, nemo neſciat. Illud de Pontium anguſtijs, quod lege Maria ſancitum contra ambitioſos ſcribit Cicero libro de Legibus III. quomodo ſit accipiendum, non plane diſpicio. Niſi ſi propterea ſancitum intelligas, vt adſcenſu prohiberentur ij, qui, ambitioſis Ciuibus gratificantes, Tabellas ex illorum voluntate miniſtrarent; cum, vnicuique binas, alteram, quæ antiquaret, alteram, quæ iuberet, miniſtrari, & æquum, & vſitatum eſſet. Quod autem, & de calculis, & de Tabellis, Populo diſtributis, paulo ante dixi; id eo dixi, quia neque ſemper calculis in ferendo ſuffragio, neque ſemper Tabellis, Populus eſt vſus, ſed ſolis Calculis ante leges Tabellarias, poſt autem ſemper Tabellis. Leges autem Tabellarias intelligo eas, de quibus mentionem facit Cicero libro III. de Legibus, Gabiniam, Caſſiam, Papiriam, Cœliam. Nam, Calculis Populum

in Comitijs eſſe vſum, nemo, qui Dionyſium legerit, ignorat. Nec vero dubium eſt, quin, quemadmodum, poſt leges Tabellarias, duas quiſque Comitijs Tabellas accepit, diuerſe inſcriptas, ad diſtinguendam voluntatem: ſic ante eas Leges, duos quiſque calculos diuerſe coloratos, acceperit; album, vt approbaret; nigrum, e contrario, excellit enim inter colores Albus; ideoq: Deo eſſe præcipue decorum, tum in cæteris, tum maxime in textili, auctor eſt Plato, quem locum vertit Cicero libro II. de legibus. Itaque, proſperam voluntatem albo lapillo ſignificatam in ferendo ſuffragio, aduerſam nigro, facile conijcimus: cum etiam dies, feliciter, aut infeliciter traductos, albo, aut atro lapillo ſignatos, legamus. Athenienſes quoque albis calculis in abſoluendo, nigris in condemnando, vſos eſſe, non ſolùm is, qui Demoſthenis orationem, quæ inſcribitur κατὰ τιμοκράτους explanat, verum etiam Iulius Pollux libro IIX. ſatis aperte declarat. Calculi igitur colore, Tabellæ inſcriptione, diſtinguebantur, altera enim duas litteras habebat inſculptas, V, R, ideſt, Vti Rogas; altera vnam, A, ideſt Antiquo. Approbandi nota erat, V. R; improbandi, A. nam, cum vtebatur aliquis ea Tebella, vbi, V. R, erat inſcriptum: ſignificabat, velle ſe, & iubere id, quo de ab eo, qui habebat Comitia, rogabatur, rogabat enim Populum his verbis Magiſtratus: Vultis, iubetis ne, vt Conſul creetur Tullius Cicero? vel, vt Mithridati Regi bellum inferatur? vel, vt M. Tullio Ciceroni prouincia Cilicia mandetur? vel, vt M. Tullio Ciceroni aqua, & igni interdicatur. Quatuor enim de cauſis, vt diximus iam, Comitia habebantur, vel Magiſtratus, vel Legis, vel Prouinciæ, vel Iudicij cauſa. His igitur verbis Magiſtratus cum rogaſſet; qui de Populo probabant, & aſſentiebantur, ferebant Tabellam duabus litteris, V. R, ſignatum: cum per ſuam quiſque Tabellam, voluntatis, & mentis nunciam, atque interpretem, hoc exponeret: Vti

rogas,

rogas, ita volo, & iubeo. Hinc Rogatio pro lege, quia rogante Magiſtratu ferebatur, & Comitia Conſulibus rogandis, in quibus Populus de Conſulibus creandis rogaretur, qui vero id, quo de rogabantur, improbabant; vna littera A. inſcriptam Tabellam ferebant: vt hoc ſignificarent, Antiquo, ideſt, in antiquo ſtatu rem eſſe iubeo, nihil innouari volo, nihil ferri: itaque, cum de legibus modo antiquatis, modo abrogatis, legimus: non eodem ſenſu dictum accipiamus, ſed antiquatam legem intelligamus eam, quæ, cum antea non fuiſſet, latam à Magiſtratu Populus reſpuebat: abrogatam eam, quæ, cum antea fuiſſet, in poſterum non eſſe Populus iubebat. Nouam igitur antiquabat, veterem abrogabat: antiquabat, inquam, nouam, cum delatam reijciebat: abrogabat veterem, cum ſuſceptam abijciebat: & quamquam vtrumque verbum, tum Antiquare, tum Abrogare, auerſam à lege voluntatem Populi ſignificat: tamen non eadem Tabella vtrumque fieri ſolitum exiſtimo: ſed in antiquando latam eſſe Tabellam A, in abrogando Tabellam V. R. quia Magiſtratus, vt in ferenda Lege rogabat his verbis, Vultis iubetis ne, vt Lex de ambitu perferatur; ſic, vt opinor, in abroganda, Vultis, iubetis ne, vt Lex de ambitu abrogetur, & Populus, ſiue in noua Lege perferenda, ſiue in vetere abroganda, aſſentiretur, per Tabellam reſpondebat, Vti rogas. Huiuſmodi Tabellæ (vt etiam minuta quæque perſequamur) ciſtis in Campum deferebantur. Vnde illud libro 1. ad Herennium: Cum L. Saturninus Legem frumentariam de ſemiſſibus, & trientibus laturus eſſet; Q. Cæpio, qui per id temporis Quæſtor vrbanus erat, docuit Senatum, Aerarium non poſſe pati largitionem tantam. Senatus decreuit, ſi eam Legem ad Populum ferat, aduerſus Remp. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit: collegæ intercedere: ille nihilominus ciſtellam deferre. Cæpio, vt illum contra Senatus Conſultum, intercedentibus Collegis, aduerſus

Digitized by Google

Remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, potens diſturbat, ciſtas deijcit, impedimento eſt, quo citius feratur Lex. Neque vero ijs aſſentior, qui Ciſtæ, & Sitellæ, eundem vſum in Comitijs eſſe putant; cum vtramque pro vaſe interpretantur, quo Tabellæ ſuffragiorum continerentur. Nam Sitella nomina Tribuum, aut Centuriarum continebat, quibus ſorte eductis, ſuum quæque locum Tribus, aut Centuria, in ferendo ſuffragio nouerat, quæ ſcilicet prima eſſet, quæ ſecunda, quæ tertia, vſque ad extremam ordine ſeruato, qui ſorte contigiſſet. Quod vt ita eſſe credam, facit Cicero, qui, primam Centuriam ſorte eductam, quæ Prerogatiua dicebatur, teſtatur Philippica II. quod ipſum libro XXIV. & XXXVII. Liuius comprobat. Ipſas autem ſortes in ſitella fuiſſe ijdem ſignificant. Noſter quidem in Oratione pro C. Cornelio, quæ integra non exſtat, his verbis: Eſt vtique ius vetandi, cum Lex fertur, dum priuati dicunt, dū ſitella defertur, dū æquantur ſortes, dum ſortitio fit. Quo loco de Tribubus ſorte eductis, ex Aſconij Commentario cognoſcitur. Liuius autem ſic libro XXV. Tribuni Populum ſummouerunt: ſitellaque allata eſt, vt ſortirentur. Itaque ſic ſtatuo, atque concludo, Sitellam fuiſſe, vnde Tribuum, ſiue Centuriarum, nomina ſorte educerentur, vt ſuum quæque locum in ſuffragio ferendo ſeruaret; non, vnde ſumptæ Tabellæ: ſuffragiorum notis inſcriptæ diſtribuerentur. Ciſta vero continebat eas Tabellas, quæ ſine ſorte viritim Tribubus, aut Centurijs, ſuffragiorum cauſa, miniſtrabantur. Et vt dicam, quod ſentio, quem locum ex libro ad Herennium recitauimus, in eo loco Sitellam potius, quam Ciſtellam, legendum crediderim. Nam & Cicero, non de Ciſtella, ſed de Sitella, delata bis mentionem facit in ea pro C. Cornelio Oratione, deq. Natura Deorum libro I. & Liuius eodem fere modo loquitur loco a nobis recitato. Vt illam quoque rationem omittam, quod ad continendas eas Tabellas

bellas

Digitized by Google

bellas, quæ viritim Populo diſtribuerentur, non vna ciſtella, ſed pluribus ciſtis opus eſſet; ſortibus autem, ſiue Tribuum, ſiue Centuriarum, vna ſitella ſufficeret. Diſtributis Tabellis, deinceps omnes Tribus eo, quem ſortitæ fuerant, ordine ad ſuffragium vocabantur; prima, quia, cui mandari Magiſtratum vellet, ante alias rogaretur, prærogatiuam eſſe appellatam Pedianus tradit; reliquæ, iure vocatæ dicebantur; quod in his, ſequente Populo, vt ſæpe contigit, prærogatiuarum voluntatem, iure omnia complerentur. Lato ſuffragio, ex vnaquaque Tribu numerus Tabellarum punctis notabatur, quod ex Oratione pro Murena, & ea pro Plancio, patet: Tabellarum, inquam, & earum, quæ approbandi notas habebant, & earum, quæ antiquandi. Ad quem morem ſpectauit Horatius in illo Artis poeticæ.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

& quemadmodum, e numero punctorum voluntas cuiuſque Tribus, ſic e numero Tribuum Populi iudicium cognoſcebatur. Nam ſi cxxxv. Tribubus xvii. Candidatus tuliſſet; is, niſi ſiquis plures Tribus tuliſſet, Magiſtratus creabatur. Quod ſi plures Candidati tot Tribus tuliſſent, quot ad creationem ſatis eſſent: tum, ſi locus in Magiſtratu non omnibus eſſe poterat, creabantur, & pronunciabantur a Magiſtratu, Comitia habente, dumtaxat ij, qui plures Tribus, quam reliqui, tuliſſent, qui vero plures, quam omnino omnes reliqui tuliſſet; is primo loco creatus dicebatur, quod quidem contigit, plorioſum fuit. Semel omnino, quod quidem legendo cognouerim, accidit, L. Valerio, M. Horatio Conſulibus, vt ex omnibus Candidatis legitimus, & Magiſtratui neceſſarius, numerus creatus non ſit. Tribunis enim plebis quinque creatis, alij Candidati Tribus non explerunt; & Duillius, qui Comitia habebat, (hoc enim ei munus ſorte contigerat) Concilium dimiſit, nec deinde Comitiorum cau-

Digitized by Google

ſam habuit: cum ſatisfactum Legi diceret: quæ, numero nuſquam præfinito Tribunis, modo, vt relinquerentur, ſanciret, & ab ijs qui creati eſſent, cooptari Collegas iuberet. Scribit Suetonius, etiam Pontificem Maximum Tributis Comitijs creatum, quod cum eo, quod diximus, de Minoribus tantùm Magiſtratibus tributim creatis, non pugnat, non enim Pontificatus erat Magiſtratus, ſed honor & dignitas; ſicuti nec Tribuni Militum Comitiati, Magiſtratus erat: quos tamen vtroſque Tributis Comitijs deſignatos, ex Feſto, & Pediano cognouimus Cur autem Magiſtratus non eſſet, ſuo loco, ideſt proximo libro, qui de Magiſtratibus erit, exponemus. Ex quatuor Tributorum Comitiorum cauſis, quas poſuimus, primam, vt opinor, ſatis copioſe explicauimus, de Magiſtratu creando: ſequitur, de Lege iubenda. Iubebat Populus eas Tributis Comitijs leges, quas Minores Magiſtratus ſine S.C. ferebant; nam, quæ e S.C. ferebantur, non Tributis, ſed Centuriatis, Comitijs, neque a Minoribus Magiſtratibus, ſed a Maioribus ferri mos fuit. Hinc illa Ciceronis, & in Epiſtolis, & in Orationibus, ſæpe vſurpata prædicatio; cum ſe Centuriatis Comitijs in Patria reſtitutum gloriatur; qui Tributis fuiſſet erectus, nam Tribunus pl. P. Clodius de eijciendo Cicerone Tributis Comitijs tulit, non modo Senatu non approbante, ſed etiam inuito, & diſſentiente: proximo autem inſequenti anno de eodem reuocando Conſul P. Cornelius Lentulus Centuriatis Comitijs ex eo Senatus Conſulto tulit, quod, ipſo, & Metello collega referentibus, factum erat. Quo fuit Ciceronis reditus illuſtrior, quam aut P. Popillij, aut Q. Metelli, aut C. Marij: qui, rogationibus Tribunicijs, non auctoritate Senatus, neque Centuriatis Comitijs, reducti ſunt. Quod ipſe, in Oratione poſt reditum ad Quirites, & pro domo ſua, teſtatur.

Legem a Rogatione differre, veteres nonnulli exiſti-

ma-

marunt. Qua de re Feſti verba recitabimus. Rogatio, inquit, eſt, cum Populus conſulitur de vno, pluribus ve hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de vna pluribus ve rebus, de quibus non omnibus ſanciatur. Quod ipſum, & Ateium Capitonem exiſtimaſſe, Gellius libro x. cap. 20. ſignificat, his verbis: Lex, inquit Ateius Capito, eſt generale iuſſum Populi, aut Plebis, rogante Magiſtratu, deinde hæc ipſe Gellius ſubſcribit: Ea definitio ſi probe facta eſt, neque de Imperio Cn. Pompeij, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodij, quæſtio, neque alia id genus Populi, plebiſue, iuſſa Leges vocari poſſunt, non ſunt enim generalia iuſſa, neque de vniuerſis ciuibus, ſed de ſingulis, concepta, quo circa priuilegia potius vocari debent: quia veteres priua dixerunt, quæ nos Singula dicimus. Plebem autem Capito in eadem definitione ſeorſum a Populo diuiſit: quoniam in Populo omnis pars ciuitatis, omneſq. eius ordines contineantur: Plebs vero ea dicitur, in qua gentes Ciuium Patriciæ non inſunt. Plebiſſcitum igitur eſt, ſecundum eum Lex, quam Plebs non Populus accipit. Sed totius huius rei, iuriſque ſiue cum Populus, ſiue cum plebs rogatur, ſiue quod ad vniuerſos, ſiue quod ad vnum pertinet, caput ipſum, & origo, & quaſi fons, Rogatio eſt. Iſta enim omnia vocabula cenſentur, continenturque, Rogationis principali genere, & nomine, nam, niſi Populus, aut plebs rogetur; nullum Plebis, aut Populi iuſſum fieri poteſt. Sed quamquam hæc ita ſunt: in veteribus tamen ſcriptis non magnam iſtorum vocabulorum differentiam eſſe animaduertimus, nam & plebiſcita, & priuilegia, translato nomine, Leges appellauerunt: eademq: omnia confuſo, & indiſtincto vocabulo Rogationes dixere. Salluſtius quoque, proprietatum in verbis retinentiſſimus, conſuetudini conceſſit, & priuilegium, quod de Cn. Pompeij reditu ferebatur, Legem appellauit. Verba ex ſecunda eius hi-

ſtoria

Digitized by Google

ſtoria hæc ſunt: Nam Sillam Conſulem, de reditu eius Legem ferentem, ex compoſito Tribunus pl. C. Herennius prohibuerat. Nos quoque Gellij ſententiæ ſubſcribimus. Idq; veterum exempla multa, ſatis plana, ſatiſq; perſpicua, abunde confirmant. Lex omnis, ſiue ad vnum, pluresve homines ſiue Populus, ſiue plebs, rogaretur, non niſi a Magiſtratibus ferebatur. Et quamquam de ijs dumtaxat Legibus, quæ a Minore Magiſtratu ferrentur, hoc loco ſcribere propoſitum nobis fuit: tamen, ne diſiuncta narratione, Lectoris animus diſtrahatur; de omnibus plane Legibus, tum à Minore, tum à Maiore Magiſtratu, perlatis: ea quæ tractandis veterum litteris, conſecuti ſumus, omnia coniunctè exponere ſatius putamus, itaq; faciemus: idque, more noſtro, quam planiſſimè, & quam breuiſſimè fieri poterit.

Ex Libro, de Legibus Romanis.

De Comitijs omnes fere populares leges fuerunt. Tulit cum Volerone Publilio Lætorius, id quod iam dictum eſt, vt Tributis Comitijs plebeij Magiſtratus fierent, quo primum tempore Tributa Comitia Romæ eſſe inſtituta, facile ſuſpicor, neque enim ante hanc Legem vſquam ea video nominari, & opinor, Curiatis Comitijs plebeij Magiſtratus, Centuriatis patricij, creabantur. Plebeij autem dicebantur, qui Plebis cauſa, & ex ipſa Plebe; Patricij vero, qui patriciorum cauſa, & ex Patricijs familijs, primum erant inſtituti, poſtea Plebi quoque ius petendi patricios Magiſtratus conceſſum eſt: Plebeos Magiſtratus ſaluis Legibus, Patricius nemo petijt ſed Legem Voleronis, quam a nonnullis video Voleroniam imperite vocari, cum Leges à prænominibus nominari mos non eſſet, publiliam appellauerim: ſiquidem publiliæ gentis Volero prænomen fuit. Tulerunt deinde L. Valerius, & M. Horatius

ratius

ratius Coſ. vt, quod Tributis Comitijs plebs ſanxiſſet, eo Quirites omnes æque tenerentur, ac ſi Centuriatis Comitijs perlata lex eſſet, ita Centuriatis Comitijs Tributa ſunt æquata, & quod ait Liuius, Tribunicijs rogationibus acerrimum telum hac Lege datum eſt: cum quidquid Tribuni pl. ferrent, id deinde ab omnibus Ciuibus ſeruari neceſſe eſſet: Etiam illa Publilij Dictatoris contra Senatum pro Populo fuit; qua cautum eſt, vt omnium Legum, quæ comitijs centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent: ne ſcilicet roboris haberent minus, ſi quid populare patribus inuitis latum eſſet. Item illa C. Caſſij Tribunicia, vt ordinem Senatorum amitteret is, quem Populus damnaſſet, cui ve Imperium abrogaſſet. Quoniam autem poteſtatem ſoluendi Legibus Senatus habebat; C. Cornelius eam poteſtatem Lege paululum imminuit: tulit enim, ne quis in Senatu, niſi cc. Senatores affuiſſent, Legibus ſolueretur; ne ve quis, cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad Populum ferretur, quæ duo capita neque omnino e Senatus, neque e Populi voluntate vtraque fuerunt, ſed primum pro Populo, alterum pro Senatu, inuitis tamen optimatibus, vt Pedianus ait, lata lex eſt; qui vel pauci gratificari ſolebant De iure, & tempore, Comitiorum lex Aelia, & Fuſia contra Populum pro Senatu fuerunt; cum tamen a Tribunis pl. latæ ſint: id quod ſignificat Cicero in Oratione in Piſonem, his verbis: Centum prope annos legem Aeliam, & Fuſiam tenueramus. Intra centum enim annos ante Piſonis & Gabinij Conſulatum non modo Conſules eodem anno non fuerunt Aelius, & Fuſius, ſed nemo omnino ex Aelia gente Conſulatum geſſit, quare, cum eodem anno lata lex videatur: nimirum, a duobus Tribunis pl. latam eſſe, iure putabitur. Quod autem doctus quidam vir in eo libro, in quem antiquas Leges coniecit, Legem Aeliam & Fuſiam tradit poſt interfectos Gracchos, &

Digitized by Google

ante Punicum bellum tertium eſſe latam; aperte loquitur pugnantia, nam ſi poſt interfectos Gracchos; quo modo ante Punicum bellum tertium? cum Ti. Gracchum Scæuola, & Piſone Cos. annis; poſt euerſam Carthaginem, & Scipionis triumphum, XIII. occiſum eſſe non ſolum hiſtoriæ, verum & Faſti, declarent; quos, Paulo III. Pontifice, felici quodam litterarum fato, Romæ repertos, multis locis, iniuria temporum, mutilos, & imperfectos, reſtituit, atque abſoluit, magnæ doctrinæ vir, ingenio præditus eximio, Carolus Sigonius. Accedit teſtimonium Ciceronis, qui contra Vatinium, Leges, inquit, Aelia, & Fuſia in Gracchorum ferocitate vixerunt. Opinor etiam vel potius plane video, contra quam doctus ille videtur exiſtimaſſe, non vnam legem, ſed duas, Aeliam & Fuſiam fuiſſe, nam etſi ſæpe Cicero ita loquitur, vt dicat Legem Aeliam & Fuſiam; aliquando tamen eas ſeparat, vt duas leges agnoſcere videatur. In Oratione pro Sextio, Ijſdem, inquit Conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus, lata Lex eſt, vt Lex Aelia, & lex Fuſia ne valerēt. Et in Vatinium: Sanctiſſimas Leges, Aeliam, & Fuſiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluuione Druſi, & in contentione Sulpicij, & in cruore Cinnano, & inter Sullana arma, vixerunt. In Piſonem: Centum prope annos Legem Aeliam, & Fuſiam tenueramus: quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo vmquam, conuellere. In eadem de prouincijs Conſularibus: Aut nobis ſtatuendum eſt, Legem Aeliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam. Poſt reditum in Senatu: Vt Lex Aelia, & Fuſia ne valerent. Clariſſimè autem de haruſpicum reſp. ſuſtulit duas Leges Aeliam, & Fuſiam, maxime Reip. ſalutares. Sed videamus, quæ fuerit vtriuſque ſententia: quod etiam, vt puto, de numero erit argumentum. Sententiam vero non aliunde, quam ex ipſo Cicerone poſſumus colligere.

Quare

Digitized by Google

Quare loca ipſa proponemus: vt non modo quid in ijs ſancitum ſit, verum etiam, quid inter vtramque differat, intelligatur. Ac primum, quod ait in ea pro Sextio: Iiſdem Conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus, lata Lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis Legi intercederet, omnibus Faſtis diebus Legem ferri liceret; vt Lex Aelia Lex Fuſia ne valerent: dicendum eſt, quatuor illas partes, de auſpicijs, de obnunciatione, de interceſſione, de faſtis diebus, omnes duabus Legibus, quæ ſubijciuntur, Aelia, & Fuſia, compræhendi; ſed tres priores Aelia, poſteriorem autem Fuſia: rurſus; e tribus prioribus, eiuſdem generis, & quaſi naturæ, duas eſſe; tertiam, ſeparatam, & tamquam alienam, nam auſpicia ideo erant, vt eſſet obnunciatio. Cum enim de Cœlo ſeruatum eſſet, tum ferentibus legem obnunciabatur, itaque auſpiciorum quaſi partus quidam erat obnunciatio; nec vmquam ſeruatum eſt de Cœlo, quin obnunciatum ſit, ſiue proſpera, ſiue aduerſa, ſigna viſa eſſent; cum proſpera confirmarent id, quod cum Populo ageretur, aduerſa impedirent, propterea ſublatum eſſe a Clodio morem de Cœlo ſeruandi, ſcripſit Dio lib. XXXIIX. cum tamen antea ita diligenter Auſpicia ſeruata eſſent, vt M. Druſi Legibus, quia contra Auſpicia latæ iudicarentur, Senatus decreuerit, Populum non teneri, quod Cicero libro II. de Legibus, & Pedianus in Commentario Cornelianæ tradidit, ergo cum hoc Auſpiciorum genere quaſi cognatione quadam cohæret, Obnunciatio, at Interceſſio nihil habet commune cum Auſpicijs. Auſpicia enim ad religionem referebantur, quod a Cœlo, ideſt, a deorum numine, pendere viderentur. Interceſſio autem humanæ poteſtatis erat, & cum a voluntate ſemper, nulla Religionis obſeruatione, manabat, tum ab ea voluntate nonnumquam, quæ ab omni Religione diſſentiret, & cum ipſa quaſi deorum voluntate pugnaret. Præterea, Seruare de

Digitized by Google

Cœlo, Augurum, atque omnium plane Magiſtratuum fuit: quod & ſupra notauimus: Intercedere vero, dumtaxat ad Tribunos pl. tum veteri Sacratarum legum iure, tum; vt ego exiſtimo, Legis Aeliæ iuſſu, pertinuit, loquor autem de interceſſione ad Populum, cum Lex ferretur, nam in Senatu, cum S.C. fieret, non Tribunos pl. tantùm ſed omnes, qui eadem poteſtate, qua ij, qui S. C. facerent maiore vt eſſent, intercedendi facultatem habuiſſe, diximus in libro de Senatu, atque etiam quod in eo libro nõ diximus, forenſis, vt ita dicam, erat interceſſio, cum prætori, de priuata controuerſia decernenti, Prætor intercedebat, cuius generis idoneus locus erit in libro de Iudicijs. Nunc perſequamur inſtitutum. Dixi, legis Aeliæ fuiſſe tria illa membra, de Auſpicijs, de Obnunciatione, de Interceſſione; quæ Clodius ſua Lege ſuſtulit: quartum de Faſtis diebus Fuſia Lege ſancitum, itaque in Oratione de Prouincijs conſularibus, in extremo, paulo diſtinctius locutus eſt Cicero, cum caput illud, de Faſtis diebus ſeparatim a reliquis poſuit, reliqua vero tria ſeparatim quidem & ipſa ab eo capite, ſed ipſa tamen inter ſe coniuncta, vt dubitandum minime ſit, quin hæc in vna lege ſimul fuerint, ſicuti ſimul ſunt a Cicerone pronunciata, quod ſi in vna Lege: ne illud quidem dubitandum; de duabus Legibus, Aelia ſcilicet, & Fuſia, vtram intelligamus, nam ſi de tribus coniunctis vnum aliquod in Aelia Lege fuiſſe docuero; Aeliæ legi & reliqua duo tribui debere, concedendum, vt opinor, erit. Docebo autem, Pediani verbis, obnunciationem Aeliæ Legis fuiſſe, nam illud in Piſonem, A P. Clodio, fatali portento prodigioq; Reip. Lex Ælia, & Fuſia euerſa eſt, ipſe ſic interpræ-tatur: Legem tulit P. Clodius Tribunus pl. ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de Cœlo ſeruaret, propter quam rogationem, ait, Legem Fuſiam, & Aeliam, propugnacula, & muros tranquillitatis, atque otij, euer-

ſam eſſe, obnunciatio enim, qua pernicioſis Legibus reſiſtebatur, quam Aelia Lex confirmauerat, erat ſublata. Miror autem, cur eo loco nihil de ſententia Fuſiæ Legis addiderit Pedianus: cum tamen ipſam Legem ſimul cum Aelia nominarit: non enim tantùm tulit Clodius, ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de Cœlo ſeruaret; quod contra Lex Aelia iubebat: ſed etiam, vt omnibus Faſtis Legem ferri liceret: vt aperte demonſtrant illa, quæ ſunt a nobis ex Oratione pro Sextio recitata, & hæc in ea de Prouincijs: Aut ſtatuendum vobis eſt, Legem Aeliã manere, Legem Fuſiam non eſſe abrogatam; non omnibus Faſtis Legem ferri licere; cum Lex feratur, de Cœlo ſeruari, obnunciari, intercedi, licere. Verum, vt fortaſſe mutilus Pedianus, quia prætermiſerit id, quod Fuſia Lege ſcitum Clodius abrogauit; non item mendoſus in eo, quod de Lege Aelia poſuimus: ſatis enim plane loquitur, atque ita, vt, cur de mendo ſuſpicemur, cauſam eſſe nullam videam, quare habemus, quod volumus, obnunciationem ad Legem Aeliam pertinere, quod ſi hoc: ergo & illud, Auſpicia quoque, a quibus obnunciatio deriuatur, & interceſſionem, ad eandem Legem pertinere, & ſi hæc tria ad Legem Aeliam; vnum illud, quod reliquum eſt, de Faſtis diebus, ad Fuſiam pertineat, neceſſe erit. Eandem vtriuſque Legis ſententiam, niſi fallor, attigit in epiſtola, Quæris lib. 1. ad Atticum ſimul cum Lege Aelia inijt, ſolutus eſt, & Aelia, & Fuſia, vt Legem de ambitu ferret, inibant enim veteres Romani Magiſtratum auſpicato; neque omnino quidquam publice, nec domi, nec militiæ, ſine auſpicijs gerebatur. Quod autem in Tribunatu pl. Lurconi mandando factum erat, vt Auſpicia ſeruarentur; id vt ipſe in Lege de ambitu ferenda ne ſeruaret, neque Auſpiciorum vllam omnino rationem haberet, decretum eſt a Senatu: neque hoc ſolum, ſed illud ſimul, vt omnibus Faſtis Legem ferre poſſet, quod Lex Fuſia vetabat: ideo enim ſoluit eum

Sena-

Digitized by Google

Senatus,& Aelia Lege, & Fuſia, vt neque Auſpiciorum religio, neque dierum ratio, impedimento eſſet, quo minus primò quoque tempore perferri Lex de ambitu poſſet. Has ipſas Leges, & in Oratione pro Sextio lege Clodia ſignificat abrogatas, cum ait: Mitto eam Legem, quæ omnia iura Religionum, Auſpiciorum, Poteſtatum, omnes Leges, quæ ſunt de iure, & de tempore, Legum rogandarum, vna rogatione ſuſtulit: nam, etſi non nominat; legem tamen Aeliam ſignificari, certum eſt, cum ait, Quæ ſunt de iure; Fuſiam autem, cum ſubijcit, Et de tempore, ius enim intelligit auſpicandi, obnunciandi, intercedendi, quæ ſanxerat Aelia Lex: tempus autem quo legem perferri non liceret, Faſtos videlicet dies, de quibus cauerat Fuſia Lex. Nec dubito, quin, cum dixit, Omnia iura Religionum, Auſpiciorum, Poteſtatum, ad ſententiam potius Aeliæ Legis, quam Fuſiæ ſpectauerit: nihil enim horum video, quod ad Fuſiam referri poſſit; nam ego quidem in verbo, Poteſtatum, obnunciationem, & interceſſionem, ſignificari puto, quæ Legis Aeliæ fuiſſe, iam diximus, & quamquam Auſpiciorum, Poteſtatum, dixit, ad interpretationem antecedentis verbi, Religionum; quod ſæpe facit, & in dictione, Poteſtatum, & obnunciatio, & interceſſio ſimul includuntur: ſolam tamen obnunciationem ad religionem refero. Nam interceſſioni cum religione nihil erat: quod paulo ante demonſtraui. Verum ſic aliquis argumentabitur. Si, cum dixit Cicero, Religionum, Auſpiciorum, Poteſtatum, Aeliam Legem tantùm ſignificauit, Fuſiæ rationem nullam habuit: cur proxime ipſe ſe explanans intulit, Omnes Leges, quæ ſunt de iure, & de tempore, Legum rogandarum? nam, ſi proxima ſuperiora exponit; quod nemo dubitat; proxima vero ad ſolam Aeliam Legem referuntur: cur non ſubiecit, Vnam, potius, Legem, quam, Omnes Leges? Eſt omnino hæc ſpecie probabilis argumentatio, re vero falſa, nam quid attinet argumentari de ſenten-

Digitized by Google

ſententia Ciceronis, cum ipſe ſemetipſum patefaciat, itque exponat? videbat maioris eſſe momenti, Legem Aeliam tolli, quam Fuſiam: nam Aelia Lex pernicioſarum Legum lationem impediebat obnunciatione, & interceſſione. Fuſia vero, non, vt omnino ferri ne poſſet Lex, efficiebat, ſed tantùm, vt Nefaſtis diebus poſſet: Comitialibus autem vt poſſet, non vetabat. Itaque, quo plus intererat Reip. numquam ferri malas Leges, quam ſero ferri; eo erat vtilior ciuitati Aelia Lex, quæ malum prohibebat, quam Fuſia, quæ tantùm differebat, potius igitur Legis Aeliæ ſententiam oſtendit Cicero, quam Fuſiæ: quod, id, in quo grauius peccauerat Clodius, commemorare, plus ad concitandam inuidiam poſſe intelligebat: nec tamen ideo Legis Fuſiæ ſententiam omiſit, vt eius abrogationem Clodio condonaret. Nam ſubiecit deinde, vt Legem vtramque ſignificaret: Omnes Leges, quæ ſunt de iure, & de tempore: quorum alterum ad Æliam, alterum ad Fuſiam, ſpectare, iam diximus. Quod ſi quis, paulo obſtinatior, repugnat adhuc, nec facile manus dat, cedat ſaltem ipſi Ciceroni: cuius in conſuetudine notanda niſi plurimus fuiſſem, numquam hæc, quæ ſum aggreſſus, vlla ex parte præſtare mihi licuiſſet; ſi modo, vt præſtare poſſim, is, cui accepta omnia refero, conceſſerit Deus. Ipſe igitur Cicero, cum Vatinio ſæpe obijciat, eum contra Legem Aeliam, & Fuſiam feciſſe; tamen in ea pro Sextio, cum de eodem Vatinio loquatur, vnam Aeliam nominat, ait enim ſic: Qui ita ſe in populari ratione iactarat, vt Auſpicia, Legem Aeliam, Senatus auctoritatem, Conſulem, collegas, bonorum iudicium, nihil putaret. Et in ea poſt reditum in Senatu, cum eiuſdem Aeliæ vim, & ſignificationem, exponat, de Fuſia nihil afferat; proxime tamen vtramque nominat: Legem, inquit, Tribunus pl. tulit, ne Auſpicijs obtemperaretur; ne obnunciare Conſilio, aut Comitijs, ne Legi intercedere, liceret; vt Lex Aelia, & Fuſia ne valerent. Et in Vatinium:

Digitized by Google

nium: Audire à te cupio, quare, cum ego Legem de ambitu ex S. C. tulerim, ſine vi tulerim, ſaluis Auſpicijs tulerim, ſalua Lege Aelia, & Fuſia, tu eam eſſe Legem non putes. Rurſus dubitabitur in ea pro Sextio, primum, cur eas Leges ſignificauit potius, quam nominauit: deinde, ſi ſignificandas duxit, cur, cum de duabus tantùm Legibus intelligeret, Omnes, dixit: quaſi & de iure, & de tempore, Legum rogandarum plures Leges eſſent. Placet in his dubitationibus immorari: nam, vt ex lapidum conflictu ignis, ſic ex rationibus vtrimque collatis veritas elicitur. Significauit potius, quam nominauit, non ſolum, quia nominauerat antea, cum dixit: Iiſdem conſulibus ſedentibus, atq; inſpectantibus, lata Lex eſt, vt Lex Aelia, Lex Fuſia ne valerent: vt, cum de re iam nominata, & ſua ſponte ſatis nota loqueretur, obſcura non poſſet eſſe ſignificatio; verum etiam, quia vehementior, & grauior, ſæpe fit oratio, cum id, quod obijcitur, ſignificatur potius, quam nominatur, quo potiſſimum genere abundant ij, qui inter cæteros excellunt, Demoſthenes, & Cicero. Omnes, autem potius dixit, quam, duas,; vel, quia re vera, præter Aeliam, & Fuſiam, de iure, aut de tempore, Legum rogandarum Lex erat nulla: vt, qui Aeliam, & Fuſiam, is omnes plane ſignificaret: vel quia, cum eſſent aliæ quoque Leges, & de iure, & de tempore, quas vltimæ, Aelia, & Fuſia, in eandem ſententiam ſcriptæ, confirmarunt; qui tolleret duas vltimas, ſuperiores quoque omnes tolleret. Nam, quemadmodum, magis nobili ſublato, vt apud Philoſophos eſt, minus quoque nobile ſimul tollitur; vt, ſublato corpore, ſimul ea tolluntur, quæ in corpore adhæreſcunt: ſic, qui Aeliam, & Fuſiam rogatione tollebat, quas & diligentius, & grauius, quam ſuperiores omnes, eſſe conſcriptas veriſimile eſt, cũ omnes ſimul Leges eadem rogatione ſuſtuliſſe certũ eſt. Quod ſi quis, vtrum, ante Aeliam, & Fuſiam, & de iure, & de tempore, aliæ Leges fuerint, dubitat; neque credit, niſi

vel

vel ratione admodum firma, vel graui teſte, probatur: ego, vt in vtroque ſatisfaciam, rationem, vt opinor, afferam non imbecillam; teſtem autem eum producam, quem leuiſſimum appellare nemo poſſit. Primum igitur pro ratione illud opponam: cum in Oratione in Piſonem ita loquatur Cicero: Centum prope annos Legem Aeliam, & Fuſiam tenueramus: credibile non eſſe, ſupra centum annorum ſpatium vrbem Romam ſine vlla lege de Auſpicijs, & de Faſtis diebus, fuiſſe: præſertim cum id in illa in Vatinium acerbiſſima interrogatione Auſpiciorum vetuſtatem his verbis oſtendat: Qui tantus furor, vt Auſpicia, quibus hæc Vrbs condita eſt, quibus omnis Reſp. atque Imperium tenetur, contempſeris? Quod ipſum in III. de natura deorum confirmauit: ſcripſit enim ſic: Mihi ita perſuaſi, Romulum, Auſpicijs, Numam, ſacris conſtitutis, fundamenta ieciſſe noſtræ ciuitatis. Accedit Pediani teſtimonium in Commentario Piſonianæ. Obnunciatio, inquit, qua perniciofis legibus reſiſtebatur, quam Aelia lex confirmauerat, erat ſublata: verbum enim, Confirmauerat, Legem Aeliam obnunciandi ius non ſanxiſſe primam ſignificat, ſed, quod alia lex ſanxerat, confirmaſſe. Vt omittam, quod ſupra commemoraui, vetuſtiſſimum fuiſſe ius intercedendi, datum Tribunis pl. iam ab illo tempore, cum in Sacro monte inſtitutus Magiſtratus eſt, qui Plebem tueretur, quod cum ita ſancitum eſſet; interceſſio tamen Tribunicia Aelia Lege confirmata eſt. Verum de lege Aelia, & Fuſia ſatis multa. Pergam ad reliquas, quæ ad Comitia pertinent. Lex fuit, quam Gellius memorat, vt, quo die Auſpicia capta eſſent, eodem ea de re, cuius rei cauſa auſpicatum eſſet, Comitia abſoluerentur; alioqui infirmum, & inane, populi iuſſum erat. Leges quoque Tabellariæ hoc de genere videntur: ſunt enim de ſuffragijs ferendis: cum porro ſuffragium Populus fert, Comitia dicuntur, hæ quatuor fuerunt, omnes, vt puto, Tribuniciæ, Gabinia, Caſſia,

Digitized by Google

Papiria, Cœlia. Gabinia ſanxit, vt Populus in Magiſtratibus mandandis ſuffragium non, vt antea, voce, ſed per Tabellam, ferret. Caſſia biennio poſt idem iuſſit, in omnibus iudicijs Populi, Perduellione excepto. Papiria, & ipſa populo Tabellam dedit, in iubendis, ac vetandis legibus. Cœlia, quo vno in genere vocis ſuffragium reliquum erat, hoc eſt, in Perduellione, quod lex Caſſia exceperat, in eo genere Tabellam dedit: ita quatuor Tribunorum pl. rogationibus factum eſt, vt Populus libere, quod ſentiret, in omnibus Comitijs, nullo inimicitiarum metu, poſſet oſtendere: ideo Tabellam vindicem tacitæ libertatis appellat Cicero in agraria II. lib. III. de Legibus; in Oratione autem pro C. Cornelio, principium iuſtiſſimæ libertatis Caſſiam legem, quæ Tabellam in iudicijs Populo dedit, magis enim intererat populi, Tabella voluntatem in iudicijs tegere, cum ageretur de capite, fortuniſque ciuium, quam aut in Magiſtratibus, quod lex Gabinia ſanxerat; aut in Legibus, quod poſtea Papiria. Hæc de ſententia legum Tabellariarum. Nunc de latoribus, & quo quæque anno lata ſit. Gabinium rogauit homo ignotus, & ſordidus: quod lib. III. de legibus Cicero tradit: & cum biennio ante Caſſiam rogata ſit, quod idem eodem in loco demonſtrat, Caſſiam vero Lepido, & Mancino Cos. eſſe latam, ex libro de claris Oratoribus conſtet: neceſſe eſt, Piſone, & Lænate Cos. rogatam, exiſtimare. Caſſiam, Lepido, & Mancino Cos. auctore Scipione Africano poſteriore, tulit L. Caſſius, Q. F. Longinus Rauilia, pater illius L. Caſſij, qui in omnibus cauſis quærere ſolebat, cui bono; & C. Caſſij, eius, quem C. Mario, C. Flauio Cos. Leges multas, ad minuendam nobilitatis potentiam, tuliſſe, in quibus hanc, vt, quem populus damnaſſet, cui ve Imperium abrogaſſet, in Senatu non eſſet, Pedianus tradidit. Papiriam tulit C. Carbo, ille eloquentiſſimus; tulit autem, vt opinior, P. Popillio, & P. Rupilio Cos. nam, eo anno Tribunum pl.

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, quo Scipio Aemilianus de Numantinis triumphauit, omnes hiſtoriæ declarant: quem à porta ad concionem productum, quid de Ti. Gracchi morte ſentiret, ſeditioſe interrogauit. Cœlia, non facile eſt conijcere, a quo ſit rogata: ſed, rogatam Q. Metello, T. Flaminino Cos. crediderim, ex ijs verbis, quæ ſunt apud Ciceronem lib. III. de Legibus: Vt opprimeret Cœlius Popillium: nam, id de P. Popillio dictum eſſe, quem C. Gracchus Metello, & Flaminino Cos. Tribunus pl. in exſulium eiecit, videtur intelligendum: vt eius iudicij cauſa, quo Popillius, Tribuno pl. Graccho, eſt oppreſſus, Cœlius ſua Lege Tabellam dederit, ſed hoc, quia non plane firmis nititur coniecturis, inter dubia referatur. Etiam in eo conſultum eſt Reipublicæ, quod aduerſus ambitionem lata Lex, ne quis candidatus Nomenclatore in Magiſtratus petitione vteretur, eo tamen, vt fere fit, progreſſa pedetentim licentia eſt, vt, Ciceronis ætate, ſuus cuique Candidato Nomenclator, cum prenſaret, peteret ue, adeſſet, atque inter laudes M. Catonis, qui Vticenſis poſtea dictus eſt, hanc enumerat Plutarchus, quod in petitione Tribunatus legem, quæ Candidato Nomenclatorem adeſſe vetat, ſolus ſeruauit. Lex Maria ipſa quoque præclara: quam Plutarchus à Caio Mario, qui ſepties Conſul fuit Tribuno pl. eſſe latam ſignificat eius Legis hæc ſententia fuit: vt pontes, quibus ſuffragiorum ciſtæ imponebantur, eſſent anguſtiores; ne ſcilicet multos capere poſſent: nam, in turba fraudem aliquam committere, difficilis negotij non eſt. Propterea, quod hac Lege ſancitum eſt, id ambitioſis oppoſitum fuiſſe, & plane Cicero dicit in III. de Legibus, & Plutarchus ipſe ſignificat in Marij vita, cum ait; in Tribunatu Legem de ſuffragijs tuliſſe, qua potentium opes, tum in ferendis ſuffragijs, tum in creandis Magiſtratibus, imminuit. Pontes autem illi perpetui non erant, ſed ad tempus exſtruebantur, vel in Foro, vel in Campo. Vtrobique enim

Digitized by Google

Comitia habebantur, nec vere pontes, ſed menſę anguſtiſſimæ, pedibus altioribus, fuere: ſingulæ ſingulis Tribubus, aut Centurijs attributæ, Pontes a ſimilitudine dictæ. Tulit, & P. Sulpicius Tribunus pl. L. Silla, Q. Pompeio Cos. vt in omnibus Tribubus Libertini ſuffragium ferre poſſent, cum in quatuor tantùm Vrbanis Tribubus antea ferre conſueuiſſent, hanc Legem puto a victore Silla, Sulpicij inimico eſſe abrogatam, puto autem ob eam cauſam, quia C. Manilius Tribunus pl. aliquot poſt annos eandem Legem ferre conatus eſt: idemq; poſtea & P. Clodius cogitauit, teſtis Cicero in duabus Orationibus, pro C. Cornelio, & pro Milone. Sancitum & legibus illud exiſtimo, quod apud Ciceronem lib. II. de Legibus ſcriptum eſt, vt Augurum arbitratu Comitiatus, & Concilia, vel inſtituta dirimerentur, vel habita reſcinderentur. Quod autem in eorundem Augurum Commentarijs traditum erat, Ioue fulgente tonante Comitia haberi nefas eſſe, & illud, ſiniſtrum fulmen, aduerſum, infauſtumque, Comitijs eſſe ſignum; item illud, dimittenda eſſe Comitia, cum quis eo morbo, qui inſputatur, corruiſſet, ex quo Comitialis morbus dictus eſt; poſtremo, ſi Tribunus pl. interceſſiſſet, quod fiebat hac voce prolata Veto: hæc omnia & in augurum libris notata, & vt ſeruarentur, Legibus cautum eſſe, non dubito. Atque hæc, quæ ad impedienda Comitia pertinent, non tam religionis cauſa homines ſapientiſſimi Legibus conſtitui voluerunt, quam vt, ſi quando pernicioſa Reip. rogatio ferretur, obſiſti per aliquem Augurem facile poſſet, quam totam rationem C. Cæſar, qui nihil, niſi potentiæ ſuæ cauſa, fecit in Conſulatu neglexit; Bibulumq. collegam obnunciantem armis foro expulit. Pertinere & illud ad vim Comitiorum videtur, quod in XII. Tab. cautum inuenio, vt quod poſtremum Populus iuſſiſſet, id ius ratum eſſet. Item Lex illa, qua cautum eſt, ne priuilegia, niſi Centuriatis

riatis Comitijs, irrogarentur. Cuius mentionem facit Cicero in Oratione pro Domo, & in ea pro Sextio, & libro III. de Legibus. Nec excluditur ab hoc genere illa Lex, quam renouare multos poſt annos C. Cornelius Tribunus pl. quem Cicero defendit, conatus eſt, ne quis, niſi per Populum, Legibus ſolueretur, itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem Legibus ſolui placebat, adijci erat ſolitum, Vt de ea re ad Populum ferretur: ſed paulatim ferri deſitum eſt: resq; in eam conſuetudinem venit, vt poſtremo ne adijceretur quidem in S. C. de rogatione ad Populum ferenda: eaq. ipſa S.C. per pauculos admodum fiebant, quam ob cauſam, ferente Legem Cornelio, vt antiquum ius renouaret, inductus a Senatu P. Seruilius Globulus Tribunus pl. interceſſit. Firmauit etiam Populi iudicia, quæ Comitiorum nomine continentur, Caſſia lex, C. Mario, C. Flauio cos. a C. Caſſio Tribuno pl. L. Caſſij Rauiliæ filio, de quo proxime mentionem fecimus, rogata vt quem populus damnaſſet, cui ve Imperium abrogaſſet, in Senatu ne eſſet.

Et:

Scripſit Lælius, cum Tribunus pl. Populum adeſſe iuberet, non Comitia, ſed Conſilium edicere debuiſſe: cum non vniuerſum Populum, ſed Plebem tantùm, quæ pars Populi eſt, aduocare Tribunus poſſet, verum hoc, quod a Lælio ſcriptum in Gellio legimus, obſeruatum ſit, nec ne, haud ſane mihi certum eſt, quin, quo me inclinat coniectura, eo me dare ſi velim. Comitia, quæ Tribunus pl. haberet, dicta crediderim, non ſolum poſt Legem Hortenſiam, quæ, diſcrimine ſublato, Tribunicijs rogationibus Ciues omnes pari iure ſubiecit; ſed antea quoque, cum Plebiſcitis Patricij non parerent, quid enim? non ne Tributa Comitia dicebantur, quæ deſignandis minoribus Magiſtratibus haberentur? at Tributa Comitia non & a Tribuno pl. habebantur? an igitur eſt, qui cum Tribuni

pl.

Digitized by Google

pl.eſſent deſignandi, eius rei cauſa Conſilium a Tribuno edictum legerit? quod ſi quis, vt omnino Lælij diſtinctio confirmetur, non de eo Populo, qui ad deſignandos Magiſtratus, ſed de eo, qui ad ſciſcendam Legem, aduocaretur, accipi velit: ne hoc quidem aſſenſerim: cum, aliter eſſe, ipſo Cicerone magiſtro, didicerim, vocat enim hic noſter lib. II. de Diuinatione Comitia, & in Legum iure, & in iudicijs populi, & in creandis Magiſtratibus præterea in Oratione pro Sextio, Venio, inquit, ad Comitia, ſiue Magiſtratuum, ſiue Legum. Et Liuius libro XXXI. Rogatio, inquit de bello Macedonico primis Comitijs ab omnibus ferme Centurijs antiquata eſt. Et ibidem: pro ſe quoque Conſulem hortari, vt de integro Comitia rogationi ferendæ ediceret. Et lib. XLV. Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter affuturus Comitijs ferendæ legis. Iam vero, & de reo iudicando Comitia dicta, quæ Tribunus pl. haberet, exempla teſtantur, vt in III, de Legibus, II. de Diuinatione, & apud Liuium quatuor libris, III. XXVI. XL. XLIII. Quamquam, ſi quis ipſa Lælij verba paulo attentius conſideret, intelliget, nec ab ipſo traditum id, quod nos, quaſi traditum, exemplis redarguimus. Ait enim, qui non vniuerſum Populum, ſed partem aliquam Populi, adeſſe iuberet, eum non Comitia, ſed Conſilium, edicere debere, quibus verbis, non quid fieret, ſed quid fieri deberet, ſignificat notat igitur, & quodam modo repræhendit deprauatam conſuetudinem, ſicuti eodem loco, cum infert: Ita ne Leges quidem proprie, ſed plebiſcita appellantur, quæ Tribunis pl. ferentibus accepta ſunt, quo in loco, Appellantur, Accepit pro, Appellari debent, quod enim tradidit, obſeruatum non eſſe, quæq; Tribunis rogantibus plebs iuſſit, ea tum Plebiſcita, tum Leges, & a Liuio, & ab alijs dici, ſæpe licet animaduertere: ſicuti, & conſilium plebis & Comitia de reo Poſthumio, apud eundem Liuium libro XXV.

Et

Digitized by Google

Et:

Locum & in lege, & in Magiſtratu fuiſſe trinundino, minime miror, qui videam a Cicerone, Oratione II. in Rullum, appellari legem ea Comitia, quibus Maiores Magiſtratus crearentur, nam ſi Comitia lex ſunt: ſequitur, vt quod in lege, idem in Comitijs obſeruetur, & quod rationi conſentaneum videtur, id exempla clarius oſtendunt, x. viris creandis, inquit Liuius lib. III. in trinundinum Comitia indicta ſunt. Et in Epiſtola ad Tironem Cicero: Ad Conſulatus petitionem ſe venturum: neque iam velle abſentis rationem haberi ſui; ſe præſentem trinundinum petiturum. Quod tamen nonniſi tranquilla Rep. ſeruatum exiſtimo, nam punico bello ſecundo Q. Fabius Maximus, Conſul tertium, Romam, Comitiorum cauſa, proficiſcens, in eum, quem primum diem Comitialem habuit, Comitia edixit, idemq; fecit anno proximo C. Claudius Centho, Dictator, Comitiorum Conſularium cauſa, creatus.

Et:

Macrobius lib. I. Comitia Nundinis haberi non licuiſſe veterum teſtimonio probat.

Et:

Comitiales dies, ideſt, ij, quibus, agi cum Populo, licebat.

EX

EX. COMM. IN EP. CIC. FAM. LIB. I. EP. 4.

Sextili menſe deſignabantur Magiſtratus, Maiores, Centuriatis Comitijs, Minores, Tributis.

Ibidem:

Lex Pupia, Comitialibus diebus haberi Senatum, vetabat Ad Q. Fr. ep. 2. lib. 1. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt conſecuti ſunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Et ep. 12. Comitialibus diebus, Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat Senatum, & quod Gabinia ſancitum ſit, id etiam cogi, legatis quotidie Senatum dari.

Lib. 1. ep. 9.

Comitijs Centuriatis legem tulit Lentulus Conſul. Qua de re ſic in Oratione pro Domo: conſtat, nullis vmquam Comitijs Campum Martium, tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum, floruiſſe. In Piſonem: legem Comitijs Centuriatis tulit P. Lentulus Conſul de collegæ Q. Metelli ſententia: quæ Lex quemadmodum accepta ſit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini Ciui vllam, quo minus adeſſet, iuſtam excuſationem eſſe viſam; nullis Comitijs vmquam multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem, fuiſſe. Et pro Sextio: cum de me ex S.C. Comitijs Centuriatis ferebatur, quis eſt, qui non profiteatur ſe affuiſſe, & ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Comitiorum tria genera fuerunt: de quibus alio loco pluribus verbis: hoc tantum dicam, Centuriatis creari ſolitos eſſe maiores dumtaxat Magiſtratus, Conſules, Decemuiros, Tribunos mil. Conſulari poteſtate, Cenſores, Prætores: ijſdem a Maioribus tantùm Magiſtratibus Leges eſſe latas, vt cum de Bello indicendo ferebatur: haberi autem a Tribuno plebis

bis non potuiſſe, qui non fuit inter Maiores Magiſtratus. Quod ſi Perduellionis aliquem Tribunus pl. accuſaret, (quo de crimine Centuriatis Comitijs Populus iudicare ſolitus eſt) petebat a Conſule diem, quo Populum in Campum Martium per Centurias non ipſe, ſed Conſul, ad iudicium conuocaret. Liuius, Gellius, alij.

Lib. VII. ep. 30.

Comitia, Quinctili menſe fieri ſolita, vt Quæſtores anni ſequentis crearentur, in menſem Decembrem ideo protracta erant, quia Cæſar abſuerat, Hiſpanienſi bello impeditus: poſt reditum autem triumphare prius voluit, quam habere Comitia.

Ex hoc loco, niſi fallor, licet intelligere, poſtremam omnium Comitiorum Quæſtoria fuiſſe, quæ enim ſuperſunt, cum hæc vltimo anni die habeantur?

Ibidem:

Comitijs Tributis creabantur Minores Magiſtratus, Aedilis plebis, Quæſtor, Tribunus pl. Aedilis cur. Centuriatis autem Maiores, Prætor, Conſul, Cenſor, Vtraque a Conſule haberi ſolita, & locus hic, & epiſtola 3. lib. IV. ad Atticum declarat.

Lib. IIX. ep. 4.

Comitia Prætoria fieri ſtatim poſt conſularia ſolita ſunt ſed obſtitit neſcio quid Auſpicia quidem impedimento eſſe non potuere: cum Prætoria, vt lib. XIII. cap. 14. docet Gellius, iiſdem, quibus Conſularia fierent; Conſularia vero facta iam eſſent.

Ibidem:

Candidati, antequam ſua Comitia fierent, aliorum quoque Magiſtratuum Comitijs prenſabant, vt Populi voluntatem elicerent; qua perſpecta, vel confirmarentur in ſpe, vel ſi quis eſſe aduerſum intelligerent, aliqua ratione mederentur: propterea Comitijs Tribunicijs, qui candidati Conſulares erant, prenſarunt Galba, Antonius

Digitized by Google

Cornificius; quod in epiſtola ad Atticum prima ſcriptum eſt. Sic Cœlius, Hirruſque, cum Aedilitatem curulem peterent, Aedilium plebis tamen Comitijs prenſarunt.

Lib. IIX. ep. 8.

Comitialibus diebus Senatum haberi, Leges vetebant, ep. 2. lib. II. ad Quinctum fratrem. Conſecuti ſunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Et eodem Libro, epiſtola Riſi: Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur, Appius interpretatur, non impediri ſe Lege Pupia, quo minus habeat Senatum. Ad Lentulum autem, ep. 4. lib. I. ijdem dies ſignificantur, ijs verbis: Senatus haberi ante Kalendas Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt.

EX. COMM. IN EP. CIC. AD. ATT. LIB. II. EP. XXI.

Comitiorum dilatio Populum offendebat, quia Comitijs nummi diuidebantur. ep. 16. lib. 2. ad Att.

Lib. IV. ep. I.

Comitia Centuriata erant, cum Populus non fuiſſet in Tribus conuocatus, ſed cenſu, ordinibus, ætatibus, deſcriptus, ſuffragium: nec niſi ſingulis de rebus, ferebat ideo Centuriatis Comitijs Conſules creabantur, & Cicero ab exſulio reuocatus.

Lib. IV. ep. 3.

Quo die de Cœlo ſeruabatur, eo die Comitia ferri non poterant. Erant omnino Leges, ne Comitijs Magiſtratuum de Cœlo ſeruaretur. Quod in 2. in Antonium declaratur, his verbis: Quiſquam ne diuinare poteſt, quid vitij in Auſpicijs futurum ſit, niſi qui de Cœlo ſeruare conſtituit? Quod neque Comitijs licet per Leges, & ſi quis ſeruauit, non habitis Comitijs, ſed priuſquam habeantur, debet nunciare. Vetabant igitur leges Comitijs

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratuum de Cœlo ſeruari; ſed quia ſæpe Leges contemnebantur, ideo Conſules edicto etiam id prohibendum putabant, nam, ſi leges valuiſſent, quid erat, cur edictum adderent? Nec longe abſunt exempla auſpicantis de Cœlo Magiſtratus, contra quam Legimus cautum erat, vt Comitia impediantur, nam hoc ipſum Proſcripſit ſe per omnes dies Comitiales de Cœlo ſeruaturum non ad inijciendam Comitijs Aedilicijs moram ſpectat? Milo autem, cum obnunciat Metello Conſuli, non eadem cauſa obnunciat? Poterat autem, quia Tribunus pl. erat. Comitijs vero, quibus leges ferrentur, ſeruari de Cœlo licuiſſe, cognoſcitur ex Oratione de Prouincijs.

Ibidem:

Comitialibus diebus haberi Comitia poterant. Macrobius, Gellius, ad Q. fratrem, alibi.

Ibidem:

Comitium in Foro fuiſſe, vel hic locus oſtendit; cum Metellus poſtulet, vt ſibi in Foro obnuncietur: Milo autum in Comitium veniat. Plinius etiam, lib. xv. cap. 18. Colitur ficus arbor in Foro ipſo, ac Comitio. In Comitio ius dicebatur. Plautus in Poen. Iſtorum nullus Nefaſtus eſt, Comitiales ſunt meri, ibi habitant, ibi eos conſpicias, quam Prætorem, ſæpius.

Ibidem:

Dum nundinæ fiebant, Comitia haberi non licebat. Macrob. lib. 1. Sat. Plin. lib. xiix. cap. 3.

Lib. iv. ep. 17.

Tributis Comitijs (Gellius ex libro Lælij Felicis) Populum, qui ex regionibus ad ſuffragia conueniebat, marmorea ſæpta, non, vt ante lignea, concludebant.

Ad M. Brutum, Lib. 1. ep. 1.

Comitijs Tributis, deſignabantur Tribuni pl., quod inſtitutum eſt anno ab Vrbe condita ccxxciii. Conſulibus T. Quinctio Capitolino, Ap. Claudio Sabino: cum ad

Digitized by Google

id tempus Comitijs Curiatis deſignati eſſent, deſignabantur autem ante Conſules, vt ex prima epiſtola ad Att. ſatis dilucide patet; & ante eoſdem etiam Magiſtratum inibant, nempe IV. Id. Dec. quod ex Dionyſio, Liuioque planum fit. Nam, quod in Pediani libris impreſſum eſt, Tribunos pl. Nonis Dec. Magiſtratum inire ſolitos; id mendoſum eſſe puto. Vt enim omittam Liuij teſtimonium, in quo momenti multum ſtatuo eſſe; Dionyſius, cum de quarto Id. Dec. primo Tribunatus pl. die, mentionem facit, adiungit illud, μέχρι τοῦ νῦν, cum dicat, ſuis quoque temporibus idem ſeruari, eoq; magis adducor, vt ſuſpicer de mendo, quod quem locum Ciceronis, qui eſt in libro ſecundo in Verrem, Pedianus ibi expoſuit, in eo Ciceronem de alio Magiſtratu potius, quam de Tribunatu pl. locutum eſſe, facilime perſpiciet; ſi quis animum paulo accuratius aduerterit, nam, ſi de Tribunatu pl. intellexiſſet, numquam Sulpicium a Manlio, & Cornificio, quos proximis ſuperioribus verbis Tribunos pl. nominauerat, ſeparaſſet. Nec vero de Sulpicio vllo, niſi Patricio, memini me legiſſe. Etiam illud addo, Nonis Dec. quo die actum eſt in Senatu de coniuratis, non fuiſſe M. Catonem Tribunum pl. des. patet ex Oratione pro Sextio.

Lib. I. ep. 9.

Comitia Sacerdotum, nonniſi a Conſulibus, aut ab Interrege, aut a Pontifice Maximo haberi poterant.

Ibidem:

Sacerdotum Comitia, non vt Magiſtratuum quotannis ſed cum ſurrogandus aliquis eſſet, in demortui locum, habebantur.

Ad Q. Fr. Lib. 2. ep. 1.

Feſtis diebus Senatum haberi non potuiſſe, notius eſt, quam vt probare deceat. Comitialibus item, facile intelliget, qui Senatus Conſultum, quod eſt in epiſtola Cœlij ad Ciceronem, attente legerit. Sic enim in eo

ſcrip-

ſcriptum eſt, D. E. R. I. C. vti C. Paulus, C. Marcellus Coſ. cum Magiſtratum inijſſent ex. Kal. Mart. quæ in ſuo Magiſtratu futuræ eſſent, de Conſularibus Prouincijs ad Senatum referrent, ne ve quid prius ex Kal. Mart. ad Senatum referrent, ne ve quid coniunctim de ea re referretur a Cos. vtiq: eius rei cauſa per dies Comitiales Senatum haberent, S. Q. C. facerent. Nominatim de Comitialibus diebus non dixiſſet, Vt per eos Senatum haberent, ſi haberi alioqui licuiſſet. Et in ep. 2. lib. 11. ad Q. fr. conſecuti ſunt, inquit, dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.

Lib. 11. ep. 2.

Qui priore loco creatus erat Conſul, is Comitia ſequentis anni Conſulibus rogandis habebat. Itaq; & Cicero, qui prior Conſul erat, Conſulem a ſe eſſe Murenam renunciatum, in Oratione pro eo narrat.

Lib. 11. ep. 5.

Comitiales dies tollebantur, cum alijs rationibus, tum ferijs indicendis: cum & Comitialis, & Feſtus, dies idem eſſe non poſſit.

Lib. 11. ep. 12.

Comitiales erant de numero Faſtorum, ſed eodem tempore, & Lege, & cum Populo non agebatur: ſi Lege, non cum Populo: ſi cum Populo, non Lege. Itaque licebat vtrumque: ſed eodem tempore vtrumque non fiebat: Senatus autem per eos dies non habebatur: contraque, qui dies Faſti non erant Comitiales, ijs & Lege agi, & haberi Senatum, idq; eo die, confectis iudicijs, licebat: factumq; animaduertimus.

EX

Digitized by Google

EX. COMM. IN. ORAT. CIC. IN. C. VERREM. ACT. I.

Comitia Aedilicia, poſt Conſularia, prętoriaque fiebant.

Ibidem:

Bina Comitia, vtraque Tributa, de ijſdem Candidatis fieri ſolita, Pedianus ſcribit.

Ibidem:

Iiſdem Comitijs Conſules, & Prætores, quia Maiores erant Magiſtratus, creabantur.

Act. II. lib. I.

Mos erat, vt ab Aedilibus Cur. Comitium ornaretur: nam & libro IV. C. Claudius, inquit, cuius Aedilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, vſus eſt hoc Cupidine tam diu, dum Forum Dijs immortalibus: Populoque Romano, habuit ornatum: &, cum eſſet hoſpes Heiorum, Mamertini autem Populi patronus, vt illis benignis vſus eſt ad commodandum, ſic ipſe diligens fuit ad reportandum. Congruit cum hoc loco locus ille pro Domo: Tanagræa quædam meretrix fuiſſe dicitur, eius non longe à Tanagris ſimulacrum è marmore in ſepulcro poſitum fuit, hoc quidam homo nobilis, ad ornatum Aedilitatis ſuæ deportauit.

Act. II. lib. 5.

Centuriatis Comitijs Maior Magiſtratus, Prætor, Conſul, Cenſor, creabatur. Cicero, Liuius, Dionyſius, Gellius.

Or. II. de Lege agraria:

Comitia vocabat Rullus, in quibus non Tribus omnes, ſed tantùm XVII. ſorte ductæ de Pontifice Max. ſuffragium ferrent, at Cicero infra negat eſſe Comitia. Iam hoc, inquit, inauditum, & plane nouo more: vti Curiata Lege Magiſtratus detur, cui nullis Comitijs ante ſit datus. Creabantur Pontifices Max. à Populo, non vniuerſo, ſed tantùm à Tribubus XVII. ex vetere inſtituto: reliqui Sacerdotes

Digitized by Google

tes à Collegijs: poſtea ipſi quoque Lege Domitia à Populo creari cœpti ſunt. Qua de re copioſe diſputauimus in libro de Legibus.

Pro L. Murena:

Non ſine Auſpicijs Comitia in Campo habebantur: ideo Campus ipſe, & in Oratione pro Rabirio locus auſpicatus, & in Catil. IV. Conſularibus Auſpicijs conſecratus appellatur.

Coſt. red. in Sen.

Concilium dicitur, cum pars Populi tantùm exit. Comitijs autem coit vniuerſus.

Pro Sextio:

Comitia dicuntur, non modo cum ad Magiſtratus creandos, ſed etiam cum ad Legem cenſendam, aut de Ciue iudicandum, Populus conuenit. Quod in libro de Legibus demonſtratum eſt.

Ibidem:

Comitia proprie de creandis Magiſtratibus dicuntur, de ſciſcendis Legibus, de Ciuibus iudicandis, καταχρηστικῶς: contraq; de Legibus, & de Ciuibus, Conſilium proprie vocatur; de Magiſtratibus, non item. Sic in ea poſt reditum in Senatu, Legem, inquit, Tribunus pl. tulit, ne Auſpicijs obtemperaretur; ne obnunciare Conſilio, aut Comitijs, ne Legi intercedere, liceret.

Philipp. II.

Comitijs Magiſtratuum ſeruare de Cœlo, Leges vetabant, aut ita concedebant, ſi prius, quam Comitia haberentur, non vbi habita iam eſſent, is, qui de Cœlo ſeruauerat, obnunciaret.

Ibidem.

Quinque Claſſibus diſtributus Populus Romanus in Campum Martium ad Comitia veniebat. Quot autem Centuriæ ſingulis eſſent in Claſſibus, Liuius, & Dionyſius docent: hic autem exponere, quæque illi ſcripta reliquerunt, recitare, noſtri inſtituti non eſt. CO-

Digitized by Google

COMITIORVM tria ſunt genera; Romæ diuerſis temporibus inſtituta. Curiata primum, a Romulo Centuriata deinde, a Ser. Tullio; ſexto Romanorum Rege; poſtremo, Tributa, a Tribunis pl.

De Curiatis Comitijs iſta ſignificant, quæ ſcripta ſunt apud Pomponium Iuriſconſultum. Romulus, inquit, Populo in triginta partes diuiſo, quas Curias appellauit, quod tunc Reip. curam per ſententias earum expediebat; Leges quasdam Curiatas, ac Populum tulit: tulerunt, & ſequentes Reges.

Centuriata Seruius Rex, vt diximus, maiorum rerum, Patriciorumq; Magiſtratuum cauſa, induxit, ijſq; Comitijs ad extrema Reip. tempora Patricios Magiſtratus creatos eſſe legimus.

Tributa, Regibus eiectis, tum primum inſtituta, cum Coriolanus in iudicium Populi vocatus eſt, poſteaq; cum Volerone Publilio Lætorius Legem tulerunt, vt Tributis Comitijs Plebeij Magiſtratus fierent; qui antea Curiatis fieri ſolebant. Ex noſtris Obſeruationibus.

Ex Plutarcho, in Numa:

SVFFRAGIA Populus tulit, de Regno Numæ mandando.

Ex Eodem, in Pompeio:

Vide, Comitijs Tributis Bellum Mithridaticum Pompeio delatum, lata Legatione à Tribuno pl. Manilio.

Ex Eodem, in Cæs.

Tributis Comitijs Pontifex Maximus declarabatur.

Ex Eodem, in Cat. Vtic.

Augure nunciante, ſe tonitrua audiuiſſe, Comitia diſſoluebantur,

Ex Dionyſio Halic.

Comitia Centuriata huiuſmodi erant. Populus per Centurias ad Comitia conueniebat; non omnis, inquam, Populus, ſed tantùm è Claſſibus, in quas diſtributus erat

omnis

Digitized by Google

omnis Populus, certus quidam Centuriarum numerus; ſic: Cum ſex eſſent Claſſes, a Seruio Tullio, ſexto Romanorum Rege, inſtitutæ; prima Claſſis nonaginta octo Centurias habebat, peditum octoginta, equitum decem, & octo; quorum res cenſa centum minis, aut ſupra, erat. Et quoniam hìc quæri poſſet, cum dicimus nonaginta octo Centurias fuiſſe in prima Claſſe, num omnes homines primæ Claſſis intelligamus; negamus, multis de cauſis, vna præcipua, quod, cum in ſexta Claſſe vna tantùm eſſet hominum humilium, & pauperrimorum Centuria, manifeſtum eſt, non in ea Claſſe centum modo homines fuiſſe, quippe cum, & veriſimile ſit, plurimos fuiſſe, vt ſunt fere pauperes qualibet in Vrbe; & ipſe Dionyſius Halic. vnde hæc ſumpta ſunt, plane ſcribat, plures fuiſſe in vna ſexta Claſſe, quam in quinque reliquis: ergo Centuria centum homines erant, ex vniuerſa Claſſe electi ad ſuffragia ferenda. Atque hìc quoque ſi quæratur, num hi centum homines ſuffragia ſimul ferrent: reſpondebitur, ſingulis Centurijs Præfectum (Cic. lib. II. de Or.) fuiſſe Centurionem appellatum: qui, cum ab ipſa Centuria ſuffragia viritim lata eſſent, ſuffragiorum numerum in vtramque partem dignoſceret, & ex maiore numero pronunciaret, Centuriam ſuam vel probare id, cuius cauſa Populus conueniſſet, vel contra: vt in alterutram partem vnicum eſſet Centuriæ ſuffragium, & Centuriatis Comitijs ex maiore Centuriarum numero, aut Magiſtratus creabantur; aut aliud quid è re nata ſtatuebatur: cum haberetur ratio non ſuffragiorum omnium in vna quaque Centuria, ſed Centuriarum omnium ex omnibus Claſſibus; quæ erant omnes centum nonaginta tres; in prima, vt diximus, nonaginta octo; in ſecunda, duo & viginti, quorum cenſus erat ſeptuaginta quinque minis, & ſupra; in tertia, viginti, cenſu non minus quinquaginta minarum; in quarta, duo & viginti, cenſu viginti quinque minarum, & ſupra; in quincta, triginta, cenſu intra viginti quin-

que minas, ad duodecim & ſemis; In ſexta, vna tantùm hominum minimo cenſu, id eſt minarum infra duodecim & ſemis, qui vacationem habebant militiæ, erantq; omnium tributorum immunes, ideoq; in Comitijs inhonoratiſſimi. Eſt in hoc illud animaduertendum, duas fabrum Centurias, & opificum a Dionyſio in viginti duabus ſecundæ Claſſis Centurijs numerari, a Liuio in primam Claſſem referri. Item Tibicinum, & Tympaniſtarum, & aliorum quorundam, imperata in bellis ſignificantium, ſonitu, ſtrepitu ve aliquo duas Centurias à Dionyſio in quartam Claſſem adſcribi a Liuio in quinctam. Raro autem in Comitijs ad vltimam claſſem deuentum eſt: in qua erat vna Centuria: cum raro contingere ſoleret, vt ex vtraque parte ſuffragiorum contra pugnantium numerus eſſet nonaginta ſex; quod ſi quando acciderat; tum vnum extremum ſuffragium ſextæ Claſſis in alterutram partem inclinans, victoriam dabat. Vſque ad Seruium Tullium Populus ſuffragia ferebat, per Curias id eſt viritim: ideoq; in ſuffragijs diuites minus poterant: pauperes enim numero præſtabant: vt ipſi Magiſtratus dare, Leges ſciſcere, bella decernere, viderentur. Hanc poteſtatem Seruius ad diuites tranſtulit, cum ex omni Populo ſex Claſſes inſtituens, & ex Claſſibus ſingulis Centuriatis, ſuffragia ferri voluit non Curiatim, vt antea, ſed Centuriatim, vt obſeruatum eſt vſque ad tempora Dionisij Halic. qui fuit C. Cæſaris ætate, vt ipſe teſtatur lib. 1. non longe a principio, ſic & diuitibus ſatisfecit, poteſtate rerum maximarum auctis (erant enim Comitiorum domini, ſi Centuriarum numerum ſpectemus) & pauperes non offendit, amiſſionem ſuffragiorum æquo animo ferentibus quoniam militæ vacationem, immunitatem Tributorum, erant conſecuti: quæ fuit, vt diximus, ſexta Claſſis, numero Maior, quam quinque ſimul reliquæ.

Ex

Digitized by Google

Ex Eodem:

Scripto Decreto a Tribunis, vt Coriolanus cauſam diceret de Tyrannide quæſita, tempus ad apparatum defenſionis vſque ad Forum tertium præſcriptum eſt: fiebant enim tunc Romanis Fora nono quoque die, vt & poſtea ſemper ſeruatum eſt, eo die Fori conuenientes ex agris Plebeij, permutationes faciebant rerum venalium, litiumq; inter ſe iudicia accipiebant, & de publicis calculos ferentes, vel ſanciebant, vel antiquabant; dies vero ſeptem inter Fora medios in agris morabantur.

Ex Eodem:

Populus per Curias diuiſus calculos viritim tulit, tunc primum poſt Centurias inſtitutas; & Curiæ calculos laturæ ſeparatim conſtituebantur, vt in ſua quiſque Curiam calculum ferret.

Ex Macrobio, Lib. 1.

Menſe Martio Comitia auſpicabantur, vectigalia locabant, ſeruis cœnas apponebant matronæ, vt domini Saturnalibus eiuſdem, menſis die prima ignem nouum Veſtæ aris accendebant, vt incipiente anno cura denuo ſeruandi nouati ignis inciperet, eodem ingrediente menſe, in regia, Curijſque, atque Flaminum domibus, laureæ veteres nouis laureis mutabantur.

Ex Eodem, Lib. 1.

Nundinæ Kalendis, & Nonis omnibus cauebantur: quoniam, quoties, incipiente anno, Nundinarum dies fuit, omnis ille annus luctuoſus fuit: maximeq; Lepidiano tumultu opinio iſta confirmata eſt. Nonis autem conuentus vniuerſæ multitudinis vitandus exiſtimatur, ne quid nouaretur ob deſiderium Ser. Tullij Regis cuius natalem omnibus Nonis Plebs celebrabat, cum ignoraret, quibus ille Nonis natus eſſet, natum tamen eſſe Nonis certo ſciret. Itaque dies ille, quo tunc annus abundabat, eorum eſt permiſſus arbitrio, qui Faſtis præerant, vt cum vellent

interkalarent, dum modo ita eum in medio Terminaliorum, vel menſis interkalantis, locarent, vt a ſuſpecto die celebritatem auerterent Nundinarum. Interkalabant autem veteres Romani poſt diem vigeſimum tertium menſis Februarij, Terminalibus iam peractis, reliquos quinque dies, poſt interkalationem ſubiungebant: credo vetere religionis ſuæ more, vt Februarium omnino Martius ſequeretur.

Ex Eodem, Lib. I.

Comitia Nundinis haberi non poterant: neque concionem aduocare, id eſt, cum Populo agere licebat.

Ex Gellio, Lib. v. cap. 19.

Comitijs Curiatis Arrogatio fiebat arbitris Pontificibus & Arrogatio ab Adoptione hoc differt, quod Adoptio per Prætorem fit, Arrogatio per Populum. Adoptantur, cum a parente, cuius in poteſtate ſunt, tertia mancipatione in iure ceduntur; Arrogantur, quicum ſui iuris ſint, in alienam ſeſe poteſtatem tradunt, eiuſq; rei ipſi auctores fiunt.

Ex Eodem, Lib. v. cap. 19.

Quia cum fœminis nulla Comitiorum communio eſt, idcirco Mulieres Arrogari non poſſunt, quoniam Arrogatio Comitijs Curiatis fit.

Ex Eodem, Lib. VII. cap. 9.

Tribunus pl. Licinius, cum Perduellionis neſcio cui diem dixiſſet, Comitijs diem a Q. Marcio Prætore popoſcit.

Ex Eodem, Lib. XIII. cap. 14.

In edicto Conſulum, quo edicunt, quis dies Comitijs Centuriatis futurus ſit, ſcribitur: Ex vetere forma perpetua, ne quis Magiſtratus Minor de Cœlo ſeruaſſe velit.

Ex Eodem, Lib. xv. cap. 27.

In libro Lælij Felicis primo ad Q. Mucium ſcriptum eſt, Labeonem ſcribere, calata Comitia eſſe, quæ pro collegio

Digitized by Google

gio Pontificum habentur, aut Regis Sacrorum, aut Flaminũ inaugurandorũ cauſa: eorũ autem alia eſſe Curiata, alia Cẽturiata: Curiata per lictorem Curiatim calari, id eſt conuocari; Centuriata, per Cornicinem: iiſdem Comitijs, quæ calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant. Tria enim genera teſtamentorum genera fuiſſe accipimus: vnum quod calatis Comitijs in concione populi fieret; alterum in procinctu, cum viri ad prœlium faciendum in aciem vocabantur; tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur. In eodem Lælij libro hæc ſcripta ſunt: Is, qui non vniuerſum Populum, ſed partem aliquam, adeſſe iubet, non Comitia, ſed conſilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt, ita nec Leges quidem proprie, ſed Plebiſſcita appellantur, quæ Tribunis pl. ferentibus accepta ſunt, quibus rogationibus ante Patricij non tenebantur, donec Q. Hortenſius Dictator eam Legem tulit, vt eo iure, quod Plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur. Item in eo libro hoc ſcriptum eſt: cum ex generibus omnium ſuffragium feratur, Curiata Comitia eſſe; cum ex cenſu, & ætate, Centuriata; cum ex regionibus & locis, Tributa: Centuriata autem Comitia intra Pomerium fieri nefas eſſe quia exercitum extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non ſit. Propterea, Centuriata in Campo Martio haberi, exercitumq; imperari præſidij cauſa ſolitum, quoniam Populus eſſet in ſuffragis ferendis occupatus:

Ex Tacito, Lib. 1.

Tum primum e Campo Comitia ad Patres translata ſunt; nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudijs Tribuum, fiebant, neque Populus ademptum ius queſtus eſt, niſi in anni rumore: & Senatus, largitionibus, ac precibus, ſordidis exſolutus, libens tenuit,

Digitized by Google

uit, moderante Tiberio, ne plures, quam quattuor, Candidatos commendaret, ſine repulſa, & ambitu, deſignandos.

Ex Suetonio, in Caligula:

Tentauit & Comitiorum more reuocato, ſuffragia Populo reddere. Opinor, quod Caligula tentauit, id poſtea factum eſſe, nam in Panegyrico Plinij nominantur hæc, Populus, Comitia, Campus. Sic etiam quodam loco de Traiano Conſule: Iter illi ſæpius in Forum, (ad iudicia) frequenter & in Campum, nam Comitia Conſulum obibat ipſe. Et alibi: Tuo iudicio Conſules facti, tua voce renunciati ſumus: vt idem honoribus noſtris ſuffragator in Curia, in Campo declarator, exiſteres (Reſtitutis autem Populo ſuffragijs) Senatui tamen remanſiſſe facultas probandi futuros Conſules videtur: ne omnino datum a Tiberio ius amitteretur.

Ex Epitome Liuij, Lib. LXIX.

C. Marius ſextum Conſulatum, per Tribus ſparſa pecunia emit.

Lib. cv.

Cum C. Catonis Tribuni pl. interceſſionibus Comitia tollerentur, Senatus veſtem mutauit. Sic Cic. ad Q. fr. Veſtitum mutare.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

DE
GALLORVM
CISALPINORVM

Antiquitate, ac origine,

GAVDENTIO MERVLA AVTORE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

DECVRIONIBVS MEDIOLANI.

ANTONIVS ANTONIVS S. P. D.

CVm quotidie, Decuriones Ampliſsimi, Gaudentij Merulæ libros, quos ille Galliæ Ciſalpinæ antiquitate conſcripſit, multi à me poſtularent, nec propter eorum inopiam illis dare poſſem, putaui, ſi illos imprimi curarem, poſſe me eodem tempore, & eorum voluntati ſatisfacere, & de præſtantiſsima Prouincia, ac MEDIOLANENSI præſertim Vrbe, bene mereri, quam enim vnam præ omnibus plurimum ſemper dilexi; vel quod maxima eſt, & propter rerum omnium affluentiam inſignis: vel

quod habet nobiliſsimos ciues, omni virtutum laude cumulatos: vel quod diligenter iuſtitiam colit, ita vt nulla illi ex cunctis Orbis terræ Vrbibus præferatur. Quæ omnia cum multi optimè perſpecta ſint, optimè illa intelligent, primum Deo Opt. Max. deinde Vrbi etiam magna ex parte debere, me deuinctum reddunt, & ad hoc opus reficiendum compulerunt, vt nonnullorum hominum votis ſatisfacerem, præcipuè vobis, qui ſummam vigilantiam cum ſingulari integritate, continentiaq; coniungitis. Ita Vos geritis in iſto Magiſtratu, vt, vnà cum prouincia vniuerſa ſummopere gaudeat ciuitas, talibus ſe potiſsimum viris commendatam. His de cauſis, cum ſemper ſumma obſeruantia colui; tum optaui etiam, vt digno aliquo munere, id declarare poſſem. Iam vero neſcio, an opportunior occaſio à me potuiſſet optari, quàm hæc de Gaudentij Merulæ Libris imprimendis, vobiſq; dicandis, cum enim de huius Prouinciæ antiquitate, amplitudineque agant: eorum merito præferre nomen inſcriptum debent; qui eius ſplendorem, nobilitatemq; egregiè tuentur: denique ſi cui gratum hoc opus eſſe debet, Vobis putaui fore gratiſsimum, vtpote Patriæ prouinciæ amantiſsimis. Accipite igitur æquo animo hoc munus, Vobis omni ex parte debitum; quod ſi (vt ſpero) placuerit, optimè me operam meam collocaſſe

arbi-

Digitized by Google

arbitrabor: eritq; mihi iucundiſſimum; primùm quod Vobis ſim gratificatus: deinde etiam vt omnes meam erga Vos obſeruantiam, ſtudiumq; cognoſcant. Valete.

Mediolani Id. Octobris. CIↃ IↃ XCII.

Digitized by Google

NOMENCLATVRA

Vic. & Duodecim Decurionibus.

Hieronymus Caimus *Vic.V.I.D.*
Perciualus Montius *V.I.D.Locumten.*
Io: Baptiſta Mandelus. } *Aſſeſſ.I.V.*
Hieronymus Vincemala. }
Cæſar Caſatus Phyſicus.
Carolus Archintius.
Comes Georgius Triultius. *Senat.*
Caſtellanus de Magijs.
Carolus de Comite.
Comes Renatus Borrhomæus.
Philippus Moreſinus.
Hieronymus Simoneta.
Hieronymus Vicecomes Eq.
Comes Matthæus Taberna.

GAV.

Digitized by Google

GAVDENTII MERVLAE

ANTIQ. GALLORVM CISALPINORVM

Liber primus.

AVolauerant ab vrbe, velut à caueca, viri cum autoritate, & moribus, tum litteris & beatiſſima ingenij vbertate conſpicui, ad geniales ruris delitias: quorum ſingula nomina ſi enumerare contenderem, in longum nimis noſtra protrahæretur oratio. Sat fuerit igitur è plurimis paucos admodum recenſuiſſe: è quibus primas partes Bonauentura, & Nicolaus Caſtillionæi tenebant, quod eſſent miro & animi, & eruditionis candore. Aderat quin etiam Benedictus Iouius, antiquitatum mirus obſeruator: Ad cuius dexteram Baptiſta Landulphus, & Blaſius Phyletus aſſederant, quales (dij boni) phyſici? Illuc quoque conceſſerant iuuenes nonnulli Ciceronianarum elegantiarum ſectatores, Hortenſius Appianus, L. Annibal Cruccius, & Petrus Franciſcus Buſca: qui relicto Patauio & Bononia, Ticinum venerant ad ingenij cultum ſub Andrea Alciato. Qui cum ſe mutuo ſallutaſſent, inquit Phyletus. Cur non ſeſſum imus ſub ymbram aliquam, quæ huic noſtro ſit non importuna ſermoni, donec Socrates noſter Alciatus acceſſerit: ne dies (quod aiunt pictores) vlla tranſeat

ſine

Digitized by Google

ſine linea: tum ne ſopor, qui à prandio, vt Plautus atteſtatur, non per bonus eſt, nos opprimat. Cum hoc conſilium omnes approbaſſent, ſub opacitate ilicis annoſæ propter decurſum gelidi fontis deceſſum eſt. Hìc Hortenſius, quantum nunc ſorti gratuler meæ, inquit, cogitari, ne dici quidem poteſt: cum hìc ferè (vt dicitur) hominum præſtantiam in ſinu teneam. Dij boni, quando ex hoc beneficio vobis relaturus ſum gratias: qui huc adduxiſtis lumina totius Ciſalpinæ Galliæ florentiſſima? Vtinam, Landulphus ait; veræ eſſent (de me tantùm loquor) quas enumeraſti, laudes: Verùm cum ingenioli mei vires ipſe perpendo, puto hoc à te dici ex abundantia amoris quadam, qua optimos quoſque proſequeris, vt etiam laudatu apud te digna ſint ea, quæ fortaſſe plures agnoſcunt minus. Tum Bonauentura, Hæ planè, inquit (pace tamen dicam veſtra) pueriles videntur exercitationes mihi: dicatur tandem aliquid, quod veſtra expectatione ſit dignum. Hìc tacentibus reliquis, inquit Landulphus, Non conſule, ſed dictatore opus eſt. Imò, inquit Caſtillionæus, Phalaride ad hanc pertinaciam euincendam. Eligatur igitur, inquit Cruccius, ex communi conſenſu tyrannus, qui habeat in nos merum imperium. Placuit id conſilij omnibus. Ductis itaque ſortibus, Landulpho ceſſit tyrannica poteſtas: qui ſtatim Phyletum elegit vicarium ſibi; iudices extraordinarios Bonauenturam, & Petrum Franciſcum Buſcam: qui rebelles caſtigaret, Hortenſium. His peractis deſedit Landulphus in eminentiore viridantis herbæ tumulo, & penes eum Phyletus: & cum graminea ſibi quiſq; thorum feciſſet in herba, inquit Caſtillionæus: quando à nobis conſtitutus ſis princeps hodiernus, fortuna multo magis nunc tibi Landulphe formidanda eſt: feriunt enim ſummos fulmina montes, Corpora morbis maiora patent. Memento igitur humanitatis, nec te fugiant exempla crudelitatis extinctæ. Non pepercit

fratri

fratri Thymeleon: ſi Iulius fueris Cæſar, inuenies Brutum & Caſſium. Nollem Landulphe, tamen hæc dicta à me putes, vel vt admonitor accedam, vel vt ſeuere minus tuo imperio vtaris: ſed vt humanæ conditionis ſis memor. Tunc ſubridens Landulphus, Caſtillionæe, inquit, hanc ita poteſtatem exercebo, vt non tyrannum me, ſed patremfamilias experturi ſitis: nec tyrannicum illud, Oderint, dum metuant, vnquam ſentietis: vos tamen obſecro, vt filios, non ſubditos agnoſcam; nam ſi vos, quales exopto, reperero, me quoque qualem exoptatis facilè inuenietis. Age igitur, inquit Caſtillionæus, vt & principem te, & patrem cognoſcamus. Tunc Landulphus, Nicolae Caſtillionæe, inquit, pro tua, quæ ſemper celeberrima fuit, humanitate hic antiquitatem Ciſalpinæ Galliæ, quam fere autores omnes & Græci, & Latini intactam reliquere, nobis expone: vt intelligat debere ſe tibi plurimum poſteritas. Tametſi ſoccus ad choturnum non aſcendat, inquit, Caſtillionæus conabor tamen pro viribus iniunctum onus abſoluere: Vos interim omnes oratos volo, ne has ambages meas circunferatis: nam hac in re non omnibus dormio: ad hæc ſi quæ frigidæ dictiones exciderint, aut leues ſententiæ, tyrannici ſpiritus importunitati adſcribatis, non autem mihi. Verùm ne quandoq; parturiant montes, & naſcatur ridiculus mus, dum pauca dico, precor attendite.

De Galliarum diuiſione, & circumadiacentibus regionibus. Cap. I.

ANtequam ſitum Ciſalpinæ Galliæ dicere aggrediar, res poſtulare videtur, Galliarum ſitum paucis exponere, & eas gentes, quæ finitimæ ſunt. Sed quæ loca, & nationes ob intenſiſſima frigora, & aſſiduam ferè noctem, & diem, item ob vaſtitatem ſolitudinis minus frequen-

quentata ſunt, de his haud facilè compertum narrauerim: cætera paucis abſoluam. Gallia omnis duplex eſt, Tranſalpina videlicet, & Ciſalpina, quæ nobis Deorum munere conceſſa eſt. Illa rurſus ex deſcriptione C. Cæſaris triplex eſt: Belgica, Celtica, & Aquitania. Celtas ab Aquitanis Garumna flumen à Celtis Belgas Matrona, & Sequana diuidunt, & hos à Germanis Rhenus. Sic quinque metis finitur: Rheno, Alpibus, Mediterraneo mari, Pyreneis montibus, & Oceano. Ab Oriente enim Gallias, a Germania Rhenus, à citeriori Alpium crepidines immenſæ diſpartiunt: Mediterraneum mare inter illas & Africam fluit: Ab Occaſu Pyreneis collibus ab Hiſpania ſecluduntur: Inter Occaſum, & Septentrionem Oceano quoque alluuntur. Ad Alpes iacent Allobroges, Heluetij, qui ad Celtas reijciuntur. Secus littus Mediterranei freti porrigitur Brachata Gallia, quæ poſtea Narbonenſis eſt dicta, à Narbone colonia; quo in tractu Forum Iulij colonia eſt, & Maſſilia à Phocenſibus condita: de cuius inſtitutis & moribus ita refert M. Tullius in Flaciana oratione. Neque verò te Maſſilia prætereo, quæ L. Flaccum militem, quæſtoremq: cognoſti. Cuius ego ciuitatis diſciplinam, atque grauitatem non ſolùm Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam iure: quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaq: diuiſa, cum in vltimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur vt omnes eius inſtituta laudare facilius poſſint, quam æmulari. Tunc Buſca, contracta ferè fronte, Caſtillionæe inquit, niſi tua nimis ad Maſſiliæ laudes feſtinaſſet oratio, non te audiuiſſem, quod Heluetios ad Celtas reieceris. Facit hoc inquit Caſtillionæus, C. Cæſaris auctoritas, qui de Heluetijs ſcribens, ait: Qua de cauſa Heluetij quoque reliquos Gallos virtute præcedunt: quod ferè quotidianis prælijs cum Germanis contendant: cum aut ſuis

Aquitani. Celtæ. Belgæ.

Gallia Brachata.

Narbonenſis.

Maſſilia.

Heluetios eſſe Gallos.

finibus

Digitized by Google

finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt. Cornelius præterea Tacitus, Irritauerant, inquit, turbidum ingenium Heluetij Gallica gens. Sed redeo ad Gallos à quibus me Buſca protraxiſti. Sunt hi quidem omnes bellaces, & ſtudio Martis exardent: ſumptis armis, quam primum animorum feruent impetu, conferendæ pugnæ alacritate impigres: alioqui ſimplices, & nulla morum malignitate degentes; Idcirco irritati exaſperantur maximè, & pugnas ineunt [illegible]. nullo tamen negotio ferè placantur. Hac noſtra tempeſtate ad diſciplinas maximè excoluere ingenia, & agrum habent frumenti præcipuè & pabuli feracem: amœnum ſaltibus, venationibus, quibus maximè Galli oblectantur, idoneum, noxio animalium genere minimè euitandum, fluminibus & fontibus irriguum, omnium deniq; ad vſum animantium fætu beatiſſimum. Totius autem Galliæ longitudo eſt CCCCXX. mill. paſſ. latititudo vero CCCXIII. mill. paſſ. non excedit. Gallias porrò cingit Germania ab Oriente. Hæc à Pannonijs, Rheticis iugis, & Danubio, à Sarmatis, Getis, quæ montibus, & mutuo metu finitur. Oceanus maiore ex parte anni ibi ſæuiſſimus cætera (vt aliqui volunt) ambit. Verum hac ætate depræhenſum eſt ſinus tantùm eſſe, quos terra continens excipiat. Suetia enim, & Norbegia cum Dacia coniunguntur: cui finitimi ſunt Lapones, fere ſub exordio arctici circuli, qui omnium gentium commercia adhuc euitant, Regi tamen Daciæ tributa dant annua. Sunt, ſi forte quæritis, Germani bellaciſſimi. Vnde de his Vergilius inquit.

Gallorũ ingenia.

Galliæ longitudo, & latitudo.

Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audijt: *Et infra*
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.

Facile Germani frigora ſuſtinent; & hyeme, quàm æſtate ad munia belli ſunt præſtantiores. Bella autem cum finitimis non auaritiæ, aut imperandi ſtudio tractant: ſed vt

circum ſe vaſtæ ſint ſolitudines. Sunt hoſpitibus boni, & ſupplicibus mites. Dat Germania cryſtalli, ſuccini, ceraunij candidi, & viridis gallaci copiam. Germanico Cæſare cum hyemaret exercitus Italorum in Germania, miræ virulentiæ fons repertus eſt, ex quo qui bibiſſet, dentium iacturam intra biennium, & genualium compaginum diſſolutionem ſubibat, vt ſtandi nulla facultas daretur. Huic peſti remedio eſſe herbam ſolam, quæ britannia dicitur, compertum eſt. Habet item hæc regio Viſontem, mirabili pernicitate animal: & Vros fere forma tauri, quorum vis eſt, & celeritas extra fidem. Alces ſimiles eſſent capris, niſi eſſent maiores, pellibus varijs, & cruribus ſine internodijs: Idcirco ſi quo caſu concidunt, ſubleuandi ſe nulla eſt poteſtas. In Germania quoque ſylua eſt Hercynia, tantæ magnitudinis, vt in ea plures hoſtium exercitus commodæ caſtrametentur. In cuius meditullio planicies fertiliſſima eſt: quam qui incolunt Cheruſci infidi ſunt, propter locorum cum ad inſidias, tum ad fugam idoneam opportunitatem. Ab his cum tribus legionibus deletus eſt Quintilius Varro. Tanta autem, & ſic immenſa eſt eius ſyluæ vaſtitas arborum, vt in mortali ſorte ferè poſita eſſe videatur. Manifeſtum eſt enim occurſantium inter ſe radicum repercuſſu colles eleuari, aut vbi tellus non ſubſecuta, fit, arcus ad ramos vſque, & ipſos inter ſe rixantes curuari patentium portarum modo: vt rectis haſtilibus cum curribus, impedimentis, & tormentis bellicis copiæ ſine difficultate pertranſeant. Habet hic ſaltus Hercynius alites, quibus nuſquam gentium ſimiles reperiuntur. Harum enim volucrum pennæ per noctem ita emicant, & interlucent, vt eius regionis homines plerumque nocturnos excurſus deſtinent, atque illis vtantur ad præſidium itineris dirigendi: præiactis enim per opaca callium pinnulis rationem viæ plumarum refulgentium moderantur indicio. Fulgent, & in obſcuro Lampyrides: quarum fulgoris rationem

Viſons. *Vri.* *Alce.* *Hercynia ſylua.* *Cheruſci.* *Lamprides.*

Soligenes eſt conatus adducere, ſcribens flammulenta animalia naturam ætheris habere, & quinti elementi portionem participare, & ea cognitione fieri, vt illuceſcant. Quòd tantùm id eueniat noctu, ob id dicit accidere, quòd minus lumen à maiore ſoleat obumbrari. Venio nunc omnibus (quod aiunt) remis, veliſque in Citeriorem Galliam.

De populis Galliæ citerioris, eiuſque diuiſione. Cap. II.

INter Apenninum verò, & Alpes, & Sinum Adriaticum interiacens planities Citerior Gallia nominatur: non Italiæ modò verum, & totius orbis Scriptorum omnium cum Latinorum, tum Græcorum ſuffragijs beatiſſima. Hanc rurſus bifariam diuidimus, in Tranſpadanam videlicet, & Ciſpadanam. Tranſpadana ad Alpes extenditur, & ad Apenninum Ciſpadana; finiturq; Pado, Rubicone, & Apennino; diciturq; Togata Gallia: quod eius tractus homines toga Romanorum paſſim vterentur. Bis, inquit Cruceius, per loca illa circa Ariminum, mihi tranſitus euenit, nunquam tamen Rubiconem (quòd ſciam) tranaui: quanquam diligens extiterim in inquirendo hoc tam celebri fluuio. Ad hæc Caſtillionæus, inquit, Rubicon non procul à Sarſinna, Plauti patria, fontes habet: vocaturq: hac ætate à circumuicinis populis materno Idiomate Altiusfrugum, paulò inferius Rugozum, nouiſſimè non procul à ſinu, in quem influit, Adriatico Piſciatellum ingreditur per duo millia iuxta Ciſennam. Non eſt audiendus Vibius Sequeſter, qui Rubiconem putat eum eſſe fluuium, qui Varus appellatur inter Auinionetum, & Niceam in extremis Liguriæ finibus. Non eſt hoc loco ſilentio inuoluenda, quæ in ponte Rubiconis fuit inſcriptio: vt intelligant omnes, Gallos Ciſalpinos, & Italos mutua concordia fuiſſe disiunctos.

Togata Gallia.

Rubicon flu.

Digitized by Google

IMP. MILES, TYRO, ARMATE QVISQVIS ES, HEIC SISTITO: VEXILLVM SINITO: ARMA DEPONITO: NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONIS SIGNA, ARMA, EXERCITVMVE TRADVCITO. SIQVIS ERGO ADVERSVS PRÆCEPTA IERIT, FECERITVE, ADIVDICATVS HOSTIS ESTO P. R. AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TVLERIT, SACROSQ. PENATES E PENETRALIBVS ASPORTAVERIT. SANCTIO PLEBISCITIS, VE C. VLTRA HOS FINES ARMA PROFERRE LICEAT NEMINI.

Baſim trianguli littus Adriatici maris efficit ab Arimino, ſiue vt vult Pomponius Mela, ab Anchona vſq; ad Polam. Campi autem ſunt patentes, rerum omnium copia fœcundiſſimi. Qui ſic opimi ſunt, & fertiles, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & abundantia earum rerum, quæ ad victum hominis ſpectant, & exportantur, facilè omnibus terris antecellat. Mediam Padus amnis ſecat, fluuius terrarum arbiter, & rerum diſcrimen, vt is demum cæteris imperet, qui ſub ſua poteſtate ſubiectum habeat Padum. Hoc cùm Senatus Romanus aſpiceret, hinc Cremonam, illinc Placentiam colonias deduxit; quarum opportunitate gentem Ciſalpinorum Celtarum bellandi ſtudio inflammatam, & ad ſingula momenta rebellantem à multis illatis, acceptiſq; cladibus in amicitia continuit. Hunc fluuium Veſulus mons inter Alpina faſtigia eminentiſſimus emittit: & eum dicunt Ligures Bondicum, Tuſci Botigon, hoc eſt, fundo carentem, Græci

Cremona. Placentia.

Bōdicus Eridan⁹. Padus,

Græci Eridanũ, maiores noſtri, hoc eſt, Ciſalpini Galli Padum, à copia piceæ arboris, quæ eorum idiomate, vt autor eſt Metrodorus Sceptius, Padus tunc appellabatur. Per fines Salaſſorum modico fluctu dilabitur: mox augetur à duabus Dorijs, & Morgo fluminibus per agrum Taurinorum. Fallitur hoc loco Plinius, qui ait, Padum ex rapto ſibi nihil vendicare: quando certum ſit ante Ticini, & Abduæ ingreſſum plurimis in locis equo vadari poſſe. Ab Alexandria ad Vitellianum oppidum vſque, quod nunc Viadanam vocant, Carolus eius nominis quintus Imperator obtinet: mox aquarum illuuione ſtagnantem dux Mantuanus excipit: quem poſtmodum in ramos diuiſum Ferrariæ dux Hercules aſpicit: diſcurſuq; ſuo in mare Adriaticum vſq; Deltam facit. Cæterum Græci ante Polybium, qui de hoc fluuio aliquid poſteritati tradidere, vbinam gentium ſit Eridanus, maximè dubitarunt. Siquidem Strabo Eridanum nuſquam reperiri, aut inſulas Electra ferentes, in quibus ſint aues Meleagrides, atteſtatur, Aeſchylus in Iberia Eridanum eſſe prodidit, appellariq; Rhodanum. Dij boni quas nugas? Apollonius Padum, & Eridanum in Adriam confluere ſcripſit. Ex his Euripides ſcopum veritatis attigit, cum inquit: Ἀρθεῖν δ' ἐπὶ πόντιον κύματας Ἀδριηνᾶς ἀκτᾶς Ἠριδανοῦ θ' ὕδωρ ἔνθα πορφύρεον σταλασσουσιν εἰς οἶδμα πατρὸς τάλαιναι κόραι Φαέθοντος οἴκτῳ δακρύων τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς. Ideſt, Diligebat vtique in marinam vndam Adriatici littoris Eridani aqua, vbi purpuream ſtillant in vndam patris miſeræ puellæ Phaetontis miſeratione lachrymarum electri lucidi ſplendores. Cum igitur Græcorum pauci admodum ſciuerint, quonam in tractu ſit Padus fluuiorum (vt inquit poeta) rex, non mirum, ſi tam diſſona, & inter ſe repugnantia ſcripſere. Hæcq; faciliorem ignorati ſuccini veniam facit ignorantia. Ariſtoteles autor (vt ſcitis) & grauiſſimus, & eloquentiſſimus penes Padum paludem quandam fuiſſe atteſtatur calidis, & diurn

cx-

Digitized by Google

exhalantibus odorem aquis refertam, adeo vt ex eis nullum animal biberet; nec volucres eius regionis ſuper volarent, quòd in illam Mephitim deciderent. Paludis latitudinem denum ſtadiorum, ambitum verò ducentorum extitiſſe idem ſcribit: circa autem marginem crebras fuiſſe, & altiſſimas populos, quibus omnis circumpadanus tractus abundat in memoriã Phaethontis, & ab ijs lachrymas verno tempore diſtillantes inter aquas eius paludis duriciem lapidis imbibere, quas poſtmodum loci illius accolæ per vniuerſam Italiam, & Græciam collectas comportant, & venales habent. Illius verò è regione (ſi eidem credimus) inſulæ, quas Græci Electrides vocant, extitere: has autem Padus longa ſeculorum intercapedine cœnoſa colluuie continenti applicuit. Ad has Dædalum cum filio Icaro Minoem fugientem, deueniſſe ſunt ex Græcis qui ſcribant: & in illarum vna æneam ſtatuam ſibi, & in altera ſtanneam filio erexiſſe: ſed ſuperuenientibus Pelaſgis ab inſulis Electridibus aufugiſſe in inſulam inter Sardum Siculumq; pontum, quam ab Icaro ibi vita functo Icarum vocauit: & in ea poſt, & ipſum extremum diem clauſiſſe. Non deſunt igitur qui putent in ea palude Phaethontem obijſſe, & idcirco malè etiam olere; certatim tamen cæteri Græcorum ſcriptores aiunt in Pado temeritatis pœnas dediſſe: & quæ circa ſunt Padum populos ſuccinum emittere. Dioſcorides à nigra populo id diffluere, cadenſque in Padum durari, ac coire in lapidem præcioſi generis: & idem ferè ſcribit Paulus Aegineta. Solinus à Barbaris in Ciſalpinam Galliam ſuccinum primò deportatum dicit: & quod in ea Itali, & Græci inſpexerint, ibi ẽt ortũ ſuccinũ ſunt arbitrati, cũ ſit certiſſimũ non aquis illud, ſed vt Cryſtallũ vehementioribus frigoribus in Gleſſaria, quę inſula eſt in Septentrionali Oceano, durari. Germanico enim (vt ipſe inquit) Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante comperta arbor eſt pinei generis, cuius mediale Autumni tempore ſuccino la-

Electrides. inſulæ.

Succinũ

Gleſſaria inſula.

Digitized by Google

lachrymat. Rude primò naſci adfirmat, & corticoſum, mox ad expolitionem incoqui adipe lactentis ſuis. Pro ingenioli mei facultate conatus ſum vobis obſequi, non quod ſperarim omninò; adamuſſim (quod aiunt) Topographiam hanc vobis aperire; præſertim cum parciſſimè admodum apud Coſmographos huius habeatur mentio. Nunc tuæ erunt humanitatis partes, princeps optime, vacationem dare huic meo labori: idq; facturum te libentius ſpero, quando adeſſe videas hîc viros longè me doctiores. Hæc cum dixiſſet Caſtillionæus, conticuit. Tunc Landulphus, Quando inquit, iſta meritò vacatio debeatur tibi, non poſſum non eam tibi concedere, atque etiam gratias agere, qui ſic penſum humaniſſimè tuum abſolueris. Nunc Blaſi ſitum & populos, qui primi ſunt ex Vlteriore Gallia in hanc Citeriorem venienti, declarabis: præſertim cum tu ſis ex Montecalerio, quod oppidum eſt licet in Apennino, non procul tamen ab Alpibus Coctiarum. *Mõſcalerius.* Conabor, inquit Blaſius, manum ponere in alienam meſſem, fretus tua, & horum humanitate: felicius tamen canonem Galeni aliquem impoſuiſſes mihi, ſi adagij illius, quo admonetur Sutor, ne audeat vltra crepidam, memor extitiſſes. Quando igitur referre pedem non liceat mihi, arenam ingredior. Primi inter Padum & Alpes ſunt Salaſſi, vt his fermè verbis atteſtatur Strabo libro quarto: *Salaſſi.* Contraria verò de parte Durias ſeſe immiſcet Pado per Salaſſos intra Alpes illabens Galliæ. Si ergo Durias, qui per agrum Taurinorum fluit, per Salaſſos illabitur, cum tractum, qui Pedamontanus hac tempeſtate nominatur, ad Salaſſos reijciam: quorum ſunt vrbes Mons Regalis, Auguſta Salaſſorum, Seguſium, Auguſta Taurinorum: citra Padum Aſta eſt colonia Romanorum, Bobium, & Pollentia, quarum meminit his verſibus Claudianus Poeta celeberimus. *Pedamõtan⁹ tractus. Eius vrbes. Pollẽtia*

Nec plus Pollentia rebus

Con-

Contulis Auſonijs, aut mœnia vindicis Aſtæ.

Erat autem Pollentia vrbs olim eximia, inter Alexandriam, & Aſtam, ad ripas Tanari: nunc pagus eſt exiguus. Pollentinas lanas his verbis Columella commendat: Sunt etiam ſuapte natura pretio commendabiles pullus, atque fuſcus, quos præbent in Italia Pollentia, in Bœtica Corduba. Volateranus id municipium putauit eſſe, quæ Pallantia eſt in margine Verbani lacus: in cuius agro Cn. Plancum à Mar. Antonio triumuiro & bello ſuperatum, & interfectum ſcribit. Vbi hæc Volateranus expiſcatus ſit, viderint alij. Fuere Gotthi in Pollentino agro a Stilicone fortunatiſſimo prælio deuicti; cuius victoriam Aurelius Prudentius plurimis carminibus proſecutus eſt, è quibus hæc;

Colum. libro 7. c. 2.

Pallãtia

Tentauit Geticus nuper delere Tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro:
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Soluere, maſtrucis procere veſtire togatos.
Iamq; ruens Venetos turmis protiuerat agros:
Et Ligurum vaſtarat opes, & amæna profundi
Rura Padi, Tuſcumq; ſolum victo amne premebat.
Depulit hos equitum nimbos non peruigil anſer
Proditor occulti tenebroſa nocte pericli:
Sed vis cruda virum: perfractaq; congredientum
Pectora: nec trepidans animus ſuccumbere leto
Pro patria, & pulchram per vulnera quærere mortem.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auſpice tantum
Virtutis pretium? dux agminis imperijq;
Christipotens nobis iuuenis fuit: & comes eius,
Atque parens Stilico: Deus vnus, Chriſtus vtrique.
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inſcripta cecinere tubæ: prima haſta Draconis
Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior effert;

Illic

Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannonia pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famoſis olim ditata rapinis
In cumulos congeſta iacent: mirabere ſeris
Seclis poſteritas inhumata cadauera latè
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.
O celebranda mihi iunctis pollentia ſeclis:
O meritum nomen, felicibus apta triumphis,
Virtutis fatale ſolum: memorabile buſtum
Barbariæ: nam ſæpe locis, ac finibus illis
Plena laceſſito rediÿt vindicta Quirino.

A Pollentia abeſt duobus ferè millium paſſ. vetuſtiſſimum Triennorum forum: quod hac ætate Bertonorium vocamus. In Alpibus Cottijs eſt Bobium: ad maritimas Alpes iacet Ceua, titulo Marchionatus illuſtre municipium: ex his locis oritur Tanarus. Fuere olim gentes iſtæ Salaſſorum (quanquam ex maioribus ſuis nunc habeant nihil) maximè bellaces. Ab eis D. Brutus cum Marcum Antonium ad Mutinam victum inſequeretur, interceptus eſt: nec prius dimiſſus, quam data viritim drachma. Meſſala quoque cum pœnes iſtos hyemaret, pro raptis à populatoribus lignis ad comburendum, pretium pendere coactus eſt: & C. Cæſaris pecunias ſemel diripuerunt. Eos tamen Auguſtus Cæſar deleuit: & qui ſuperfuerunt ad Hipporhediam deportatos ſub corona venundedit. Auguſtam Taurinorum Pœnus Annibal deleuit, cum in deditionem volentis venire nollet. Salaſſos, quos Polybius Λάοι appellat, Lebui Galli ſequuntur: quorum vrbes ſunt Auguſta prætorum in faucibus Graiarum, Penninarumq; Hippoⷭredia à Romanis condita verſuum Sibyllinorum iuſſu. Has duas vrbes Romani excoluere, quod ſubitas montanorum excurſiones reprimerent. Auguſtam enim prætorum D. Cæſar ampliauit, additis tribus Ro. millibus. Mox ſunt

Forum Triennorum.
Bobiū.
Ceua.
Tanarus fl.
Auguſta Taurinorum.
Lebui.
Auguſta prætorū.
Hipporedia.

Digitized by Google

Vercellæ. Vercellæ ad ripas Sicciæ, quem Plinius Seſitem vocat. In quarum agro aurifodinæ fuerant patrum Ro. liberalitate ſublatæ, Italiæ viſceribus parcere iubentium. In hac vrbe commoratus eſt D. Brutus cum egentiſſimis tyronibus. Tycionum familia non tam antiqua, quam antiquiſſima, eſt apud Vercellenſes, quando eius meminerit M. Tullius in epiſtolis ad D. Brutum. Iuxta Vercellas Caſtinus Ioannis adulterini imperatoris copiarum dux, & ſuperatus, & captus eſt ab Ardaburo Orientis præfecto ſub Valentiniano tertio. Tempeſtate Diui Hieronymi ſemideſerta erat vrbs Vercellarum, & inter Liguſticas vrbes ab eodem recenſetur. Conditam refert Plinius à Salijs Lybicorum. Sed animaduertendum, textum Plinianum mendis non vacare, quas vir occulatiſſimus Hermolaus Barbarus non vidit. Potius enim legerem Lebuorum cum T. Liuio, aut cum Polybio Libetiorum, ſiue Lebetiorum, quàm Lybicorum. Nec vos moueat lectio Ptolemæi, quando & ipſe eadem macula ſit inſperſus. Sunt autem Salij vltra Niceam populi montes incolentes. Decimo à

Salij. Vercellis lapide Orientem verſus Nouaria eſt vrbs vetuſtiſſima: eam, ſi Plinio id referenti credimus, condidere

Nouaria. Vocontij. Tametſi Nouarienſes fama, quæ plerunque vim teſtimoniorum habet, conditorem Herculem iactent. Nobilitata eſt ea ciuitas cum literarum, tum armorum

L. Albutius Silo viris illuſtribus: L. Albutium Silonem rhetores celebrant: qui ſub Piſone Mediolanenſium prætor fuit: & Romæ ſub Auguſto Cæſare rhetoricen publicè docuit, vt auctor eſt

Petrus Sententiarum magiſter Suetonius: & theologi Petrum Sententiarum magiſtrum: cuius vigilijs omnis debebit, quæ Chriſtianum nomen profitebitur, poſteritas. Fuit & Dulcinus ex nobiliſſima Torniellorum familia, hæreſiarcha, in quem cum Clemens

Dulcinus hæreticus. quintus Pontifex Romanæ eccleſiæ animaduertendum cenſuiſſet, ipſe in ſummas Alpes, quæ Nouarienſi agro imminent, ſe cum ſectatoribus recepit. Quos crepidi-

num

Digitized by Google

num & altitudo, & difficultas tutatæ fuiſſent, niſi ſuperueniens nix ſolito copioſior plurimam eorum partem & fame & frigore confeciſſet. Dulcinus monachus cum Margarita coniuge in iuſtitiæ poteſtatem decidere, qui perſiſtentes, in quam excitauerant hæreſi inter cruciatus animam efflarunt. Inuentus eſt & Nouarienſis alter hæreticus, cuius miram pertinaciam ad mortem vſq; celebrat frater Baptiſta Mantuanus. Hoc euenit Nouarienſibus propter natiuum ingenij acumen. Nouariæ cum eſſem, hanc in pario marmore inſculptam memoriam legi: quæ cum non mediocrem antiquitatis fragrantiam maximè redoleret, hic adſcribendam cenſui.

TERENTIA Q. F. POSTVMINA SIBI ET C. VETVRI LVCVMONIS VIRI SVI ET C. VETVRI F. POSTVMINI F. SVI NOMINE BALINEVM ET LAVATIONEM SOLO PRIVATO GRATVITAM IN PERPETVVM DEDIT.

Hoc in elogio illud obſeruatione dignum exiſtimaui, quod vbiq; Poſtuminus ſine flatili inſculptus eſt: quod idcirco veteres factitarunt, aurium iudicio conſulentes propter pingue quoddam, quo & repletur, & dictio illa exaſperatur: habet enim aſpiratio medium inter conſonantem & vocalem gradum. Floret adhuc Nouariæ vetuſta illa Albuciorum familia: cuius Mediolani videre licuit innumera monumenta, è quibus vnum adiunxiſſe ſat fuerit, in Bulenterio veteri, qui locus eſt iudicijs adſcriptus.

D. M. V. F. T. ALBVCIVS FIRMVS VIVIR IVN. ALBVCILLI. T. C.

Catij. Catiorum Nouarienſium familia, quod nuper effoſſum eſt Mediolani, quam vetuſta ſit, hoc mnemoſynon indicat: quod cum Baſim præſtaret & à fronte, & à tergo iiſdem notis inſcriptum legitur: quod hic ideo tanto libentius adnotaui, quanto in eo & illorum & Quadratorum præclara fit mentio: quæ Voluſenum Quadratum à *Quadrati.* C. Iulio celebratum habuit: & hinc coniectari poſſumus illum inſubrem fuiſſe, quando horum opera plurimum Cæſar vteretur. Accipe igitur Roche Quadrate tuæ familiæ æternam memoriam, licet imperfectam.

L. L. QVADRATVS VIVIR SENSIBI ET GRATAE L. ET C. CAECILIO C. L. MERKATORI AMICO ET T. CATIO T. L. EROT. AMICO.

Portij. Sunt in eadem vrbe Portij, ſola Catonum memoria celebres. Irrigatur paſſim Nouarienſis ager manuarijs foſſis, quibus copioſiori fluctu maior eſt Maura Sfor. ducum opus memorabile: qui nauium capax eſſet, niſi plurimo ſpatio celeriori curſu intuentium oculos ſubterfugeret. Habet Nouaria ferè in ſuburbijs fluuiolos miræ iucunditatis duos *Aconia Terduplus flu.* Aconiam videlicet ab Occaſu, & Terduplum ab Ortu: qui ambo per Laemellinum agrum ſe exonerant in Padum In extremo agri Nouarienſis margine municipium eſt, *Forũ Lebuorum.* Forum Lebuorum, ſiue Libetiorum, aut Lebetiorum credibile eſt à maioribus noſtris vocatum. Hac ætate Burgum Lauizarium nominant à quod lebes vaſis ſit genus, vt ſcitis, ad obſonia coquenda: & ideo ad vernarum linguam deſcendens ſuperiorum temporum ignauia, ſiue potius tabellionum infantia Lauizarius dici pagus ille cæptus eſt. *Lauizarius.* Floruit pluribus viris litterarum politia illuſtribus, Domitio Calciato, & Iacobo Maieto, qui meritò Latinæ ſyrenes appellari poſſunt. Ibi quoq; familiæ Merularum *Domitius Calciatus.*

ſunt

ſunt reliquiæ, quæ quanto in honore fuerit apud Romanos, veterum declarant hiſtoriæ. Apud inſubres et quantæ auctoritatis extiterit, marmoreus lapis in turri cognomento Imperatoris Mediolani hic ſatis oſtendit. *Iacobus Maietus. Merularũ familia. Tiucius Merula.*

TREBIA C. F. FILVMENA SIBI ET L. TIVTIO MERVLAE VIVIR III. VIR IIII. VIR TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

Hinc ad primum lapidem Syllæuenium Syllanæ pietatis rarum profectò monumentum. A' Foro lebuorum rurſus ad ſolis Occaſum ad quintum vix lapidem Rhaudium eſt, & qui adiacet campus Rhaudius appellatur, in quo C. Marius prælio fortunatiſſimo Cimbros deleuit: & quod hoc in loco eſt oppidum, quibuſdam immutatis & additis litteris Rhodobium nominatur. Nec vos moueat L. Florus, qui Cimbros in Veronenſi planitie deuictos commemorat. Argumento ſunt certiſſimo contra L. Florum Caſtra Mariana octauo à Nouaria lapide ſecundum ripas Seſitis. Euſebius præterea annalium diligentiſſimus obſeruator memoriæ prodidit, inter Padum & Alpes à Romanis Cimbros non longe ab vrbe Vercellarum fuiſſe profligatos. Et idem ſcribit Plutarchus in vita C. Marij. Non interrũpiſſem te (inquit Landulphus) Blaſi, ſi paulo diffuſius mihi declaraſſes, & Sallyum, & Vocontiorum ſitum: & qui Lybici ſint in Ciſalpina Gallia apud Ptol. Hos quoniam ne è domo quidem (quod aiunt) vt viderentur, eduxiſti. Sallyes ſunt (inquit Blaſius) populi Narbonenſis Galliæ citra Rhodanum, quibus ab Occaſu oppoſiti ſunt Volcæ vltra Rhodanum, vbi is deltam facit. Blondus, cuius aliquando opinionem ſum ſecutus, Sallyes ponit in montibus, qui Niceæ imminent. Plinius libro [ni fallor] tertio Sallyes inter Ligures tranſalpinos enumerat: nec decipitur, quando ea Galliæ pars, quam Brachatam vocant, *Syllaueníum. Rhaudium. Cimbri a C. Mario profligati Caſtra Mariana. Sallyes. Volcæ.*

Digitized by Google

Albienſes. *Albæci.* *Vocõtij.* *Vertacomatora.* *Lybici.* *Vergeminum.* *Viglebanum.* *Sforciaca villa.*

aliàs ad Italos Ligures ſpectaret. Poſt Sallyes tenent albienſes, & Albœci, vt auctor eſt Strabo libro quarto: mox Vocontij montana in Septentrionem vergentia, quorum regio ad Allobrogas vſque protenditur per profundas valles, Quorum præcipuus pagus olim fuit. Vertacomatora. Cuius incolæ, vt vult Plinius, inter Ticinum & Seſitem Nouariam condidere. Venio ad Lybicos, quos nuſquam Carolus imperator in hac Ciſalpina Gallia reperit, ſed in Africa; cum expulſo Caradino Rubrobarbo M. Turcæ archipyrata celebratiſſimo Tunetum prædæ expoſuit. Corruptam autem eſſe cum apud Ptol. tum apud Plinium dictionem, facilis eſt coniectura. Apud T. Liuium Lebuos legiſſe vos puto: quos Polybius Lebetios appellat. Redeo nunc, quo citius vos expediam, ad penſum meum. Ad ripas Ticini Vergeminum eſt, olim oppidum, nunc Franciſci Sforciæ ducis Inſubrum ciuitas. Qui hanc condiderint, legiſſe me nuſquam memini. Ante Gotthorum illuuionem huius ne mentio quidem (quod ipſe ſciam) facta eſt. Viglebanum Hermolaus Barbarus nominat. In Vergeminatum agro villa eſt Sforciaca, ab eodem his verſibus celebrata.

Vilis gleba fui: nunc ſum ditiſſima tellus;
Cur? quia Sforciadum me pia dextra colit,
Mutata eſt facies: mutaui nomina. vilis
Dicebar: dicor nunc ego Sforciaca.
Litauicus agros tulit hos: nec pœnitet eſſe,
Autorem pacis conuenit agricolam.

Caſilinũ. A' Vergemino, ſiue mauultis quoque vos Viglebanum dicere, propter decurſum Ticinij Caſilinum vetus eſt, & nouum verſus Septemtrionem. His in locis formæ caſtrorum quadratæ adhuc viſuntur: quæ alij Annibalis caſtra eſſe contendunt, quòd hoc in tractu erga patrem ſiamiam ab

Anni-

Digitized by Google

Annibale occidendum prima Scipio, cui poſtea Africano cognomen fuit, experimenta certiſſima, & pietatis, & virtutis ediderit. Secundo aut paulò plus à Vergemino lapide verſus Meridiem ſunt Geminæ columnæ, municipium ſanè vetuſtiſſimum, & ob venationes principibus gratiſſimum: quod nunc Gambalotum vocatis. Habeo ſuper hac re, quo meam vobis opinionem probem, Ammianum Marcellinum libro, ſi tamen rectè memini, decimoquinto; Deinde (inquit) diebus paucis ex Helena Conſtantij ſorore eidem Cæſari coniugali fœdere copulata, paratiſque vniuerſis, quæ maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu paruo ſuſcepto Kalend. Decẽbribus egreſſus eſt, deductuſq; ab Auguſto aduſque locum Duabus columnis inſignem, qui Lacmellum interiacet, & Ticinum, itineribus rectis Taurinum peruenit, vbi nuntio perculſus graui, qui nuper in comitatum Auguſti perlatus de induſtria ſilebatur, ne parata deſluerent. Poſtrema Lebetiorum vrbs eſt Lacmellum, ita enim eam cum Ammiano appellauiſſe placuit: non autem cum Ptol. Gaumellum, aut Laumellum cum Antonino Pio. Hoc tempore pagus eſt ſatis contractus, nec quicquam oſtentans antiquæ nobilitatis, præter nomen. Hoc in loco Theodolinda, Garibaldi regis filia, mulierum omnium ſuæ ætatis, & morum ſanctitate, & animi, & corporis dotibus præſtantiſſima defuncto Ghiltiberto, ſiue (vt alijs placet) Anthari Deiphonis filio Longobardorum rege Agilulphum cùm forma, tum ingenij, & corporis viribus illuſtrem præfectum Longobardorum, qui in Auguſta Taurinorum hyemabãt, in maritum elegit. Quem poſtmodum à nefaria Arrianorum hæreſi ad ſynceram Chriſti fidem reuocauit. Quibus florentibus Maomethes Arabas, à quo contaminatiſſimum adiuuante Syluio Monacho dogma primitus emanauit. Agilulphus Longobardorum diademate redimitus neceſſitate ductus, contra Romanos arma mouit, eoſque aperto Marte deuicit, & Cremonam,

Annibalis caſtra.

Geminæ columnæ.

Gambalotum.

Lacmellum.

Maomethes.

monam, Mantuamq; quæ adhuc pro Romanis ſtabant, vi cepit. Per Lacmellinum agrum dilabuntur Terduplus, & Aconia piſculenta flumina. Nunc, tametſi metas Salaſſorum pertranſierim, tyranne humaniſſime, vt conquieſcam, tandem impera, Quando Inſubrum regio patentiſſima mihi perſpecta ſit minus. Tunc Landulphus ad Bonauenturam Caſtillionæum conuerſus, inquit. Quando, & Inſuber ſis, & patrij honoris ſtudioſiſſimus, eruditiſſimuſq;, & ſermonis elegantia candidiſſimus, non pro mea quæ in vos eſt poteſtate, impero, ſed te miræ humanitatis virum obſecro, vt Inſubrum tractum nobis exoptantibus exponas. Ad hæc Caſtillionæus, ne alijs contumaciæ ſim (inquit) exemplo, quæ ſcio, & quæ fortaſſe etiam neſcio, dicam. Verum ſi vos citius quàm (vt dicebat Auguſtus) coquantur aſparagi, expediero, ne mihi, ſed ingeniolo, quod paruis admodum velis nauigat, adſcribatis obſecro. Nunc attendite, velocius opinione veſtra vos dimittam.

Terduplus fiu. Aconia. fiu.

De Inſubribus populis, eorumq; origine. *Cap. III.*

QVicquid terrarum, & vrbium intra Ticinum, & Abduam, Padum, & Alpes clauditur, Inſubria nominatur, potens (vt inquit ille) armis, atq; vbere glebæ. Campi ſunt patentes, & ad radices Alpium colles beatiſſimi rerum omnium, quas victus neceſſitas exigit: & quoniam Inſubrum vineta ſolem, & orientem, & occidentem vident, dij boni quæ precioſa vina generantur? Inſubrum vrbes ſunt Mediolanum, & Galliæ Ciſalpinæ totius metropolis, & Europæ omnis Emporium. Quod à Belloueſſo conditũ referunt hiſtorici, eodem ferè tẽpore, quo & Romam. Trogus, & alij nonnulli monumentis tradidere Mediolanum ab his Gallis ædificatum, qui duce Brenno Romam igne conſumpſerunt. Sed conſtat inter probatos

Inſubria.

Mediolanum.

autores

autores CC. propè annos antequam Brennus eſſet, Celtas ſuperatis Alpibus per Iulium ſaltum, qui à Tricaſtinis incipiens, in Coctis Alpes deſinit, citeriorem hanc Galliam Tuſcis acie deuictis ad Ticinum amnem occupauiſſe. M. Cato (ſi tamen illæ, quæ circumferuntur, reliquiæ Catonis ſunt) ſcribit Olanum Lucumonum Tuſcorum principem deductis Orobiorum Colonijs Mediolanenſis vrbis prima ieciſſe fundamenta, & ita longo temporum interuallo Olanum dictum. Poſtremò à Medo Inſubrum duce Mediolanum vocant. Plinius ab Inſubribus refert hanc vrbem fuiſſe conditam. Hæc autorum diſcrepans opinio facit, vt nullo negotio credam Mediolanum à Tuſcis, qui tunc latè dominabantur, prima ſumpſiſſe primordia, &, vt ita dicam, in lucem editum, mox Inſubrum lacte alitum, nouiſſimè à Gallis duce Belloueſſo ad virilitatem deductum. Claudianus poeta non incelebris à ſue lanata Mediolanum nomenclaturam his verſibus deduxiſſe declarat. *Olanũ.*

Continuò ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ ſuis oſtentantia pellem
Peruenit: aduentu Veneris ſpiſſata recedunt
Nubila: rareſcunt puris Aquilonibus Alpes.

Adhuc Mediolani in fornicem Buleuterij veteris ſus inſculpta viſitur ouini velleris. Facilè autem (vt atteſtatur Georgius Merula) quiſque mediocriter eruditus perſuaſerit ſibi tantùm poetam vel grauem aliquem autorem ſecutum, aut famæ perſeuerantis, quæ plerùmque vim teſtimonij habet, opinionem. Tunc quidam ex adſtantibus vnus: Ab Inſubribus, [inquit] Mediolanum conditum magis putarem, quàm vel à Gallis, aut à Tuſcis. Non erant tamen, & ipſi Inſubres huius regionis indigenæ: ſed aliunde profecti. Cuius nominis (vt tu putas Iouie) vtpote barbari etymologia prorſus ignoratur, quemadmodum,

& Mediolani: quod ante propagatam linguam Latinam procul dubio conditum fuit, vt propterea Inſubres ab imbribus [vt nonnullorum opinio eſt] deducere, & Mediolanum à ſue lanata tam ridiculum ſit, quàm falſum. Nec audiendi ſunt Græci, qui talia nomina pro linguæ ſuæ commodo deprauarunt: ſicut & alia multa auſi barbaris nominibus Græcas etymologias apponere. Non auſim (inquit Bonaueutura) tecum ſuper etymologijs contendere: ſcio enim quantum poſſis, valeaſq; præſertim in arenam prouocatus: data igitur venia, vnde diſceſſit, mea feſtinabit oratio. Eſt ſanè hæc noſtra vrbs metropolitana cùm cœli temperie, tum ſoli fertilitate, & affluenti cæterarum rerum copia, vrbium omnium, quas cœli conuexitas tegit, & beatiſſima, & præſtantiſſima. Idcirco Lernea velut Hidra à damnis acceptis potentior ſemper à cineribus conſurrexit in hoſtes. Inuenio enim (vt vetuſtiora conticeam) poſt regiam Longobardorum poteſtatem Mediolanum quanquam bellis vaſtatum, & ſentiente adhuc diuerſa populo, tamen tam præclara per maiores noſtros geſta fuiſſe, vt adfirmare ferme, & auſim, & poſſim, potentiſſimas vrbes, & regiones, quarum regna, & opes celebrantur, non dico pares, ſed Mediolano longè cedere. Semper enim populum habuit florentem, bellacem, numeroſum: qui vel facilè aut nullo (quòd aiunt) magiſtro armis exerceatur. Atque ea ſemper ita tractauit, vt nunc ſola, nunc adiunctis finitimorum auxilijs effundentes ſe Germanos, aut Heluetios, vel Tranſalpinos Gallos in Italiam, aut, vt inquit ille, auſpicijs repulit ſecundis, aut penitus deleuit. Sed illud maximè mirandum eſt, & vix credibile, quòd ſexto anno, quo à Friderico Rubrobarbo ciuitas hæc exciſa eſt, adeò opibus potens, & populo frequens inſurrexit, vt aperto Marte cum hoſte potentiſſimo, ferociſſimoque & ſecundis prælijs elato dimicare auſa ſit, illum deuictum, & caſtris ſpoliatum deſiderata propè ſuarum copiarum

In Græcos.

parte maiori ſupplicem coegerit ab Alexandro Pontifice Ro. qui Ananiæ tunc exulabat, & ab ſocietate, quæ inter Ciſalpinos Gallos præter Ticinenſes contracta fuerat contra vim, & potentiam Rubrobarbi Imper. turpiſſimis conditionibus pacem petere. Cuius conficiendæ gratia Comitia in Ciſalpina Gallia peracta ſunt. Duo obſeruauit Georgius Merula annalium diligentiſſimus excuſſor, quæ nec Blondus ſuppримit, autoritatem ſcilicet maximam Ro. epiſcopo acceſſiſſe: ex quo illi Mediolanienſis eccleſia, quæ per CC. an. libera, nullius obnoxia imperio, ſui iuris (vt ita dicam) fuerat, ſe ſubiecit. Cuius autoritatem ſecutæ, & Gallorum, & Hiſpanorum eccleſiæ Petri claues agnouere. Altero quòd debellato Rubrobarbo tandem Pontifici exuli, & bellis acribus oppreſſo arma Mediolanienſium, & ſedem dederint, & libertatem. Fuere tamen Rubrobarbicis, & noſtræ huius vrbis, & hominum ſtrages longè truculentiores, & tragicis eiulatibus miſerabiliores. Ante enim Longobardorum aduentum atrociorem ſub Attila Gotthorum rege cladem acceperat. Et ne Boſſianis inniti diarijs iudicer, Suidam adducam, & exterum, & Chriſtianum autorem: Μεδιόλανον, innuit, πολυάνθρωπος Ἰταλίας πόλις, ἣν καταλαβὼν Ἀττήλας ἠνδραποδίσατο, ὡς δὲ εἶδεν ἐν γραφῇ τοὺς μὲν Ῥωμαίων βασιλεῖς, ἐπὶ χρυσῶν θρόνων καθημένους, τοὺς δὲ Σκύθας ἀνῃρημένους καὶ πρὸ τῶν ποδῶν αὐτῶν κειμένους, ζητήσας ζωγράφον ἐκέλευσεν αὐτὸν μὲν γράφειν ἐπὶ θώκου, τοὺς δὲ Ῥωμαίων βασιλεῖς κωρύκους φέρειν ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ χρυσὸν πρὸ τῶν αὐτοῦ χέειν ποδῶν. Ideſt: Mediolanum populoſa Italiæ ciuitas, quam cùm Attilas captiuam feciſſet, vidiſſetque, depictum, Romanos quidem reges in thronis aureis ſedentes, Scythas autem interfectos, ad pedes ipſorum proſtratos, pictorem quærens, iuſſit loco interfectorum pingi Romanos reges ſacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipſius. Nunquam auditam hiſtoriam Bonauentura, inquit Blaſius, nobis

enarraſti: nunc pro tua, quæ profectò ſingularis eſt, humanitate deſiderarem, vt ſi non his, quibus omnes ſcientiæ, tam ſibi ſunt notæ, quam mihi domus eſt mea, ſaltem, quinam videlicet Scythæ ſint, quos Mediolani depictos Attilas inſpexerit, mihi exponas. Hæc Blaſi, inquit Bonauentura, Suide verba faciunt, vt credam Gotthos eſſe Getas, altera addita, & vna immutata littera. Fidem non modò faciunt Aurelij Prudentij, cuius tu carmina recitaſti: ſed & Paulus Diaconus verior, quàm elegantior hiſtoricus cuius hæc ſunt verba: Sub Valentiniano patre Theodoſij gens Hunnorum diù inacceſſis recluſa montibus repentina rabie percita exarſit in Gotthos, eoſq; conturbatos ab antiquis ſedibus expulit. Gotthi tranſito Danubio fugientes à Valente ſine vlla fœderis pactione ſuſcepti ſunt. Deinde propter intollerabilem auaritiam Maximi ducis, fame compulſi in arma ſurgentes, victo Valentis exercitu, ſeſe per Thracias infudere, omnia cædibus, incendijſq; vaſtantes. Hæc ille. Scitis itaque Getas, & Sarmatas qui citra, & vltra ſunt Iſtrum, qui per Pannonias dilabens Danubius appellatur, eſſe in ea Scythiæ parte, quæ in Europa eſt vſque ad Tanaiam. Nec ſuper hoc negotio opinione ſcriptorum varia moueor. Me tamen inter hos admiratione maxima Callimachus Poloniæ Regis à ſecretis afficit, qui ſcribit Gotthos ſiue inopia agri, ſiue clementiorem cœlo terram quærentes è Scandia, patrijſque inſulis aduectos eſſe, exceptoſque à littore Oceani, cui hodie quoque nomen eſt Gotthiſcantia. Poſſem, ſi daretur narrandi locus, autoritate Plinij vobis probare Scandiam inſulam eſſe in Britannico freto, quæ prima ex Albio ſoluentibus occurrit: inde Dumna, poſtmodum Bergus, mox omnium maxima Nerigos: ex qua nouiſſimè itur in Thulen. Si ergo vel à nominis ſimilitudine argumentum, vel ab autoritate declinandum eſt, dicam vtroque modo Gotthos fuiſſe Ponti Euxini accolas, quos Getas vetu-

Digitized by Google

ſtiores adpellarunt. Hæc mea de Gotthis eſt opinio, rurſus ad Cothurnos me recipio, vt vel facilè iudicent omnes, Mediolanum non modo cladibus opprimi, ſed ab ijs, velut ab igne phœnicem renouari. Regentibus pro libidine Gotthis Ciſalpinam Galliam populus Mediolanenſis ſeruitutis impatiens cum auſpicijs Decij Archiepiſcopi, tum qui plurimum potuerat in aula Vitigindis Gotthorum Regis, felicis, qui & ipſe Mediolanienſis erat, autoritate motus Gotthos, qui præſidij cauſa relicti fuerant, obtruncat. Illi intellecta & ſuorum clade, & populi defectione ad partes imperatoris reparato exercitu vrbem valida obſidione cinxerunt: quæ cum in longum nimis protracta eſſet, quod Belliſarij, cuius auxilio Mediolanienſes defecerant, conatibus clam Narſes eunuchus obſtaret: non armis, ſed fame edomiti, quacunque conditione coacti ſunt intra vrbem Gotthos admittere. Gladio eo die XXX. ciuium cecidiſſe millia monumentis proditum eſt. Et ex plebe in rationem libitinæ ob famem LXXX. mil. veniſſe. Mulieres ætate florentes Burgundionibus, qui auxilio Gotthis affuerant, omnes in prædam datas, & trans Alpes aduectas eſſe: Vrbem ipſam incendio paſſim fœdatam fuiſſe. Eodem naufragio ſubmerſæ ſunt Vercellæ, Nouaria, Bergomum, & Nouocomum: quæ & ipſæ Mediolanienſium autoritatē ſecutæ Gotthorum præſidia obtruncarant. Paucos poſt tamen annos adeò ferox populus acceſſit, vt Longobardis victoria elatis ob ſtragem Gotthorum auſus ſit occurrere: à quibus grauiſſimis etiam damnis affectus eſt. Erat ea tempeſtate omnis Italia ob diſceſſum Imperatoris in Thracias, obuia quibuſcunque latronibus, cuicunq; etiam Barbarorum ex infimo grege libidini expoſita. Ne mirum ſit ergo, ſi patria hæc noſtra Gotthorum, Vuandalorum, Pannonum, Marcomanorum, & Longobardorum excurſionibus patuerit, quando & ab eiſdem non ferè ſolùm Roma, ſed & omnis Italia flammis conſum-

ſumpta fuerit. Nouiſſimè ſuperuenit Fridericus Rubrobarbus, qui partem vrbis ſolo æquauit actis in exilium ciuibus, qui gladio ſuperfuerant. Si mirabitur veſtrum fortaſſe aliquis, ex tot & tantis cladibus, quin hæc vrbs radicitus euulſa ſit: ſatis illi factum putabo, ſi dixero, cur non & Roma conſumpta: quæ pares ærumnas perpeſſa eſt. Ad hæc volo etiam hæc damna noſtratia fuiſſe maiora, & diuturniora, Quæ regio eſt, in qua facilius coaleſcat mortalium tam numeroſa multitudo? nulla, quam ſciam, certè. Intercapedo enim quatuor graduum & quadraginta ab Aequinoctiali facit, vt iniuriæ ſolis minimè ſit expoſita. Nec intenſiſſimis frigoribus vſtuletur, Argumento ſunt omnium rerum beatiſſima copia, corpora hominum pulcherrima, & innumera: quæ omnino deſiderarentur, ſi vel Solis, aut Borealis frigoris vehementia Galliam hanc noſtram vexaret, Nam (vt inquit Pacuuius) Sol ſi perpetuò ſit, aut nox flammeo vapore, aut frigore, terræ fructus omnes interire. Ex copia igitur fructuum coniectura facilis eſt, quàm temperatiſſimus hìc ſit tractus: ad quem omnes velut ad ſalubritatis aſylum confluunt.

De familijs Inſubrum, & antiquiſsimis, & clariſsimis, Cap. V.

SVnt apud Inſubres familiæ ſola antiquitate nobiles. Sunt & nouæ, quarum gloriæ fulgor illas obtenebrauit, vt Sforciæ: Vicecomites, Barbiani, Triuultij, Caſtillionæi, Taurelli, Mayni, Cribelli, Alciati, & alij plures.

Sforcia, Vicecomites. Ante Sforcias præcipua autoritas penes Vicecomites fuit. De quibus hoc in monumentis lectum eſt Andreæ Alciati; Angleriæ, nobile agri noſtri propter Verbanum lacum oppidum non modici nominis apud veteres fuiſſe creditur; in eo enim paſſim cernere eſt vetuſta monumen-

ta,

Digitized by Google

ta, elaboratos tumulos, vrnas, templa, cryptas, porticus, columnas, idque genus, & venuſtatis, & vetuſtatis inſignia. Alpinarum (puto) gentium præfectura fuit, in qua ſub Carolis, Berengarijſque Imp. ius dicere, qui à comite Mediolanenſi ad hunc magiſtrum delectus eſſet, ſolebat: & ideo Vicecomes dictus. Vnde ortam nobiliſſimam Mediolani familiam, & veriſimile eſt, & credibile. Barbianorum familiæ pace hoc aliorum dicere liceat mihi, omnis magis debet Italia, quam ſuo Romana ciuitas Camillo. Albricus enim comes Barbianus Italorum arma, quæ barbarorum metu longo ſeculorum interuallo non intonuerant, primus excitauit. Verum vt poeticis bellarijs defeſſos vos reficiam, audite vnius poetæ nouam cantilenam. *Barbiani.*

Optima quæque dies ſeclis properantibus ætas
Obruit, & longa fortia facta die:
Ne qua tuas igitur tegerent obliuia laudes,
Neve forent titulis inuida ſecla tuis:
Hos ego perpetuis mandabo Albrice libellis:
Si veniet votis dexter Apollo meis.
Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa vetuſtas
Obrueras tanti penè trophæa ducis.
Pierides igitur noſtro adſpirate labori:
Suſtineatq; meam Pegaſis vnda ratem.
Fama volubilibus quoties obſcurior annis
Lucidior veſtro ſemper ab ore venit.
Bellica temporibus ſquallebat gloria noſtris
Ceſſabat longo tempore Martis honos.
Omne erat in Venerem ſtudium nocturnaq; bella:
Qualibet & cenſus arte parare nouos.
Pro pudor Italiæ; mundo gens nata regendo
Nec pede, nec celeri bella regebat equo:
Vſque adeo turpi languebant corda veterno:

Vſque

Vſque adeo nullus militiæ vſus erat.
Dux aberat tumidos qui ſigna inferret in hoſtes,
Duceret & certis agmen equeſtre modis;
Armorum ſi quando aliqui exarſere tumultus,
Geſta peregrina bella fuere manu.
Hinc tibi ab occiduo inſultabat miles Ibero.
Iactabat vires Teutonus inde ſuas:
Hic ſua & extremi iactabant tela Britanni,
Et ferus ardentes Belga premebat equos.
Candida ſed poſitis cum pax ſuccederet armis,
Et patrios peteret barbara turba lares:
Victores nullo & victos diſcrimine paſſim.
Et miſeros ciues qui ſpoliaret, erat:
Non puduit matris gremio abduxiſſe puellam,
Vxoremq; ſuo ſubripuiſſe viro.
Nemo fuit quem raptus honos, quem damna mouerent,
Tantus in Italidum pectora torpor erat.
Vt perhibent Lybicos armenta horrere leones,
Vt lepus ad rapidæ contremit ora canis:
Non aliter Martis detractauere labores,
Funderet horribiles buccina ſiqua ſonos.
Non tulit hanc labem, nec tantum dedecus auis
Albricus Latiæ gloria militiæ:
Agmina iampridem claris deſueta triumphis,
Et reſides animos primus in arma rapit.
Attonito tandem pulſi de corde timores:
Et durum Martis dextra reſumit opus:
Non tuba, non enſes ſtricti, nec tela, nec ignes,
Nec vaga ſpumoſis flumina vorticibus,
Ardua nec triplici circundata mœnia foſſa,
Nec quoque præruptis oppida ſtructa iugis.
Auſoniam terrent, vana formidine pubem
Pendentem auſpicijs Barbiniane tuis.

Hæc metro protulimus, quò facilius à vobis huius inſulſi tædium ſermonis leuarem: maximè enim poteſt in rebus humanis varietas. Ex huius officina tot prodiere, quot ex equo Troiano illuſtres bello duces. Quod ſi mihi creditis minus, Sforcias ipſos interrogate, quorum Proauus Iacomutius ſub Albrico ex frumentatore factus eſt armiger Balduini equitis, paucos poſt annos deinde occiſo in bellis domino dignitatem illius aſſecutus eſt: nouiſſimè turmarum comitis Albrici Barbiani præfectus. *Iacomutius.*

Ex Iacomutio natus eſt Franciſcus Sforcia, qui Philippo Vicecomite vita functo, auxiliantibus Venetis, inſubrum principatum inuaſit. *Franciſcus Sforcia.*

Quantum bello valeant Triuultij, nouit tranſalpina Gallia: cuius vana eſſe arma, ſublato ab humanis Iacobo Triuultio, ſæpe numero vidimus. *Triuultij.* Caſtillionæos apud vos Caſtillionæos celebrare non licet mihi: ne adagio illo, quo aiunt mulos mutuum ſcabere, inurar à vobis. *Caſtilionei.*

Maynorum gloriam ſatius eſt (vt inquit ille) hoc loco tacere, quàm de illis pauca dicere. *Mayni.*

Archinti, Stampæ, Tonſi, Cribelli ſilentio magis, quàm eloquentia laudantur. *Archinti. Stãpæ. Tonſi. Cribelli* Caymorum cùm viris virtute clariſſimis, tum hiſtoricorum monumentis illuſtrem inter inſubres familiam ſilentio inuoluendam cenſeo: quòd cum eam inter quæ aliàs Mediolani florebant nomina, Raphael Volateranus annumerarit: celeberrimam ſatis arbitror: *Caymi.* verum celebrior multò nunc eſt, atque erit olim, cum ex ea prodierit M. Antonius Caymus, qui præter legum peritiam, adeò litterarum politia conſpicuus eſt, vt non minor ſit apud Bituriges, vbi cum ſumma omnium admiratione legum nodos aperit, quàm inter Inſubres ipſius gratia. *Ferrij.* Ferrarios celebrat Demoſthenes ἐν ψηφίσματι, cum inquit, ἐπὶ χερονίδου ἡγεμόνος ἄρχοντος γαμηλίονος ἕκτῃ ἀπίοντος, φυλῆς πρυτανευούσης λεοντίδος ἀριστόνικος Φεῤῥάῤῥιος εἶπεν. Vetuſti ſunt & Pectij, qui nunc Peggij: mutatis C. & T. in *Pectij.*

duplici G G: hi Horatiano carmine nobilitati ſunt.

Pecti nihil me sicut antea iuuat
Scribere verſiculos amore perculſum graui.

Valerij. Valeriorum, qui nunc de Vale dici malunt, Mediolani plures obuiam fiunt inſcriptiones. Qualis eſt illa, quam ex Sancto Simpliciano Gabriel Florentinus ad exornationem ædium ſuarum apud ſe transferendam curauit. Ex qua iam certiſſima coniectura Mediolanenſes lætari poſſunt Valerio Maximo hiſtoriographo præſtantiſſimo communicipe, velut in patriam longo poſtliminio tandem reuerſo: cum apud claſſicos autores nihil certi prorſus legatur de vita, moribus, & morte ipſius. Gaudeamus igitur Mediolanienſes tam eruditiſſimo, veriſſimo, candidiſſimo ſcriptore nobilitati, gaudeamus. Nec terreamini quòd aſtrologiæ ſtudioſus hìc legatur. Quando etiam aſtrologo liceat etiam hiſtoriam conficere.

M. VALERIVS
MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD.
A S T R O L O G I AE
(S I B I E T)
S E V E R I AE A P R
V X O R I
H. M. H. N. S.

Sura. Surarum familiam apud Inſubres, vt nunc eſt quoque, fuiſſe clariſſimam Mediolani in ſancto Carpophoro vetuſtiſſimus ſtylobates indicat: quem hìc exſcriptum in gratiam Bernardi Suræ annectendum curaui.

ATI-

ATILIVS MACRINVS SECVNDVS ATILIO MACRINO PATRI ET SVRAE PVPAE MATRI ET MACRINO PRIMO FRAT. ET MACRINAE SECVNDIN.

Ex hac Surarum, qui Solæ nunc appellantur, familia Palphurius fuit orator inſignis, & cauſidicus. Qui ob ſuſpitionem, quod cum Vitellianis conſenſiſſet, Senatu à Domitiano fuit amotus. Magiorum quoq; familia, quæ in hunc vſq; diem apud nos illuſtris eſt, habet quo ſuam antiquitatem tueatur, tum ex vetuſtiſſimis ſtylobatibus, tum apud M. Tullium Ciceronem: Mediolani ſiquidem apud cœnobitas Diui Ambroſij hoc adhuc monumentum Magiorum clariſſimum, vetuſtiſſimumque inſpici poteſt. *Magij.*

SEX. MAGIVS SEX. L. LICIN. SIBI ET SEX. MAGIO SEX. L. TVRPIO PATRONO ET BASSO ET CELERI LIB. TESTAMENTO FIERI IVS.

Magios ſimiliter (vt dixi) & Rabios Cicero nominis æternitate donauit, tertia in C. Verrem actione, cum ait: ipſe Myoparonem pulcherrimum de decem Mileſiorum nauibus electum L. Magio, & L. Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit: hi ſunt homines, quos nuper Senatus in hoſtium numero cenſuit habendos. In eadem quoque actione Curtios celebrat, his verbis: Cùm tot tibi nominibus Curtij referrent. Idem alibi in eadem oratione: Per ſodalem, inquit, ſuum Q. Curtium iudicem quæſtionis. Curtiorum quoq; non inelegans mnemoſynon viſitur Mediolani in domo Philippi Archinti Iuriſconſulti, quod ipſe ab Angleria in domū ſuam transferendū operā dedit. *Rabij.* *Curtij.*

Digitized by Google

P. QVRTIVS P. F. VICTORI
P. QVRTIVS P. F. PRIMVS
VI IVN.

Cotta. Tuas Catellane Cotta vetuſtas origines recenſerem, niſi M. Tullius illas primo, & ſecundo de oratore libro celebraret: in his .n. C. Cotta à Cicerone interlocutor cum M. Antonio, P. Sulpitio, & Craſſo introducitur. Dictos autem puta Cottas (ſi tamen grammaticorum canonibus ſtandum eſt) ab iracundia & oris toruitate. Vnde Fabius

Criſpi. libro primo: Iam Cottæ, Scipiones, Lenates Serrani ſunt, & ex varijs cauſis. Habes tu quoq; Franciſce Criſpe Stylobathem, quo tuam tutari antiquitatem poſſis, qui occurrit aliud indaganti mihi in priuata domo Vici Biliorum: atq; eum in tuam & totius familiæ tuæ gratiam hic adnotaui: vt liquidò cognoſcas eſſe me tui ſtudioſiſſimum.

P. ATILIO.
CRISPO
AD

Cætera attritu pedum deleta ſunt.

Petra ſancta. Nec carent Petræ ſanctæ ſuo mnemoſyno, ſi diligentius (vt inquit Alciatus noſter) illud examinauerint, & quantò voluerint ſuorum ſtemmatum annales producere, tantò cum apud autores, tum in vetuſtis marmoribus eis licebit: atq: etiam ad Herculem ſuum genus referre. Ad Petram .n. ſacram in Euxino ponto adpulſi Argonautæ ſunt, inter quos Hercules præcellebat. Huius Petræ ſacræ meminit Appolonius Rhodius Argum, primo δι' φατίζεται, cum inquit, ἤδετο πέρη. Eamq; ſic appellatam interpræs ait, κατὰ μὲν εὐφημισμόν, qua mala magna ſacra dicimus. Vnde Virgilius: Auri, inquit, ſacra fames. Mediolani verò Petræ ſacræ familiæ memoria vetuſtiſſima inſpici poteſt in loco, qui Veneri publicæ adſcriptus eſt in ſemidiruta ædicula.

Digitized by Google

HERCVLI IN PETRA SACR.
C. CALVISIVS SECVNDINVS
VIVIR IVN. DECVR.
ITEMQ. ARAM
V. S. L. M.

In ædicula Diuæ Teclæ reperiet Andreas Caluus bibliopola tumulum antiquitatis teſtem ſuæ, his notis inſculptum:

V. F.
C. CALVIVS
CALVI O. V. F.
PRISCVS VIVIR.

Sunt Macri marmoreis, & ipſi antiquitatibus inſignes, ſicut, & Andouartoni, qui nunc Andeuarti, à quibus & Vicus in regione eius portæ, quæ noua dicitur, adpellatur. Accipe igitur mi Petre Macer tuorum natalium præclariſſimam memoriam, quam in pauperum ſancti Martini xenodochio inſpexi: *Macrij*

MACRINAE
C. ATILIO C. F. MACRO
M. ATILIO C. F. ADIVTORI
Q. ALBVCIO Q. F.
ANDOVARTONI TERTI.

Nouelliorum familiam extinctam prorſus eſſe exiſtimo, quando (quod ſciam) Nouellij nulli reperiantur: indicant tamen (vt interim taceam Torquatum Nouellium à C. Plinio Nouocomenſi celebratum) vetuſta marmora alicuius hanc familiam nominis fuiſſe. Verum ex his vnum adduxiſſe ſat, ſuperq; fuerit. Mediolani in ſancto Franciſco: *Nouellij*

P. NOVELLII PVB. FIL. L. NOVELLI P. F. TE CILLONI FRATRI RVBRO FRATRI.

Sentij. Eandem quoque iacturam paſſi ſunt Sentij ſiue Sentiones, è quibus fuit Sentio ille Germanici vltor ſanguinis, ſi per Tiberium Cæſarem ei licuiſſet, vt refert Cor. Tacitus Quòd autem Sentij Inſubres extiterint, indicio pagus eſt inter Inſubres non procul à Caſtilliono, quem Moraſcentium vocant, eò quòd Sentiones ibi morarentur. In cuius phano marmorea in tabula hæc adhuc viſuntur.

L. SENTIVS L. F. O. V. F.
NIGER. SIGNIF. LEG IIII
SCYTHICAE. HIC NATVS
HIC SITVS EST.

Ibidem in eadem Tabula.

M. SENTIVS L. F. O. V. F.
MACER VETERAN. LEG.
IIII SCYTHICAE SIBI ET
FRATRI SVO V. F.

Martinioni. Nec his Martinioni carent originibus, qui vetuſtioribus erant Martiniani: vt videre eſt in monumento ſacrata in æde Diui Victoris, cuius templum olim Marti dedicatum fuerat. Ea autem inſcriptio vel barbara prorſus eſt, vel vernacula eius ætatis: qualiſcunque tamen ea ſit, hic adnotabitur;

D.

Digitized by Google

D. M.
BONAE MEMORIAE DOMVI
MARTIN: AN. EX P.
ROTECTORIBVS INTERNAM SEQVRI-
TATEM CER MENDACIS QVIS IVSTVS
PIENTISSIMVS BENEMERETVS IN SE-
QVLVM ANVS MILITAVIT XLV. ET VI-
VET ANN. N. LX. ET SPERO ME VIVERE
ADVC ANVS N. LXXXXVIII. MESES
SEX. DIES III. ET N. DEIN ARCE HIC
SICIS REMOVERE VOS QVERET AVT
APERIRE AVT VELLET ALIVM QVR-
PVS DAVID IN FESCV AVRI P. I.

In altera fronte eiuſdem tumuli.

Ω ω ☧ A

ET LVNA PERIMA VERTVTEM ET GELO-
RIAM FELICE MARTININNO EREDES
FACOLTATEM VIVOS SIBI FECET HOC.

In Diui Auguſtini phano monumentum eſt Rociæ gentis: qui nunc contempta ſuorum Natalium vetuſtate Rozoni dici malunt: ideſt huius modi: *Rozoni.*

V. F. D. M.
MAXIMVS MAXIMINVS PRIMITIVVS
VIVIR MEDIOLANI SIBI ET ROCIAE SE-
CVNDINAE CONIVGI IN COMPARAB.
QVI VIXIT AN. XXI. ET ROCIO MAX. MA-
XIMINI FIL. QVI VIXIT AN. VNVM M. VI.
ET ROCIEA PRIMITIVEA FIL. PIENTIS-
SIMAE. QVI TIBI DVM STARET PATER
AD TORVM SIC AIT: O' MISER QVID GE-
MIS ET LACRIMAS: QVOD TE MISERAN-
DE RELINQVO? TE NON TVRBEMVS I-
STA FATALIA DANTVR. QVI VIX. ANN.
XVIII. M. VI. IN AGR. P. XIX. INFR.

Digitized by Google

Arluni. Arluni ſimiliter huius vrbis ciues non tam vetuſti ſunt, quam vetuſtiſſimi, vt ex elogio conſpici datur, quod eſt in templo Deiparæ Virginis cui Secretæ nomen eſt. Sed optarem, vt vnum adderentur, alterum immutarent elementum: ita vt Aruleni non autem Arluni dicantur. Fuit & Ruſticus Arulenus à Cor. Tacito, & C. Plinio haud vulgariter celebratus.

L. ARVLENVS ANOPTES
APOLLINI.

Man-duelli. Mandellorum gentem eſſe exiſtimauerim, quos vetuſtiores Manduillos conuerſis V, & I, temporum incuria in E. Poſthac igitur Iacobum Iuriſconſultum præſtantiſſimum à te Blaſi tuum admoneri velim, vt Manduillum ſe, non autem Mandellum vocet, quòd ſi huiuſce rei te cauſas efflagitaret, propone homini humaniſſimo vetuſtum marmor, quod hac in vrbe viſitur apud Veſtales ſancti Bernardini. Ex quo fortaſſe etiam Cacuriorum, qui nunc Cazuli dicuntur,
Cacurij. agnoſces affinitatem:

V. F.
M. CASSIVS M. F. O. V. F. CACV-
RIVS SIBI ET ATILIAE MAN-
DVILLAE VXORI ET M. CASSIO
BROCCHO FIL. ET L. CASSIO
DONATO FIL. IN FR. P. XX. IN
AGR. P. XX.

Mocitij. Nonne, & Mocitij ſimili ornamento illuſtres ſunt? accipe igitur Franciſce Mocitie muſices decus immortale memoriam familiæ tuæ celebrem, quam Medæ, Inſubrum oppidum eſt, inſpexi:

V. F.

Digitized by Google

V. F. D. M.
CANTIVS MOCITIVS VETER.
LEG. VIII. AVG. VIVIR DECVR.
SIBI ET CANTIO MAGIO PATRI
VETER. LEG. EIVSDEM VIVIR
COMI ET SVRAE MESSORIS FIL.
ET CVLTVRIO LAVANDO ET
CVLTVRIO MAXIMO NEPOTIB.
SVIS ET LIBERTIS. IN AGR.
P. IX. INFR. P. L.

Suam & Elli habent antiquitatem, etiam nunc in vrbe hac noſtra non extincta nomina, eam in pariete priuatæ domus Capellarum ſecundum viam è regione ædis ferè ſancti Petri in lintre proſpexi, ea eſt hmōi. *Elli.*

ω ☧ A
HIC QVIESCIT IN PACE SEVE-
RIANVS EILLVS CRISPINI ET
INNOCENTIAE QVI VIX. AN-
NVM MEN. III. D. VI. RECES-
SIT K. NOV.

Perſuaſiſſem facile mihi Ruſcas non eſſe antiquos: ſed cum legerem ſecundum de oratore Ciceronis volumen inuenio hos antiquiſſimis antiquiores: Ex immutatione, inquit, Vt olim RVSCA cum legem ferret annalem, diſſuaſor M. Seruilius dic mihi, inquit, M. Pinnari, num ſi contra te dixero, mihi male dicturus es, vt cæteris feciſti? Vt ſementem feceris, ita metes, inquit. Capellæ genus ſuum referre poſſunt, & ſolent, ad Marcianum Capellam ſcriptorem & eruditiſſimum, & candidiſſimum: nihilque referre arbitror, quod Marcianus ex Africa fuerit. Quando ante Gotthicam rabiem Africani frequentes in Italia diuer- *Ruſca.* *Capellæ.*

uerſarentur: vt legitur de Diuo Auguſtino, qui Mediolani publicè rhetoricem profeſſus eſt. *Caprilij. Bebulci.* Capriliorum etiam meminit M. Varro. Bebulcorum gentem, quæ adhuc floret, T. Liuius æternitate donauit. Si otium mihi daretur, & ſi vobis audiendi commoditas, plura de antiquitate Mediolanienſium familiarum adduxiſſem: ſed cum videam auerſa fronte eſſe nonnullos ad oppida Inſubrum aliqua nunc ipſe diuertam.

De vicis nonnullis, qui in Mediolanienſi ſunt agro. Cap. VI.

VIcos, qui in Ciſalpina ſunt Gallia, partim incolæ condidere, & partim barbari, qui hoc in tractu grauia bella geſſere. In agro Inſubrum Moguntiacum eſt oppidum *Moguntiacum.* in quo ſceptra accipere, & primos attolere faſces omen erat Longobardorum regibus. Moguntiam doctiſſimus Alciatus adpellat, Modoetiam alij. *Modoetia.* Ego vna tantum antiquitate fretus, quæ eodem in oppido eſt in templo ſancti Mauritij, Moguntiacum appellare non dubitabo.

C. SERTORIVS L. F. O. V. F.
T C V S
VETERANVS LEGIONIS XVI.
CVRATOR CIVIVM OMN
MOGVNTIACI.

Caſtillionum. Inter egregia oppida Caſtillionum quoq: numerari poteſt: quod caſtrum Stiliconis, ſi per aliquos licuiſſet, appellaſſem. Quis eſt enim, qui neſciat ab Arcadio, & Honorio Impp. Mediolani Stiliconem rei bellicæ virum peritiſſimum, ſed perfidum, vt poſtea exitus declarauit, collocatam, vt Romanum imperium vendicaret à Gotthis,

in

in dies ſingulos per Pannonias irruentibus in Italiam? Quis eſt prætereà, qui non vel facilè perſuadeat ſibi talem virum locum non ſelegiſſe ad oblectationem?, & caſtrum hoc condidiſſe, quod à ſuo nomine dixerit? Dij boni quid ridetis? an conatus ſum imponere Pelio Oſſam? audite obſecro quod adhuc in templo Diui Ambroſij legere eſt huius rei mnemoſynon: quod tametſi inelegans ſit, audiri tamen poteſt ob hanc rem ſolum:

Hic iacet Anſpertus noſtræ clariſſimus vrbis
Antiſtes, vita, voce, pudore, fide.
Aequi ſectator, turbæ prælargus egenæ
Effector voti, propoſitiq; tenax.
Mœnia ſollicitus commiſſæ reddidit vrbi
Diruta, reſtituit de Stilicone domum.
Quot ſacras ædes quanto ſudore refecit?
Atria vicinas ſtruxit & ante fores.
Tum ſancto Satyro templumq; domumq; dicauit
Dans ſua ſacrato prædia cuncta loco.
Vt Monachos paſcant æternis octo diebus
Ambroſium pro ſe, qui Satyrumq; rogent.

Si ergo ſimilitudo nominis firmat argumentum, dicere non verebor Caſtillionum quaſi caſtrum Stiliconis. Hinc non procul eſt Vedanus pagus, qui valde aridum ſignificat; aquarum enim vſq; adeò indigens eſt, vt nulli ſint putei, & fontes nulli. Sexto kalendas vetuſtiſſimo nomine pagus appellatur, quà Verbano Ticinus exit: dictum ſic opinor, quod eo menſis die olim ruſtici illuc confluerent vel ad nundinas, vel ad ſacrificia. In eo enim templum eſt antiquioribus litteris inſculptum: quibus ſignificabatur illic & Herculi, & Mercurio, & Syluano, & Diuo Panthæo pagani vota perſoluiſſe. Voſilium cum præfectura oppidum eſt adhuc celebre ad eorum collium radi-

Vedanus.

Sexto kalendas.

Voſiliū.

ces ſitum, per quos ad Verbanum, Lucanumq; & Larium lacus iter eſt. Meminit certè Stephanus περὶ πόλεων, Varatinæ regionis, quam Theopompus libro ſecundo & quinquageſimo verſus Adriaticum conſtituit: quo nomine cum eo in tractatu nullum fuiſſe oppidum conſtet, nec eſſe facile adducor, vt putem Βαρήτην eſſe Vaſiſium, quod alij ab exitu vallium, Valeſium nominant: & Varitium alij more Græco. Brebia vicus inter Verbanum & Varitium ab his Orobiorum populis habitatur, qui ad Mediolanienſes pertinent: ibi in colle Mineruæ templum fuit cum ſaltu Tibronano, vt liquidò apparet ex antiquitate, quæ eo in pago adhuc viſitur:

Valeſiũ ſiue Valerium Brebia.

D. M.

L. COELI L. F. O. V. F. BARONIS VIVIR PONTIFICI IIIIVIR AP. CVRATORI SALT. TIBRONANI ITEM TEMPLI MINERVAE ET ALBVCIAE VIRILLIONIS F. VXORI EIVS COELII IVVEN ET SEVERVS PARENTIB. OPTIM.

Vicomercatus.

Vicus Martis nunc Vicomercatus Brigantiorum collium Metrocomia pluribus vetuſtis inſcriptionibus illuſtris, quæ cum ad negotium præſens faciunt minus à me ſilentio inuoluuntur. Caſtrum Seprij putat Alciatus noſter dictum quod Seueri olim extiterit: Ego Seprium (pace tamen Alciati) quaſi inſubrum denominatum magis crediderim: præſertim cum eo in tractu meditullium ferè ſit inſubrum. Ab hoc caſtro agri Mediolanienſis pars non mediocris nomen adſumpſit. Id antiquiſſimum eſſe oppidum cum noſtri chronographi atteſtantur, qui ex eo loco natum Maximianum in imperio Diocletiani collegam prodiderunt, qui etiam Mediolani imperij ſumpſit, & depoſuit inſignia, velut hoc negotio patriam illuſtraturus: tum etiam monumen-

Caſtrum Seprij.

Digitized by Google

numenta vetuſtiſſima ſunt indicio, è quibus vnum dixiſſe ſufficiat vobis.

I. O. M.
L. CAECILIVS NYMPHEROS V. S. L. M. POSVIT C. FONTEIO CAPITON COS.

Galeratus vicus Nec Galerato vico, qui vrbeculæ ſpeciem oſtentat, in agro Inſubrum deſunt antiquitatis veſtigia: verum cum hæc faſtidium peperiſſe potuerint, parcius poſthac has memoriolas adducam. Tranſeo igitur in Albiciatũ pagum, *Albiciatus pagus. Montunates.* qui cultores habuit nomine Montunates, quorum præclara fit mentio in quadam baſi vetuſtiſſima: quæ ibi viſitur:

I. O. M.
MONTVNATES
VICANI IOVANIVS
V. S. L. M.

Binæ Inter Mediolanum & Ticinum medio itinere Binæ ſunt oppidum vetuſtiſſimum, Binaſcum nunc appellatur. Marlianum, *Marlianum.* ſi Alciato credimus id referenti, Marianum antiqui, vel Manlianum dixere, conditoris nomen ſeruans. *Mons orphanus.* Mons orphanus pagi nomen eſt (vt ſcitis) inter inſubres quo loco arx fuit ferè inexpugnabilis: quæ quoniam viarum obſeſſores recipiebat, & exulibus erat aſylum, Inſubrum cæterorum armis ſubuerſum eſt. *Siderianum.* Siderianum in via, qua rectà itur Nouariam, pagus eſt: Deſiderianum (puto) ab antiquioribus vocatum, velut à Deſiderio Longobardorum rege vltimo conditum. *Maxentia.* Maxentiam quoque ſi à Maxentio tyranno deducerem, quis me vitio daret, niſi ineruditus aliquis? *Parabiagum.* Parabiagum Mediolanienſium victoria Diuo Ambroſio fauente in Heluetios illu-

illuſtrauit, vicus ipſe ſatis contractus eſt: genialis tamen, gratiæ, & ruralis amœnitatis non expers. Pontirolus non procul à Mediolano rus eſt, vltra Abduam hiſtorijs celebratiſſimus: verum pons Aureoli, non Pontirolus ab his nuncupatur. Aureolus enim (vt refert Iulius Capitolinus) vnus fuit è triginta tyrannis, qui imperium Ro. inuadere conati ſunt, cum Gallienus Impera. non viris modò, ſed & mulieribus neglectui eſſet. Præerat Aureolus Illyricianis exercitibus, qui venientem Macrianum cum filio contra Gallienum maximè deterruit, captis plurimis ex copijs illius, & nonnullius ad fidem ipſius pretio corruptis. Interfecto tandem Gallieno cum fratre Mediolani Claudius in Aureolum caſtra mouit, & conflictu habito in agro Mediolanienſi apud vicum, quem à ſe denominauerat Aureolus, cum aperto Marte deuicit. Atque illic tyrannum ſepulchro humliori donauit. De Aureolo etiam hæc Trebellius Pollio memoriæ tradidit, de Claudio loquens: Qui primum vt factus eſt Imperator, Aureolum qui grauior Reip. fuerat, qui Gallieno multum placebat, conflictu habito à Reip. gubernaculis expulit tyrannum, quem miſſis ad populum edictis, datis etiam ad ſenatum orationibus hoſtem iudicauit. His accedit, quòd arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, imperator grauis, & ſeuerus non audiuit, reſponſo tali repudiatum: Hæc à Galieno petenda fuerant, qui conſentire moribus poterat, & timere. Extat adhuc Claudij liberalitas in Aureolum furore militum oppreſſum tumulus cum inſcriptione Græcanica.

Pontirolus.

[illegible] nica dicitur.

Aureolus.

Κλαύδιος Αὐρεόλῳ μετὰ δήιον ἄρεα Καῖσαρ
Ταχτέργα, θνητῶν ὡς τεμὶς ἐνδιδοεῖ
Το γὰρ καὶ ζώειν, ἀλλ' οὐκ ἐθέλεσκε φρονήμα
Ξασιν ἐπιηπίοις τοῦ στρατοῦ ἀντίβιον.
Κεῖνος δὲ συκτίσμαν καὶ σώματος ἔσχαγ' ὀπίζων
Αὐρεόλου γέφυραν εἵσατο τήνδε ταφήν.

Quod

Digitized by Google

Quod Alciato interpræte Latinè ſic habetur.

Claudius Aureolo poſt Martia prælia Cæſar
Pro mortali hominum iure ſepulchra dedit.
Huic quoq; vel vitam: ſed non contraria prauis
Omnibus hoc prudens militis ira tulit.
Ille igitur clemens; dum corporis vltima ſeruat,
Qui pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Interpræte quodam Grammatico per tempora Iulij Capitolini.

Dona ſepulchrorum victor poſt multa tyranni
Prælia iam felix Claudius Aureolum
Munere proſequitur mortali, & iure ſuperſtes
Viuere quem vellet ſi pateretur amor.
Militis egregij vitam qui iure negauit
Omnibus indignis & magis Aureolo.
Ille tamen clemens qui corporis vltima ſeruans
Et pontem Aureoli; dedicat & tumulum.

Sanè in capite tumuli inſcriptus Hippopotamus ferox & dirum animal, & intra ſerpentem incluſus, orbiculari forma caudam mordicus tenentem, notat Aureoli tyrannidem, & ſæuitiem per omne tempus duraturam, cuius rei ratio ab Horo Apolline repetenda eſt.

De Orobijs populis, qui ad Inſubres attinent. Cap. VII.

QVà Mediolanienſis ager (vt verbis vtar Alciati) ad Alpes vergit, Græcæ nationis populos incoluiſſe Orobios Cornelius, Alexander, & Plinius auctores ſunt: quo in tractu etiam nunc ſunt eius gentis pleraque nomina, vt lacus ipſe Larius à ſuauitate amœni-

Digitized by Google

Larius lacus. Addua flu. Orona. Comum oppi. Leucũ. Canthurium. Canthiũ. Onniũ. Orſinicum. Macreũ. Phegiũ. Eugion. Eupylis. Mõs orphanus. Alciatũ.

tateque Sicrenus, quaſi σὶ κρήνην, ſeu ſacrum fontem dicas. Fluuius Addua, quod ab Adya, ideſt, inacceſſis montibus: Orona quòd ab ijs collibus defluat, quos Orobij tenent, ἀπὸ τῶν ὄρων. Eandem quoque originem & oppida oſtendunt. vt Comum ἀπὸ τῆς κώμης hoc eſt, villa, ſiue, pagus, & κωμηδὸν vicatim: ſiue ἀπὸ τοῦ κώμου, qui deus erat veteribus comeſſationum, nocturnarumque ſaltationum. Inde κωμάζω, petulans ſum. Leucum ſimiliter à candore montium dictum puto. Canthurium, Canthiumque ἀπὸ τῶν κανθώνων, hoc eſt à copia, vel præſtantia aſinorum. Itemque Onium ab eiſdem. Orſinicum à victoria in montibus habita, quaſi ὀρεσινίκον. Macreum ab Augusta forma, longitudineque. Phegium à fagi arboris copia. Eugion non longè ab Adeua, à bonitate ſoli. Eupylis, qui nunc Puſiſianus appellatur, à porta, & acceſſu, quo in montes tendimus, vnde & lacui nomen. Mons orphanus ceu quòd orphanus, & deſtitutus ſit ab alijs collibus. Alciatum, quaſi Alſiatum, hoc eſt frigidum: veteres enim quod erat frigidum vocabant alſioſum: & pocula alſioſa, quæ dantur ad ſoporem prouocandum. Verum quid de Alciato vico Alciatus ipſe ſcripſerit, audite? Alciatus vicus, cuius nominis & alter in Bergomatibus eſt, ab Alcatho Parthaonis Aetoliæ regis filio autore coloniæ in has regiones deducendæ: qui poſtea cum vnus ex Hippodamiæ procis eſſet, ab Aenomao interfectus: quapropter inhabitauit tumulum eius Genius, equitantibus infeſtus, vt ad eum accurentes equi terrore afficerentur, & prociderent. Cuius rei Pauſanias libro ſexto autor eſt.

De Cæteris Inſubribus.
Cap. VIII.

Hi ſunt Inſubres montani, qui à Græcis Orobij dicuntur, de quibus illa dixiſſe ſufficiat. Redeo nunc ad

Digitized by Google

ad reliquos Inſubres, qui per Adduam & Ticinum ad Padum iacent: quorum vrbes ſunt Ticinum & Lauſpompeia. Ticinum ab Inſubribus & Bois conditum refert Eutropius libro quarto. A Salijs autem, quos Saluuios alij nominant. Titus Liuius ait ædificatum libro quinto decadis primæ. Plinius à Leuis & Maricis Liguribus. Inquirendum eſſet quomodo, & quo tempore Ticini nomen in Papiæ mutatum ſit. Verùm hoc onus Petro Franciſco Buſcæ, & qui adeſt, & qui Ticinenſis eſt, relinquo. Non grauabor tamen in gratiam ipſius, quid ſuper hac re notauerim, dicere. Sunt qui ſcribant à quadam Longobardorum regina hoc nomen deriuaſſe, ſed de hoc tantummodo famam habeo. Iacobus Gualla, qui Chronicam eius ciuitatis edidit, de huius nominis origine ne verbum quidem fecit. Hanc vrbem per tempora Anibalis extitiſſe, ſunt, qui negant, Titum Liuium adducentes, qui libro XXI. Ticini tantùm amnis meminit: Iam tamen (inquit) Scipio Padum traiecerat ad Ticinum amnem. Quòd ſi ea tempeſtate Ticini vrbs extitiſſet, non tam ſicco pede credibile eſt autorem tantam vrbem ſilentio inuoluiſſe. Hanc quoq; vrbem cùm vi expugnaſſet Atillas rex Hunnorum ſubuertit. Nec fortaſſe minora damna paſſi ſunt Ticinenſes ſub Odoacro Herulorum rege, noua Turcilinguorum manu freto. Oreſtes enim patricius ex Liguria cum ei occuriſſet, nec impetum barbarorum ſuſtinuiſſet, Ticinum ſe recepit: verùm antèquàm auxilia præſtarentur obſeſſis vrbem expugnauit, captam ferro, flammaque conſumpſit. Oreſtes Placentiam protractus capite mulctatur. Vitellio quoque ex vlteriore Gallia contra Othonem Impera. irruente in eadem vrbe cum defediſſent Valentis & Cinnæ legiones, orta eſt inter Ciſalpinos Gallos, qui Vitellio auxiliares venerant, ingens ſeditio, & inter Romanos milites. Hinc cædes & ciuium, & militum vehemens. Pannones itidem tempeſtate Stephani Ro. Pont. VII. Itaˍ

Ticinū.

Saliji.

Papia.

Digitized by Google

liam ingreſſi Ticinum depopulati ſunt. In ſocialibus etiam bellis graues clades à Mediolanienſibus accepere. Septimo ab hac vrbe lapide ſecundum Padi decurſum Belzoioſum, oppidum ſanè elegans, & ad venationes idoneum. Id condidit Ioann. Galeacius Vicecomes primus inſubrũ dux, cui Virtutum cognomen fuit, mox donatum Barbiani Comites accepere. Ager hic eſt irriguus ob multos Nilos, quos Carolus Comes Barbianus in eas partes ab vſq; Mediolano deducendos curauit. In Ticenſi tractu, vt refert Plinius, ſabulum nigrum reperitur, quod cementatum, calceque diligenter repaſtinatum dureſcit in lapidem. Tranſeo nunc in Laudenſem agrum, cuius vrbs hac ætate in ripis Adduæ, quem Abduam alij etiam vocant. Eam Pompeius Strabo Magni Pompeij pater coloniam deduxit, & à nomine ſuo Laudem Pompeiam vocauit: quemadmodum & Iulia pietas in Foro Iulio, & alia ijs ſimilia. Fide caret quod M. Pompeius eam vrbem condiderit, vel auxerit pyratis à ſe deuictis, cum in locum in coloniam deductis: cum ſciatis Pompeiopolim in Cilicia eam ob cauſam conditam. Sed ea quæ nunc viſitur Laus Pompeia non fuit a Strabone deducta colonia: eam enim Mediolanienſes vaſtarunt: verùm ciues profugi in margine Adduæ auſpicijs Friderici Rubrobarbi Imp. condiderunt. Laudem verò credibile eſt à Bois Tranſalpibus primò conditam: qui duce Belloueſſo Alpes tranſcenderunt, mox bellis vaſtatam, ſicut & Nouariam à Romanis in colonias deductas. Ager Laudenſis adeò omnium finitimorum fertiliſſimus eſt, vt lumen Ciſalpinæ Gallæ dici poſſit. Et cum Ciſalpina Gallia omnium ſcriptorum calculo cæteris Europæ partibus antecellat, & hæc Africæ & Aſiæ, meritò dicere poſſumus, agrum Laudenſem omnium, quos cœli decliuitas tegit, beatiſſimum. Acerrarum vrbis olim florentiſſimæ inter Inſubres veſtigia ne viſuntur quidem: aut quo in loco fuerit, illud Horatij poſſum dicere;

Belzoioſum. *Ioã. Galeacius.* *Abduæ.* *Laus Põpeia.* *Pompeiopolis.* *Acerræ.*

Gram.

Grammatici certant, & adhuc ſubiudice lis eſt.

De qua tamen quid Alciatus ſcripſerit, audite: Quod ſi (inquit) verum eſt, falluntur, qui Acerras id appellant quod Inſubrum vicum inter Padum, & Alpes fuiſſe Polybius affirmat: vt veriſimilius ſit, Acerras eſſe, quæ nunc Agerola dicitur, verſus Derthonem. Fallitur & ciuis meus Raymundus Marlianus, qui Heloredíam prius dictam Angleriam in Paraphraſi Gallicæ topographiæ ſcripſit. Ego Angleriam non Heloredíam dixerim ab Anglis Saxonibus, qui cum Longobardis in Italiam venerunt. Hæc Alciatus. Verùm ego non vltra Padum, ſed citra potius, hoc eſt, inter Eridanum & Alpes, potius fuiſſe crediderim: præſertim cum lectum ſit eam vrbem non procul à Mediolano fuiſſe, quam cum Romani obſiderent C. Cornelio Merula & M. Claudio Marcello Coſs. & obſeſſis Inſubres auxilium ferre non poſſent, omniuncto ſtatim ratibus Pado Duce Viridomaro, qui ex Tranſalpino genere auxiliares copias Inſubribus contra Romanos adduxerat, Claſtidium, quod Romani tenebant, adorti ſunt putantes fore, vt deſtitutis Acerris, Romani ad Claſtidium liberandum feſtinarent. In agro Mediolanienſi non procul à Liuiano vicus eſt, cui Acerræ adhuc nomen eſt. Facilè adducor, vt putem ibi ciuitatem Acerrarum extitiſſe, & adhuc Acerranus tractus vltra Reſcardinā dicitur.

Agerola

Angleria vnde

De Orobijs cæteris, qui ad Inſubres minimè pertinent. Cap. IX.

ORobiorum gentem Zanchus longis ambagibus, & originem proſequitur. Ego ijs omiſſis, ea tantùm amplectar, quæ apud vetuſtos autores ſcripta reperi. M. Cato, autore Plinio, Orobiorum originem ignorare ſe profeſſus eſt. Eos Cor. Alexander Græcos fuiſſe exiſtimat: quod ea vox in montibus degentes ſignificet. Orobio-

Digitized by Google

Nouoco- rum ciuitas præcipua eſt Nouocomum trium Pliniorum *mum.* patria, in margine Lariano. Hanc vrbem non Græci, ſed Galli (ſi Trogo credimus) condidere, quam cùm Rheti vaſtaſſent, Romani quater eam repararunt, ſed ne ſuper hac re hallucinari noua videar vobis, Strabonem ipſum libro quinto, ſi placet, audite de Como loquentem. Hæc mediocris, inquit, erat colonia: Cæterum Pompeius Strabo, Pompeij Magni pater colonos in eam reſtituit: quam incumbentes Rheti vaſtauerant. In qua C. Scipio tria hominum millia inſuper adiecit: poſtmodum Cæſar quinque inquilinorum millia ad inhabitandum deduxit, è quibus quingenti illuſtriſſimi fuere Græci. Hos etiam ciuitate donatos in habitatorum numero deſcripſit. Haud tamen ibidem domicilium habuere, ſed oppido nomen relinquentes, & Nouocomum appellantes, Nouocomenſes oppidanos vocauere. Octauo ab hac vrbe lapide fons eſt Plinianus, qui ſingulis horis, & labrum ferè aluei excedit, & ferè ita reſidet, vt illotis ferè pedibus vadari poſ-

Lebe- ſit. In proximis montibus ad excoquenda obſonia Lebe-
theus. theus lapis excauatur, nec alibi, quod ſciam. Deinde
lapis. eſt Licinophorum, quod Leucum alij fruſtra eſſe conten-
Licino- dunt, municipium ſanè elegans, ea in parte riparum la-
phorum. cus, qua Adduæ flumen erumpit. Sunt item qui dicant,
Leucum. & ijs magis aſſentior, Incinum eſſe qui pagus eſt Inſubrũ
Incinum corum qui ad Mediolanienſes ſpectat. Forum diugunto-
Forum Diugun- rum vbi nam locorum fuerit, hactenus coniecturis aſſequi
torum. non potui. Melpum opulentiſſimum olim oppidum Boij,
Melpum. & Inſubres eo die flammis conſumpſerunt, quo Veios Romani auſpicijs Fur. Camilli ſub poteſtate redegere. Sunt
Melciũ. qui arbitrentur eſſe Melcium municipum nobile, & ditiſſimum: eo nunc potius Comes firmus Triuultius, & natalium ſplendore, & animi dotibus vir ornatiſſimus: Hoc
Barra. in tractu interijt etiam Barra oppidum, vnde Bergomates ortos putauit Cato. Non deſunt quoque qui monumen-

tis

tis tradiderint ab his Gallis conditos, à quibus & Veronenſes, & Brixianos. Inter Orobios nec Spina reperitur. Sunt autem Orobij altius quàm fortunatius ſiti.

De Cenomanis. Cap. X.

ORobios ſecundum Alpium crepidines Cenomani ſequuntur, qui ex Tanſalpina Gallia hanc Citeriorem (vt refert Polybius) acceſſere. In quorum vicinia erant Lemouices, Rhedones, & Andegauenſes. Cenomanorum metrocomia eſt Brixia, quæ ab ijs Gallis condita dicitur à Iuſtino, qui Duce Brenno non Romam modò, ſed & Italiam incendijs fœdarunt. Titus autem Liuius libro primæ decadis quinto, Germanorum manum, ait, Elitouio Duce veſtigia priorum ſequutam eodem ſaltu, annuente tamen Bellouesſo, Alpes tranſcendiſſe, vbi nunc Brixia, & Verona vrbes ſunt, deſcendiſſe. Fuere cum Venetis Cenomani ferè ſemper Gallis finitimis infeſti, & rebelles. Præclaram enim Romanis victoriam Cenomani à ſocietate, quæ inter Ciſalpinos Gallos conflata fuerat, in Romanos tribuere. Cuius rei meminit his verbis Liuius: L. Aemilius Imperator effuſum agmen ad Mutinam ducit, & in ſyluis, quæ tunc circa Mutinam erant, cæſi ſunt Romanorum LXXX. Cæteri Tannetum petierunt, ſex ſigna militaria adempta. Fuere tunc auxilio Romanis Brixiani Galli aduerſus alios Gallos, & Boios. Cremonam ſcitis veterem eſſe Romanorum coloniam, deductamq; fuiſſe T. Sempronio, & Cornelio Coſs. tanquam Romæ propugnaculum contra irruentes Inſubres. Cum autem à Flauianis militibus prædæ expoſita eſt, annum agebat ætatis ſuæ CCLXXXVII. & ante hanc cladem tempore etiam Auguſti in grauiſſimas ærumnas incidit, quòd Antonianis partibus fauiſſet. Non ab re igitur poetarum eminentiſſimus Cremonam infelicem his verbis appellauit:

Brixia. *Cremona,*

Man-

Digitized by Google

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Gotthorum quoq; ætate, mox Longobardorum varijs ruinis affecta eſt. Nouiſſimè à Rubrobarbo quoq; ferè euerſa eſt. Non longè à Cremona Caſtrorum locus eſt, à Tacito celebratus: quem Caſtoris Paulus Oroſius nominat. Vtra harum verior ſit lectio, cùm Alciatus aderit, excutiet. Bebriacum vicus eſt agri Cremonenſis ſtrage Othoniani exercitus illuſtris, cùm Brixelli vltra Padum euentum pugnæ Otho Imperator expectaret. Ad ripas Serij Crema eſt à Rubrobarbo poſt proſtratos Cremonenſes condita. Oppidum citra clepſydram (quòd aiunt) & opulentiſſimum, & inexpugnabile ſub Venetorum ditione. Mantua ab Hetruſcis condita dicitur, vrbs & vetuſtiſſima, & Virgilio omnium poetarum Latinorum, quot ſunt, quotq; fuere, quotq; poſt alios erunt in annis principe per totum terrarum orbem celebratiſſima. Hanc vrbem Mintius amnis vndiq; circunfundit, efficitq; lacum, qui carpiones expetiti ſaporis gignit: puto autem in Benaco lacu generari, quem Sarca fluuius ex Tridentinis montibus influit, & ex lacu piſces illos per Mintium Mantuam enatare. Hanc ciuitatem Atillas, & hoc prior Auguſtus, mox Longobardi, & his truculentior Cacanus Bauarorum rex, mox Eccelinus Patauinorum tyrannus grauiſſimis damnis affecere. Non procul à Mantua Riua oppidum eſt iuxta quod Grimoaldus Longobardorum præfectus Tranſalpinos Gallos crudeliſſima ſtrage trucidauit.

Caſtri. *Bebriacum.* *Crema.* *Mantua.* *Riua.*

De Venetis. Cap. XI.

VEnetis etiam Gallica eſt origo: Sciunt enim omnes in vlteriore Gallia ſecus littus Oceani Venetos eſſe proximos Vnellis, Oſiſmis, Curioſolitis, Seſuuijs, Aulercis, & Rhedonibus. Qui cum & ipſi duce Belloueſſo Alpes exſuperaſſent, quòd eſſent in patria fluctibus adſueti,

Adria-

Digitized by Google

Adriaticum littus occuparunt. Verum de hac re Strabonem audiamus: Hos ego Venetos eſſe opinor, à quibus Veneti ſinum colentes Adriaticum in coloniam deducti ſunt: Reliqui enim ferè omnes in Italia Galli è Tranſalpina Gallia commigrarunt, ſicuti Boij, & Senones. Verum propter nominis ſimilitudinem Paphlagonas eſſe dicant. Hæc autem non ádfirmauerim, de huius enim generis rebus ipſa ſatis eſt coniectura. Hæc ille. Seruius in primo Aeneidos libro ab Heneto rege, qui ex Illyrico veniens ea loca tenuit, vbi nunc Venetia eſt, Venetos dictos innuere videtur: Henetoſq; primò, & Henetiam vocatam. Venetim olim, quòd etiam ætate Strabonis prorſus exoleuerant, ſtudium impendebant ad creandos ex equabus mulos: cuius rei meminit Homerus.

Ἐξ ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων. idest

Mularum genus è Venetis quod robore præſtat.

Dionyſius quoq; (vt atteſtatur Strabo) Siciliæ tyrannus hinc alendorum ſemen equorum conſtituit, quos ad equeſtre certamen tollebat: adeò vt per Græcos equinæ prolis Venetæ nobilitas manaret. Patauio antiquitus Venetarum vrbium præcipuus honos fuerat: Per tempora enim Strabonis cenſi ſunt in ea vrbe quingenti equeſtris ordinis viri, antiquis autem annis C. & XX. militum millia miſiſſe conſtat. Dictum autem eſt Patauium vel quaſi Padauium à Padi vicinitate, vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, ideſt, à volendo, quòd captato augurio, vt Seruius ſcribit, conditum ſit. Virgilius primo Aeneidos libro ab Antenore conditum Patauium refert his verſibus. *Patauiū.*

Hic tamen ille vrbem Pataui, ſedeſq; locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.

Nobilitata eſt maximè T. Liuio, & hiſtorico, & oratore facundiſſimo. Quem acerrimi vir ille ingenij Fab. Quintilianus hiſtoricis omnibus & Græcis, & Latinis præpone- *Tit. Liuius.*

re

Taruiſium. re videtur. Taruiſium vrbs Venetæ regionis, vnde Taruiſani tractus fluxit appellatio, Totilam Quintum Gotthorum regem in Italia genuit, qui magno exercitu conflato vniuerſam Italiam armis ſubegit, Romamq; copijs infeſtis ingreſſus vaſtauit, incenditq;. Hanc vrbem interfluit Silis *Silis.* amnis placidiſſimus. Tridentum ſunt qui velint ab his *Tridentum.* Gallis eſſe conditum, à quibus, & Veronam. Hoc in loco tranſitus eſt Alpium, quæ Tridentinæ vocantur. Quarum *Vicẽtia.* meminit Plinius libro tertio. Inter Venetas vrbes Vicentia, & ipſa recenſetur, à Senonibus Gallis (vt Trogus *Rharonus fl.* refert) condita. Per Vicentinum agrum Rharonus, & Bachilio amnes dilabuntur. Qui vbi ad Vicen- *Bachilio fl.* tiæ mœnia confluere, nec ille Rharonus eſt, nec hic Bachilio, ſed vno nomine Medoacus appellatus in mare Adria- *Medoacus fl.* ticum defertur. Vicentinus Palæmon omnium homi- *Palæmõ.* num ſuæ ætatis arrogantiſſimus. Hic ille eſt, quem in ſuis carminibus Virgilius dignatus eſt inſerere, cum inquit:

-Vel qui venit ecce Palæmon.

M. Varronem idem porcum litterarum nominabat, verum litteras, & ſecum natas, & ſecum perituras eſſe dicebat. Interrogatus quid inter ſtillam, & gutam differt, Stat, *Verona.* inquit, ſtilla, guta cadit. Qui Veronam primitus habuerint ſatis eſt dictum: eam Atheſis interſecat. Hanc vrbem *Atheſis* tres maximè viri illuſtrarunt: Catullus ſcilicet, à quo & Iu- *Catullus* lius Cæſar proſciſſus eſt: Vitruuius per tempora Auguſti *Vitruuius.* Architecturæ ſcriptor: & Aemilius Macer, qui de herbarum virtute elegantiſſimè ſcripſit. Sed hic libellus qui ſub Ma- *Aemilius Macer.* cri nomine circumfertur, non huius eſt, ſed Odonis cuiuſdam medici, vt ipſe vidi in codice quodam antiquiſſimo. Verum vt gratior exiret in lucem, Macri titulo inſcriptus eſt. Qui ad Veronenſes Plinium naturalis hiſtoriæ ſcriptorem reijciunt, pluribus fortaſſe, quàm opus ſit, argumentis conuicti ſunt. In Veronenſi agro Benacus eſt la-

cuum

Digitized by Google

euum omnium amœniſſimus. In hac vrbe occiſus eſt Philippus Imperator, quem ex Impp. primum cum filio ſacro baptiſmate nonnulli vnctum fuiſſe contendunt. In annalibus reperio eum tamen voluiſſe, vt antea etiam fruſtra tentauerant Tiberius, & Adrianus Impp. aram Chriſto redemptori dicare. Huius ætate floruit Origenes vir Chriſtianiſſimus, & quæ in ſacris Biblijs edidit, ſcriptis celebratiſſimus. Feltrum item, & Bellunum Veneti tractus ciuitates extitere. Opitergium quoq; celebrati nominis apud antiquos ciuitas fuit. Opiterginos enim lectum eſt Iulio Cæſari contra Pompeianos auxilio veniſſe: infauſtoq; pugnę euentu diſceſſiſſe, qui ne in Pompeianorum poteſtatem venirent, claſſe iam ab illis circunuenta in Adriatico ſinu, inter ſe gladijs eductis concurrentes occubuere. Huius rei meminit Quintilianus his verbis libro tertio: Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergini circunuenti. Hanc vrbem à fundamentis poſt longam obſidionem Longobardorum rex Rhotaris euertit, cuius loco Heraclea condita eſt à magno Opiterginorum eccleſiæ epiſcopo: & ab Heraclio Imperatore Heracleam dixit. Sunt & in Venetorum tractu Acedum, Ateſte, & Alginum vetuſta oppida. Venetiarum vrbs clariſſima, & totius Orientis emporium anno ſalutis LV. ſupra quadrigenteſimum, vt Palmerio placet, in intimo Adriatici maris ſinu condita eſt, poſt vaſtam ab Atila rege Aquileiam. Cæterarum enim vrbium primates Aquileienſium ruinis, & fremitu terrefacti, collectis ditiore ſupellectili in illas paludes ſalutis gratia ſe recepere. Cæterum cum calamitates in dies magis nouis ſuperuenientibus tyrannis conduplicarentur, factum eſt, vt ibi ſedes firmarentur. Itaque creuit vrbs ipſa breui temporum interuallo: Hac autem ætate adeò opum, & palatiorum excellentia, & recto conſilio pollet, vt facilè Italicarum non modò vrbium, ſed & totius orbis princeps dicatur. Aquileia ex antiqua nobilitate, & potentia aliud

Origenes. Feltrũ. Bellunũ Opitergium. Heraclea. Acedũ. Ateſte. Alginũ Venetiæ Aquileia.

Digitized by Google

habet nihil quàm inane nomen. Hæc inter ſe colloquentibus, ecce ſuperueniens nuntius palàm Galeatium Capellam agere animam retulit. Quamobrem conſternati omnes illico conſurrexere: Dij boni quæ ſuſpiria? quæ lamentationes ea hóra non extitere? Quis dolore non exarſit? Quis tunc non exclamauit, impia fata, fata impia? quæ patriam hanc tam acerbo funere contaminaſtis. O Dij immortales, cur hoc lumen tam cito extinctum eſſe voluiſtis? Hæc vbi ſeorſum conqueſti eſſent, omnes lachrymis confuſi, inſalutato (quod aiunt) hoſpite diſceſſere.

GAV-

GAVDENTII MERVLAE ANTIQ. GALLORVM CISALPINORVM

Liber Secundus.

POſtridie Galeacij Capellæ viri ſubacti ingenij parentalia conuentum impediuere: dilatum eſt itaque ratiocinandi tempus in alteram diem: quæ cùm illuxiſſet, præſtò omnes affuere, præter Landulphum, & Phyletum, quos Ticinum traxit neceſſitas. Accepit eos autem in muſæum ſuum Bonauentura Caſtillionæus, huius vir ætatis politiſſimus, Aderant primi veris delitiæ roſæ pro aulæis, pictiſq; tapedibus: quæ ob Capellam mœſtus depoſuerat. Adfuit Otho vir cùm ſingularis humanitatis, tum eruditionis, & cum eo Iacobus Maietus, de quo ſatius eſt tacere, quã pauca dicere; qui cùm in hemicyclis omnes deſediſſent, præter omnium opinionem Bernardus Felicianus acceſſit: quo viſo, omnes ſtatim aſſurgentes, amplexi ſunt hominem, non Cremonenſium modò, ſed & Ciſalpinæ Galliæ decus immortale. Omnibus itaque deſidentibus, omnium nomine Othonem orarunt nonnulli, vt partem Ciſpadanæ Galliæ, qua fieri breuitate poſſet, abſolueret. Difficilem prouinciam mihi, Otho inquit, impoſuiſtis, vt pote quæ ab autoribus celebrata ſit minus: veſtra tamen humanitas, non modò vt bono ſim animo facit, verum

Digitized by Google

fortaſſe ex tyrone me triarium, & ex gregario legionarium militem efficiet. Aggrediar igitur onus hoc nobis impoſitum, non tam ſpe perficiendi, quàm vobis obſequendi. Si quid igitur in hiſtoria titubatum fuerit, aut ſi Latinè quid dictum minus effluxerit, putatote obſecro eſſe me in tragœdia (quòd aiunt) Comicum: & aliquando inter delitias habere me grammatiſtis aduerſari. Sed dum rem ipſam vobis breuiter expono, precor audite.

Ciſalpinæ Galliæ compendioſa deſcriptio. *Cap. I.*

INter Padum, & Appenninum vſque ad Rubiconem quicquid terrarum iacet, Ciſpadana Gallia nominatur: & primi ſunt Ananes, poſt Boij, inde Eganes, mox Senones, deinde ad littus Adriaticum Geſatæ. Ananes ſunt, teſte Polybio, qui non longè habitant à Maſſilia. *Ananes.*

Boij. *Tannetum.* *Bonon.* *Eganes.* *Aſta.* *Alexādria.* Boiorum regio, & ipſa ampliſſima eſt, quorum metrocomia fuit Tannetum, nunc Bononia eſt. Eganes eſſe arbitror, qui nunc Tanarum, & Trebiam, Padumq; per Apenninum iacent. Inter Ananes Aſtam coloniam, & Alexandriam vrbes celeberrimas numerauerim.

Pollētia *Albapōpeia.* *Aquæ Statiellorum.* *Caſale.* *Bobium duplex.* Ad Aganes Pollentinos, Albampompeiam, Aquas Statiellorum, Derthonam, Caſale ſancti Euaſij, & Bobianam vrbem reijciam. Tunc Nicolaus Caſtillioneus, Amicus Plato eſt, inquit, amicus Socrates, magis tamen amica veritas: Inuenio ipſe Bobium eſſe in Cottijs inter Ananes Alpibus, non autem in Apennino inter Eganes. Et vitula vt dignus, & ego, inquit, Otho. Bobium enim de quo ipſe loqueris, non inficias eo eſſe in Cottijs Alpibus: alterum verò, de quo ipſe ſentio, medio ferè eſt inter Genuam & Placentiam itinere. Hæcq; res Alciatum miræ cum eruditionis, tum candoris virum in errorem tra-

Digitized by Google

traxit. Qui Georgium Merulam ſingularis ingenij virum ignorati loci infantia inurere conatus eſt: quod dixerit Alpes Coctias eas eſſe, in quibus eſt Bobium, cum Merula intellexerit Bobium in illis Alpibus, vbi eſt monaſterium (ni fallor) ſancti Columbani, quod à Theudolinda adiuuante Addoaldo Longobardorum rege conditum fertur. Iſtud verò quod in Apennino eſt Bobium, Vermianæ ditioni ſuppoſitum eſt. In ipſa via Aemilia erant Cuſtodia & Lellia municipia olim florentiſſima, quorum veſtigia hac ætate ne inſpiciuntur quidem. Viſu pulcherrima ſunt per hæc loca Appennini iuga, nunc ſe ſubtrahentis, nunc in cubitum ſe curuantis. Huic monti exordia dat Polybius ferè vſq; ſub Maſſilia. Alij initium faciunt ſub Vadis Sabbatijs, quæ Plinius portum fecit. Paludes autem cum plures per ea loca ſint, vada dicta eſſe exiſtimandum eſt à Sabatijs fortaſſe populis: Exiſtimant autem non malè plerique Sabaudiæ duces hinc dici, & regionem Sabaudiam quaſi Sabbatiam. Sunt qui contendant eam nunc vrbem eſſe, quæ Sauona dicitur: in qua Pertinax Imperator (vt refert Iulius Capitolinus) mercaturam per ſuos homines exercuit: non aliter quam priuatus ſolebat. Sunt per hæc loca oppida nobiliſſima, quorum ingrata eſſet enumeratio. In Apennino erat olim Libarna, quam inciſam Georgius Merula pluribus argumentis eſſe contendit. Alexandria olim, vt quibuſdam placet, vicus fuit, nomine Cæſarea, qui deinde actus à Mediolanienſibus, vt facilius Ticinenſibus & Rubrobarbo reſiſterent, Alexandria eſt appellata ab Alexandro Romanorum ea ætate Pontifice. Eam interfluit amnis Tanarus. In Alexandrino agro Quadringentum pagus eſt à Quadringenta, vt inquit idem Merula, Romanorum familia.

Cuſtodia. Lellia.

Vada Sabbatia.

Sabaudiæ duces unde.

Libarna.

Alexād. Cæſarea vicus.

Tanarus fl.

Quadrīgentū.

Decimo ab Alexandria lapide Auguſtabacienorum eſt in ripis Padi municipium & elegans, & vetuſtiſſimum, vtpote

Auguſtabacienorum.

Baſſigna na. pote quod & à Plinio celebretur: nunc Baſſignana dicitur ſub ditione comitis Hippolyti Mayni Florenti adoleſcentis *Forūful uij.* ingenio. Mox eſt Forumfuluij, quod etiam per tempora Plinij Valentinum dicebatur; nunc eſt Valentia: ſanè hoc *Valētia.* in loco precioſa vina generantur. *Derthona.* Derthona Romana colonia inter Inſubres & Ligures, quorum arma ſemper ferè coniuncta fuerunt, deducta; ne alteris alteri auxilio eſſent. Sublatis Rom. armis & Senatus poteſtate in Inſubrum amicitiam declinauit, quam cum Rubrobarbus, vt Ticinenſibus gratificaretur, vaſtaſſet, immiſſis nouis inquilinis Mediolanienſes repararunt anno à Virgineo partu MCLV. vt ſcribit Acerbus Muræna. In agro Derthonienſi tyrus reptilium ſæuiſſimus, vt vult Leonicenus, *Tyrus.* tantum oritur: ex cuius paſtillis fit tyriaca omnium ferè venenorum antidotus efficaciſſima. Quæ nec alibi (vt atteſtatur idem) præſtantior reperitur. Inter Aemiliam *Sale.* viam & Padum Sale, & Caſtrum nouum occurrunt Got-*Caſtrum nouum.* thorum (vt multi volunt) opera. In quibus illi ſtatiua habuere, ne vicatim diſperſi trucidarentur. Antiliæ vrbis *Antilia.* non procul à Saraualc ruinæ vix inſpiciuntur. In quam Tiberius Cæſar (vt Suetonius eſt autor) virum equeſtris ordinis, matriſq; familiarem, & cui ea moriens curam funeris demandauerat, miſere condemnauit. Sita autem erat Antilia ſecundum ripas fluuij, qui Iria à vetuſtioribus eſt dictus, nunc Scriuia nominatur. Interijt & in hoc tractu Iria, quam inter Cumillum & Derthonam ponit An-*Iria fl. Scriuia.* toninus Pius, cuius etiam meminit Ptolemæus. Non ab-*Iria opp.* ſurdum eſſet putare pro ea reparatum fuiſſe municipium, quod nunc Vicheriam vocant quaſi Vicem Iriæ preſtans. *Vicheria.* Mox eſt Claſtidium in agro Ticinenſi, horreum Annibalis cum ad Trebiam caſtrametaretur. In vicinia hac Vi-*Claſtidium.* rodomarum Gallorum regem M. Marcellus ſingulari prælio deuicit, Ioui Feretrio opima ſpolia in Capitolio dedicauit. *Bobium.* Nouiſſimè Bobium eſt Vermianorum, de quo fortaſſe plura quam oportuit, diximus.

Digitized by Google

De Boiis populis. Cap. II.

BOios ſcitis omnes Galliæ Ciſalpinæ populos eſſe intra Padum & Apenninum à Trebia flumine vſq; Bononiam, quæ Felſina ab antiquis eſt dicta, & ab Hetruſcis condita: cæterum bellis vaſtatam Boij Galli Tranſalpini, qui nunc Borbonij nominantur, reſtaurarunt, & ab eorum nomenclatura Bononiam, quaſi Boioniam dixere. Hanc Vrbem Rhenus alluit. Bononiam alteram reperies inter Celtas ad littus Oceani. Verum vt ad Boios regrediar, Priſcis (vt Strabonis interpratis vtar verbis) temporibus plurimæ Gallorum gentes fluuiũ incolebant, è quibus ampliſſimi fuerant Boij Inſubres, & qui olim cum Geſſatis Senones Romana per impetum vrbe ſunt potiti. Hos Romani poſterioribus annis funditus deletos perdiderunt, Boios verò è finibus eiecerunt. Inde migrantes circumiacentes Iſtro locos cum Tauriſcis habitarunt, bellum aſſiduè contra Dacas gerentes, donec ea gens funditus extincta eſt. Agrum verò qui ad Illyrium ſpectat, paſcendis ouibus idoneum vicinis reliquerunt. Inſubres hac etiam ætate ſunt, qui Mediolanum metropolim habuere: ea quidem pridem vicus erat, omnes enim vicatim habitabant, hac verò tempeſtate eximiæ dignitatis trans Padum ciuitas eſt, quodam modo Alpibus finitima. Hæc ille.

Felſina. *Bonóia.* *Renus.*

Verſus Inſubres eſt Placentia Ro. colonia: quam Aſconius Pedianus tradit ordine quinquageſimam & tertiam. Fuit autem deducta pridie Kal. Ianuarij primo anno Punici belli ſecundi, Cor. Scipione patre Africani prioris, & T. Sempronio Longo Coſſ. fuere autem miſſa Ro. generis hominum ſex millia, quæ Boijs opponerentur, & Inſubribus. Deduxerunt triumuiri P. Cornelius Aſina, P. Papyrius Maſo, Gn. Pompeius, & Gn. Cornelius Scipio. Hæc

Placentia.

colo-

colonia (vt vetera damna conticeam) poſt mortem Io. Galeacij Vicecomitis, cui virtutum cognomen fuit, ferè ab Inſubribus ſemper octies prædæ expoſita eſt. Coloniarum à te (inquit Bonauentura) ſæpius eſt facta mentio: quid autem colonia ſit, quos habere præceptores contingit, me non docuere. Duo, mi Bonauentura candidiſſime inquit Otho fuere coloniarum apud Ro. genera: quarum præſtantior erat, quæ Latina dicebatur. Itaq; cum cis Alpes Galli in fine Rom. vi cladium contineri minime poſſent, Gn. Pompeius Strabo M. Pompei pater, vt Gallos, præſertim qui ad Alpes iacent, clementia retineret, legem tulit ad populum, qua veteribus incolis Tranſpadanis Gallis ius Latinæ coloniæ dedit: quo poſſent in vrbe magiſtratus petere, comitia inter ſe declarare. Quod iure Latij donati ſint maiores noſtri, libro quinto his verbis Strabo declarat: Opinari verò cuipiam licet priſcos Italos felicitate florentes in communionem deuocaſſe finitimos: atque hunc in modum auctis deinde viribus in Ro. Imperium deueniſſe. Tandem verò atq; ex quo Romani in regni ſocietatem & in ciuitatem Italos vocauere: decretum eſt & Gallis Ciſalpinis, & Venetis idem honoris impertire, vniuerſos Italos Romanos vocare. Non longè à Placentia eſt Nura fluuius. In via Aemilia adhuc eſt Fidentiola vetuſtiſſimum oppidum & celebre Carbonis clade, vt his ferme verbis Liuius oſtendit: Sylla Carbonem exercitu ad Cluſium, ad Fauentiam, Fidentiolamque cæſo Italia expulit.

Nura fluu. *Fidentiola.*

Inter Fidentiolam & Tarum duo ſunt ignobiles fluuij Occa, & Conius. A'Taro Parmam itur, quæ, & ipſa vetus eſt Ro. colonia. Eam autem eiuſdem nominis fluuius interfluit. Quam truculenter vexata ſit ab Antonianis militibus, Cicero Philippica XIV, atteſtatur: Declarauit, inquit, in calamitate Parmenſium, quos optimos viros, honeſtiſſimoſq; homines maxima cum autoritate

Occa fl. *Conius.* *Parma.*

huius

hu'us ordinis R. Q. P. d'gnitate coniunctos crudeliſſimis pœnis interfecit. Et paulò infrà: Quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit, refugit animus dicere P. C. eaque reformidat. Qua enim in vrbe tam immanis Annibal capta, quàm in Parma ſubrepta Antonius? Abundabat aliàs Parmenſis tractus plurimum vellere, cuius meminit Martialis, cum inquit.

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Nobilitata eſt hæc vrbs præclaris ingenio viris Caſſio ſcilicet, qui ab epiſtolis fuit C. Caſſij, qui C. Cæſarem interfecit. Caſſio altero centurione, & Caſſio poeta. Falſo autem Macrobium qui Saturnalia ſcripſit, Parmenſes adſcribunt ſibi. Quando ipſemet in ſuorum librorum præfatione non Italum ſe, ſed peregrinum fateatur, cum ait: Se ſub alio ortum cœlo, quem Rom. ſermonis vena non adiuuet. Parma, & Mutina coloniæ COS. M. Marcello deductæ ſunt, adſcriptaq; ſingulis bina millia hominum in agrum, qui proximè Boiorum, antè Tuſcorum fuerat. Octona iugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt triumuiri M. Aemilius Lepidus, T. Ebutius Carus, & L. Quintius Criſpinus. In Parmenſi agro mons eſt Ceritus cum caſtro munitiſſimo. Montem Ceruchum vocant. Cui dominatur comes Paulus Taurellus cum natalium ſplendore, tum littetarum & morum elegantia celebratiſſimus. Guido huic Tritauus fuit rei bellicæ ſcientiſſimus. Hic enim Genuates Vicecomitum Imperio ſubegit. Tametſi partem laudis Franciſcus Carmaneola eripere conatus ſit. Conditiones enim pacis, & fœdera per Guidonem Taurellum incepta Carmaneola à Philippo Vicecomite miſſus perfecit. Verum repudiato rurſus Carmaneola Liguſticæ claſſi Taurellus ſecundo præficitur in Alphonſum. Qui triremibus præteruectus quanquàm aſpera & ferè intractabili hyeme Gaietanum ſinum inuaſit. Mox vrbes omnes & Neapolim ipſam, quæ Tyrrhe-

C. Caſſius.

Caſſius Centurio

Caſſius poeta.

Ceritus mons.

Paulus Taurellus.

Guido Taurellus.

Carmaneola.

no mari alluuntur, eiectis inde Hiſpanorum præſidijs occupauit, & Vicecomiti ſtipendiarias fecit. Carmancola poſtquam palatium illud, in quo Mediolani annona venalis exponitur, ferè perfeciſſet, à Vicecomite ad Venetos transfugit: & Venetijs tandem proditionis ſuſpectus capite mulctatur, vir bello & pace præſtantiſſimus. Inter Placentinũ, & Parmenſem agrum ſal à puteis hauritur, & in vſus quotidianos excoquitur, loco nomen eſt Salſulæ, hinc etiam ſtatis quibuſdam temporibus Naphta reperitur. Secundum Padum Guaſtalla eſt oppidum præcipuum cum caſtro munitiſſimo. Mox eſt Brixellum, quòd Autharis Longobardorum Rex ferè vaſtauit, mœnia à fundamentis diſiecta ſunt: quòd Dociruphum Longobardum cum manu ſatis valida recepiſſet. Qui inde fugiens Rauennam profectus eſt. Inter Brixellum, & viam Aemiliam Tanetum fuit olim Boiorum ciuitas metropolitana: nunc vicus ſatis contractus. Cuius præclara mentio certatim fit ab autoribus præſertim à T. Liuio libro ſuarum hiſtoriarum primo & vigeſimo: Ita (inquit) diuiſæ copiæ, Boijſq; in agrum ſuum Tannetum profectis. Hoc in loco Buccelinus præfectus copiarum Theudeberti regis vlteriorum Gallorum, qui auxilio Getis, ſiue Gotthis contra Inſubres acceſſerat, poſt vaſtatum Mediolanum à Narſete graui bello, & ſuperatus eſt, & extinctus. In Tannetano etiam agro Longobardorum equitum decem millia Totilam Gothorum regem cum vniuerſo exercitu trucidarunt. Transeo nunc ad Rhegium Lepidi, triumuiratus illius, quo omnis Italorum nobilitas penè ſublata eſt, monumentum luctuoſiſſimum non procul à Cruſtulo amne. Quæ loca qualia fuerint per tempora Annibalis, Strabonem audite: Magna, inquit, intra Padum pars paludibus obtinebatur per quas Annibal magnis difficultatibus iter fecit in Tuſciam. Ceterùm M. Scaurus deductis ex Pado vſque in Parmenſium agrum foſſis nauigationibus commodis, paludes

Salſulæ Naphta

Guaſtalla.

Autharis.

Tanetũ.

Paulus Diaconus.

Rhegium Lepidi.

Digitized by Google

ludes ipſas exſiccauit è campis. Per Placentina ſiquidem arua Trebia Padum influens, alijque item complures antè fluuij vltra modum plenius ſtagnant. Hæc Strabo. Secus Padum Hoſtilia eſt: cuius incolæ apibus olim maximè oblectabantur: & pabulo illis in vicinia deficiente nauibus imponebant aluearia, atque inde ſoluentes per Padum, qui (vt iam dixi) proximus illabitur, ad quina millia paſſuum noctibus contrario fluctu procedebant: aurora aduentante lintrem ſiſtebant, donec dies illuceret. Illæ viſa luce egrediebantur ad pabulum, paſtæque ad naues redibant. Eo tractu depaſto noctu ſemper locum mutabant, nec ad propria reuertebantur, niſi nauibus preſſis pondere mellis plena aluearia intelligebant: & hac ratione domum reuectis, mella eximebantur, & copioſa, & optima. *Hoſtilia*

De Geſſatis populis. Cap. III.

QVi nunc Romanioli dicuntur, fuere olim Geſſatæ: quorum origo defluxit à Tranſalpinis, habitabantque non procul (vt Polybius atteſtatur) à Rhodano: qui cum Belouesſo in hanc Citeriorem Galliam irruperunt, & expulſis Tuſcis, quicquid telluris inter Adriaticum littus, & Rhenum Bononienſem iacet, occuparunt. His peculiare fuerat ſuo periculo bella conficienda ſuſcipere: & vt nudi in certamen prodirent. Idcirco Geſſatæ dicti: quæ vox fortem ſignificabat. Geſſatarum meminerunt Strabo, & Polybius. Vrbium Geſſatarum nulla habetur mentio: verum quæ nunc ſunt, ferè à Romanis, & alijs Italiæ populis conditæ ſunt. Ferraria enim, vt ſcitis, à Smaragdo Italiæ Exarcho poſt translatum in Thraciam Ro. Imperium ædificata eſt: quæ nunc Eſtenſium ducum & ingenio, & opibus adeò exculta eſt, vt inter vrbes Italiæ primarias nunc haberi poſſit. Non pro- *Romanioli.* *Ferraria.* *Forum Gallorū.*

Digitized by Google

cui à Bononia Forumgallorum fuerat, & fortaſſe inter Boios: vt colligere potui ex verbis Appiani Alexandrini: Manſit, inquit, itaque iuxta campum in villa quadam nullo circunſepta vallo, quæ Celtarum forum nuncupatur. Huius etiam vici meminit Sergius Galba, cum inquit Antonius ad forum Gallorum ſuas copias continebat. Vbi nunc hic vicus ſit, alibi dicetur. Non procul ab hoc pago M. Antonius Panſam Cos. ſuis abditis per ſylueſtria viæ Aemiliæ fudit, quo in prælio Cos. vulnere affectus *Rauēna.* intra paucos dies naturæ conceſſit. Verſus Adriam Rauenna eſt vrbs à Theſſalis condita: que diu Gotthis, & Longobardis obſtitit, circa Rauennam Hiſpani à Gallis deuicti ſunt, & Gallorum vires adeò protritæ, vt à paucis diebus vltra Alpes amiſſis ducibus ſe receperint. Plinius Sabinorum oppidum Rauennam vocat. Vmbrorum alij eſſe coloniam volunt: quòd Theſſali Tuſcorum iniurijs contra ius gentium ſæpius laceſſiti introductis Vmbris illorum *Ariminum.* hoſtibus diſceſſere. Ariminum colonia Ciſalpinam ab Italia Galliam ſeparat: idcirco ambarum terminus: non ſum tamen neſcius Galliam ad Anchonam vſq; à Pompo- *Ceſenna.* nio Mela produci. Ceſenna & ipſa vrbs antiqua vino optimo nobilis. In hoc tractu eſſe ait Strabo vaſa vinaria *Sarſina.* adeo magna, vt domos altitudine videantur æquare. Sarſina vel ſolo Plauto, cui palma inter Comicos daretur, niſi Cæcilius Mediolanienſis eam arripuiſſet celeberrima eſt. *Forum Cornelij Imola. Fauētia Forum Liuij. Gallus poeta. Adria. Epiterium.* Forum Cornelij nunc Imola dicitur. Hanc recto ordine ſequitur Fauentia, quam Totilas à fundamentis euertit. Forum Liuij Gallo poeta Virgilij amiciſſimo nobilitata eſt. Hinc non longè fuit Adria: de qua hæc Strabo: Adriam quidem inclytam ciuitatem fuiſſe memoriæ proditum eſt, à cuius nomine modica tranſpoſitione ſumpta, & ſinus appellatus eſt Adriaticus. Tametſi nomen hoc ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, hoc eſt, à viro, Theopompus deſcendere teſtetur. Adriam verò vicino fluuio dictam putat. Iuxta Adriam ponit

Epiter-

Epiterpum, Ordiam, & Vcetiam, quæ omnes bellis protritæ interiere. Butrium Rhauennatum Caſtellum fuit. Altinum inter paludes eſt. Spina tempore Strabonis vicus etiam erat: at quondam Græca ciuitas, & quidem celebris in Delphis Spinenſium theſaurus commonſtratur: aliaque de ipſis memoriæ mandata ſunt, nempe apud quos maris erat imperium. Eam [vt traditur] vnda maris alluerat, nunc locus LIX. à mari ſtadijs diſtans in mediterraneo iacet. Quæ interierint gentes per Geſſarum & Boiorum tractum, conijcere facilè poſſumus ex Plinio, qui has gentes per hæc loca recenſet, quæ hoc tempore deletæ ſunt, vt Forodoclienſes, Liuienſes, Pompilij, Truentinoni, qui cognominantur Aquinates, Tannetani: Veliates, & ipſi Boij, præter Bononiam. Quorum tribus CXII. fuiſſe autor eſt Cato. Plutarchus in vita Claudij Marcelli in hac citeriore Gallia Hiberos et ponit. Eius hæc ſunt verba: Hiberi gens Gallica eſt, qui vicinam Alpibus paſcuntur Italiam, qui quamquam potentes eſſent, & fortes per ſe, Gallorum tamen aliorum auxilium, vireſque implorabant, quos militiam agentes mercede Geſſatas appellabant.

Ordia. Vcetia. Butrium. Altinum. Spina. Hiberi.

De Senonibus. Cap. IV.

SEnones & ipſi ſub ſignis Belloueſſi Alpes tranſeuntes extremum Ciſalpinæ angulum, qui Tuſcis eſt proximus, occuparunt: Diùque in Italia ſub regibus fuere, è quibus Brennus fuit: cuius auſpicijs Ciſalpina Gallia Romam, præter Capitolium, incendijs conſumpſit. Horum agrum, qui ab Ancona principium habet, primò Siculi, & Liburni tenuere: in primis Palmenſem, Prætutianum, Adrianum. Vmbri eos expulere. Hos Hetruria, hanc Galli. Senonum in Citeriori Gallia metrocomia fuit Senogallia, quaſi Senones Galli. Hac ætate verbecula eſt.

Fines Senonum ſunt ab Vſente flumine vſque ad Atheſim. Brennus. Senogallia.

Non

Metaurus fl. Non procul hinc eſt Metaurus fluuius: Deinde eſt Piſaurum cum amne. Fanum Fortunæ colonia: nunc Marchia Anchonitana, olim Picenum. Hæc ſunt eruditiſſimi viri ſimul & humaniſſimi, quæ vt vobis obſequerer, de Ciſpadana Gallia ab autoribus excerpſi.

Fanum Fortunæ. Marchia Anchonitana. Picenum

De Alpibus. Cap. V.

HÆc cum dixiſſet Otho, decurſo velut ſui laboris ſpatio ſubticuit. Tunc Bonauentura, Quoniam, inquit, eſtis in regno meo, videor mihi pro facilitate veſtra poſſe me tyrannidem exercere. Id cum ſilentio omnes affirmaſſent, Puellam huc formoſiſſimam, inquit, Caſtillionæus, ſine veſtibus adduxiſtis: Cum itaque ipſe myſta ſim, nolo ipſam intueri, ni ab aliquo veſtrum veſtiatur prius. Quamobrem pro mea, quæ in te ſemper fuit ſingularis obſeruantia, cum propter neceſſitudinem ſanguinis, tum propter eruditionis candorem obſecro te Nicolae Caſtillionæe, vt Alpium, quibus hæc noſtra Gallia indui videtur, nomenclaturam nobis abſoluas. Locorum, inquit Caſtillionæus, precibus non relinquam tuis, qui mihi es chariſſimis charior: verum, vt breuitatis imitator ſim tuæ, rem ipſam aggredior. Alpes quarum pro diſiunctione locorum diuerſa ſunt nomina apud Latinos, Græci ſola appellatione Cimenios montes vocant. Ab eodem autem loco & Alpes & Apenninus initium capiunt. Strabo ad Genuam Liguriæ metropolim, & Occidentis emporium frequentiſſimum, Alpium & Apennini exordium reijcit. D. autem Brutus ad Vada Sabbatia, & hallucinari ne videar vobis eius verba ſubiungam: Ille enim it paſſim, ego ordinatim, quacunque iuit ergaſtula ſoluit, homines arripuit, conſtitit nuſquam priuſquam ad vada venit. Quem locum volo tibi eſſe notum. Iacet inter Apenninum & Alpes impeditiſſimus ad iter faciendum.

Cimenij montes.

Digitized by Google

dum. Videtis ergo harum regionum loca à Latinis, quàm à Græcis diligentius excuti. Ipſum autem Apenninum à boum vel copia, vel præſtantia dictum crediderim. Apis enim Aegyptiorum lingua (vt vult Solinus) bouem ſignificat. Titus autem Liuius ab Hercule, quem in ſummo montis vertice cultum maiores noſtri Penninum vocabant, nominatum putat. Explodenda eſt eorum opinio, qui à Pœnorum tranſitu, tanquam hic mons ante Annibalis aduentum in Italiam nomine caruerit, hæc iuga dicta arbitrantur. Sed id grammatici viderint, quibus mos eſt contendere de lana, (quod aiunt) ſæpe caprina. Dionyſius Afer hunc montem ſic deſcribit.

Apenninus vnde dictus

Μέσση δ' ἀμφοτέρων παραπέπταται αὐσονὶς αἶα
Γυλοτελης τὴν μέν τε μέσιν ὄρος ἄνδιχα τέμνει
Ορθὸν ἅτ' ἐκστάθμης ἰδυμμενόν. οὐκ ἄν ἐκεῖνο
Ιδρις μωμήσαιτο σοφῆς ὑποεργὰς ἀθήνης
Ον ῥ' ἀπεννῖνον κικλήσκουσ. ideſt.

Hunc verò ſequitur Auſonia ora, quam mons quidem elatus admodum, & extenſus vt ſtatera per medium ſecans, atque illum ab omni latere circumſepiens miro quodam ornamento, & inſuperabili propè munimine vallauit. Nullus vnquam architectus videns negare poterit, quin fuerit Mineruæ opus. Illum incolæ Appenninum vocant. Hæc de Apennino dicta ſint: ad Alpes, quibus à Gallia, Germaniaq; & Pannonia diuidimur, accedo. Verum quoniam omnis mea de Alpibus futura eſt oratio, placet antè deffinire, vnde Alpes dicantur: omnis enim (vt inquit Cicero) quæ à ratione ſuſcipitur de aliaqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt facilius intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur. Hi igitur, quos in vicinia videtis montes, Alpes nominantur, quòd maiores noſtri (vt Seruius atteſtatur in quarto Aeneidos) montes altos Alpes voca-

Digitized by Google

Alpes unde dictæ.

vocarent. Quæ appellatio hac etiam tempeſtate Apennino, quà per Calphurnianum ſaltum in Tuſchiam tranſitur, indita eſt. Cœlius Chalcagninus Alpes dictas putat à perpetuo niuium candore: Ἄλφος enim maculam albam in corpore ſignificat. Feſtus Vitiliginem vertit, & alio nomine λεύκη dicitur, tametſi λεύκη profundius deſcendat ἄλφος autem tantùm ſuperficiem immutat. Cæterum (vt me ad prima recipiam) Alpes vel à vicinia vt maritimæ, vel à regibus vt Cottiæ, vel ab altitudine vt ſummæ, vel à populis vt Rheticæ, & Leopontiæ nomina ſunt ſortitæ.

De maritimis Alpibus. Cap. VI.

Albiganum. Merula. Centa fl. Albion Intemelium.

ERunt igitur maritimæ Alpes, quæ à vadis Sabbatijs ad Monæci portum, & hinc & ad Vari fluminis oſtia longis amphractibus, & lunatis cornibus extenduntur Inter Genuam & Vada CC. & LX. ſtadia interſunt. Inde ad CCC. & LXX. ſtadia Albigaunum eſt oppidum: quòd Merula flumine abluitur: hac autem tempeſtate Centa, quòd centum riuis augeſcat nominatur. Hinc ad Monæci portum ſtadia CCCC. & LXXX. In quorum medio Albion eſt Intemelium hiſtoricorum monumentis celebratiſſimum, cum quòd per tempora Ciceronis Intemelij Bellienum Demetrij Vernam in vincula coniecere, quòd Domitium quendam virum adprimè nobilem, & C. Cæſaris hoſpitem à contraria factione nummis acceptis ſtrangulauerat, vt autor eſt Cœlius: tum quòd fortunas huius oppidi Othoniana claſſis per mare Liguſticum excurrens prædæ expoſuit: cumq; torqueretur mulier à militibus, vt quem ipſa inter latebras abdiderat, filium proderet, vterum tortoribus oſtendens, In hoc, inquit, latuit. Itaque mors parentis filio vitam tulit. Ab huius oppidi nomenclatura nonnulli arguunt: quòd à Sabbatijs Alpes initium capiant

Alpia

Digitized by Google

Alp. enim prioribus ſeculis dicebatur Albia Intemelia, ſicut & Alpionia. Nanq; hoc tempore (verbis vtor interpretis Strabonis) in Iapodes, mons excelſus horum vltima attingens, & Alpes ipſas Albium nominant, perinde ac eò vſque extendantur Alpes. Monœci aũt portus nec magnarum, nec multarum nauium capax eſt. Hìc olim venerabatur Hercules, & ab eo nomen oppido inditum eſt. Hinc recto itinere ibatur ad Auguſti trophæa: quam nunc Villam Francam vocant. Mox eſt Sallyum Nicæa. Ab hac vrbe breuis eſt tranſitus ad Viſionem, & hinc Anaonem, mox Antipolim, deinde ad Forum Iulij octauianorum coloniam Paulino Suetonio, & Iulio Agricola celebratiſſimam. A Foro rurſus Iulij nauigatur per Sambracitanum ſinum Cithariſtam, Imatras, & Maſſiliam Huc vſque Liguria protenditur, ſi Trogo & Euſtathio id ſcribentibus credimus. Inter Maſſiliam & Antipolim Sallyes Alpes tenent. Alciatus tam de re litteraria, quàm quis alius vnquàm benemeritus, putat Alpes maritimas etiam Graias dici, quòd per eas Hercule duce Græci tranſierint. Ego (pace tñ tanti viri dixerim) Alpes Graias eſſe putauerim, quæ à Seguſio in Auguſtam prætoriam protenduntur, autore Plinio, qui ait eam vrbem in faucibus Graiarum, Penninarumq; Alpium ſitam eſſe: per quas petimus Geneuam in ripis Lemani lacus, vnde Alemani dicti ſunt.

Alpionia. Monœci portus Auguſti trophæa Villa Franca. Nicæa. Viſio. Anaon. Antipolis. Forum Iulij. Sambracitanus ſinus. Cithariſta. Imatras Maſſilia.

De Coctijs Alpibus. Cap. VII.

INter Graias, & maritimas Cottiæ ſunt Alpes, in quarum exitu verſus Italiam Seguſium eſt. Eas Am. Marcellinus ita deſcribit: Hanc Galliarum plagam ob ſuggeſtus montium arduos, & horrore niuali ſemper obductos orbis reſidui incolis ante hac penè ignotam, niſi quà littoribus eſt vicina munimina claudunt, vndique natura, velut

arte circundata, & à latere quidem Auſtrali Tyrrheno alluitur, & Gallico mari: quæ cœleſte ſuſcipit plauſtrum: à feris gentibus fluentis diſtinguitur Rheni: vbi Occidentali ſubiecta eſt ſyderi Oceano, altitudine Pyrenæi ſurgit. Vnde ad Solis ortus attollitur aggeribus Coctiarum Alpium, quas Rex Coctius perdomitis Gallijs ſolus in anguſtijs latens, inuiaq; locorum aſperitate confiſus lenito tandem timore in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias, & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetuſtas, ſuper quibus comperta paulò poſtea referemus. In ijs Alpibus coctijs, quarum à Seguſio oppido initium eſt, præcelſum erigitur iugum, nulli ferè ſine diſcrimine penè tractabile. Eſt enim à Gallijs venientibus prona humilitate deflexum pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile, præſertim verno * tempore, cum linquente gelu, niuibuſque ſolutis flatu calidiore ventorum per diruptas vtrinque anguſtias, & lacunas pruinarum congerie latebroſas, deſcendentes cunctantibus plantis homines, & iumenta procidunt, & carpenta. Idq; remedium ad arcendum exitum repertum ſolum, quod pleraque vehicula vaſtis funibus colligata pænè cohibente virorum, vel boum niſu valido vix greſſu repentè paulò tutius deuoluuntur. Hyeme verò humus cruſtata frigoribus, & tanquam leuigata: ideoq; labilis ingreſſum præcipitantem impellit, & patulæ valles per ſpatia plana glacie perfidæ vorant nonnunquam tranſeuntes: ob quæ callidi eminentes ligneos ſtylos per cautiora loca defigunt, vt eorum ſeries viatorem ducat innoxium: qui ſi niuibus operti latuerint, montanis defluentibus riuis euerſi graues agreſtibus præuijs difficile peruaduntur. Hæc Ammianus. Ex quibus verbis explodenda eſt nonnullorum, præſertim Baptiſtæ Egnatij, opinio, qui arbitrati ſunt, Alpes Coctias eas eſſe, in quibus Genua Ligurum nunc metropolis continetur.

* *Alias, tempore.*

De

De Saltu Iuliæ Alpis. Cap. VIII.

SAltus Alpis Iuliæ non Italiam deſcendit, ſed à Coctijs Alpibus excipitur. Incipit autem à Tricaſtinis & in Tricorios deſcendens viatorem ſiſtit in Coctijs. Per hunc ſaltum ſcribit Titus Liuius in Citeriorem Galliam Belloueſſum ſe recepiſſe: fugaſſeq; Tuſcos acie victos ad Ticinum amnem. Hicque nodus cauſa fuit multis erroris, putantibus Iuliæ Alpis Saltum & Iulias Alpes eandem eſſe per Alpes viam. Quis enim eſt, qui non ſciat Tricaſtinorum Auguſtam inter Narbonienſis Galliæ vrbes à Plinio numerari inter Albam Heluorum & Anatiliam non procul ab Aptaiulia?

De Graijs Alpibus, quæ & Gratæ dicuntur ab aliquibus. Cap. IX.

GRaiæ Alpes à Coctijs initium capiunt, & extenduntur vſque ad Auguſtam prætoriam. Paulus Iouius vir cum miri candoris, tum eruditionis has Penninas eſſe contendit. Cuius autoritati non audeo refragari, quando ferè conſtet ex lectione Ptolemæi, Caturiges eſſe in Graijs Alpibus. Verum ex lectione Titi Liuij ſecus apparet, vt mox dicemus. Ex itinerario Antonini Pij habemus Tarantaſiam & Octodurum eſſe in Graijs, Penniniſq; Alpibus cuius incolas alij Ceutrones, Centrones alij nominant: quos Strabo poſt Salaſſos collocat his verbis: Poſt Salaſſos ſunt Ceutrones, & Caturiges, & Veragi, & Nantuatæ. Octodurus pagus nunc eſt Sancti Mauricij non procul à Rhodano, vbi is ſe in Lemanum lacum exonerat.

Tarantaſia. Octodurum. Centrones.

De Penninis Alpibus. Cap. X.

TItum Liuium ſi ſequimur, facilis erit coniectura Penninas Alpes exordium ſumere, & finiri ad Seſitem fluuium: cuius hæc ſunt verba: Id cum inter omnes conſtet: eo magis miror ambigi, quà nam Alpes tranſierit: & vulgò credere Pennino, atq; inde nomen & iugo Alpium inditum, tranſgreſſum. Cœlius per Cremonis iugum dicit tranſiſſe. Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per ſaltus montanos ad Libuos Gallos deduxiſſent. Nec veriſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera, vtiq; cum quæ ad Penninum ferant, obſepta gentibus ſemigermanis fuiſſent. Hæc illæ. Si ergo Pennina iuga ſepta ſunt ſemigermanis gentibus, quæ Heluetij ſunt, quis dubitat Penninas crepidines initium capere ab Auguſta prætoria? fallique Iouium virum alioqui doctiſſimum? Omnes ferè tamen autores aiunt Annibalem in Italiam penetrauiſſe per Penninas Alpes. Vt Seruius in illo Virgilij carmine, Alpes immittet apertas. Quas patefecit non ſibi tantùm, ſed omnibus gentibus: quæ ſecundum Catonem & Liuium muri vice tuebantur Italiam. Eaſq; Annibal poſt bella Hiſpaniæ, quæ decem & ſeptem annis confecit, aceto rupit. Iuuenalis, Qui montem rupit aceto. Deniq; loca ipſa, quæ rupit, Penninæ Alpes vocantur. Quàm liquido hanc controuerſiam Seruius tollat, nemo eſt ex vobis, qui non agnoſcat. Cuius opinioni calculum adiecit Am. Marcellinus: Quæ Annibal, inquit, doctus à perfugis, vt erat expeditæ mentis, & callidæ [loquitur enim de Penninis Alpibus] Taurinis ducentibus accolis per Tricaſtinos, & oram Vocontiorum extremam ad ſaltus Tricorios venit, indeque exorſus aliud iter antehac inſuperabile fecit: exciſaque rupe in immenſum elata, quanquàm cremando vi magna flammarum,

aceto-

Digitized by Google

acetoque infuſo, quæ in ſolidis ſoluit per Druentiam flumen gurgitibus vagis in totum regiones occupauit Hetruſcas. Cur autem Penninæ Alpes dicantur, diuerſa eſt opinio. Alij ſiquidem à tranſitu Pœnorum dictas putant. Plures ab vno, vel acri incola iugi eius, norunt nomen inditum. Plurimi verò ab eo, quem in ſummo ſacratum vertice Herculem Penninum montani appellant. Quorum opinionem Petronius Arbiter his verſibus affirmat.

Exuit omneis
Quippe moras Cæſar, vindictaq; actus amore
Gallica proiecit, Ciuilia ſuſtulit arma.
Alpibus aerijs: vbi Graio nomine pulſæ
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri.
Eſt locus Herculeis ſacer aris, hunc niue dura
Claudit hyems, canoq; ad ſydera vertice ſurgit.
Cælum illinc cecidiſſe putes, non ſolis aduſti
Manſueſcunt radij: non verni temporis aura.
Sed glacie concreta rigens, hyemiſq; pruinis
Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.

Per has Alpes tranſiſſe C. Cæſarem idem refert Arbiter: & quanta difficultate is per Pennina loca euaſerit, his verſibus expreſſit:

Sed poſtquam turmæ nymbos fregere ligatos,
Et pauidus quadrupes vndarum vincula rupit,
Incaluere niues: mox flumina montibus altis
Vndabant modo nata: ſed hæc quoq; miſſa putares:
Stabant, & iuncta fluctus ſtupuere pruina,
Et paulò antè lues iam concidenda iacebat.
Tum vero maleſida prius veſtigia luſit,
Decepitq; pedes: paſſim turmæq; viriq;
Armaq; congeſta ſtrue deplorata iacebant.

Ecce

Digitized by Google

Ecce etiam rigido concuſſæ flamine nubes
Exonerabantur: nec rupti turbine venti
Deerant: ac tumida confractum grandine cælum.
Ipſæ iam nubes ruptæ ſuper arma cadebant.
Et concreta gelu ponti velut vnda ruebat.
Victa erat ingenti tellus niue: victaq; cæli
Sydera: victa ſuis hærentia flumina ripis:
Nondum Cæſar erat: ſed magnam nixus in haſtam
Horrida ſecuris frangebat greſſibus arua.

De ſummis Alpibus. Cap. XI.

MEminit ſummarum Alpium Raymundus Marlianus: ſed quæ ſint, non ſatis aperte declarat: ait tamen has aperire voluiſſe C. Cæſarem, vt commodiore itinere à Citeriore Gallia in Veragros eſſet tranſitus. Hac igitur coniectura ducti alij eas eſſe arbitrantur, quibus eſt initium à Seſite, & finis ad Verbanum. Inque ijs eſſe aiunt Varalle Alpinarum gentium celebris præfecturæ municipium, & Ocellum, quæ nunc Ocellana domus appellatur. Ambo in Nouarienſi agro ſita. Iuxta Ocellum amnis Athiſo dilabitur, exoneratque ſe in lacum Verbanum. Non ſilentio inuoluendus eſt & Titi Liuij, & L. Flori error: qui decepti ſimilitudine nominis & Athiſonis, & Atheſis, Cimbros à Romanis in agro Veronenſi deuictos fuiſſe, ſcripſere. Et ſi quis ex vobis hoc mihi credit minus, pedem referat (vt interim taceam Caſtra Mariana pagum in agro Nouarienſi, & Diaria Euſebij Cæſarienſis) ad monumenta Plutarchi: qui ait Cimbros à Leopontijs, & Rhetis vlterius euagari prohibitos, per Alpes deſcendiſſe, in quibus eſt Athiſo. Qua prætere a ratione Sicciani populi, quorum metrocomia eſt Varalle, inter Alpes Theutonum regulos interceptos ad C. Marium vinctos adduxiſſent, ſi hæc apud Atheſim geſta extitiſſent? ſed

Varalle. *Ocellum* *Athiſo flu.*

Digitized by Google

ſed redeo ad Alpes rurſus quamuis defeſſus veſtram tamen in gratiam, vt intelligatis apud me eſſe antiquius nihil, quàm amicorum deſiderio pro viribus obſequi. In eiuſdem Alpibus eſt Maſtaleo fluuius, qui in Seſitem penes Varalle præcipitatur. Non procul hinc eſt Bormanicum oppidum, à Gallis (vt non abſurdum eſt credere) Narbonenſibus conditum: quandò apud Plinium legatur Bormanicum in ea Gallia, non procul à Caballione inter Aream, & Macinam. *Maſtaleo flu.* *Bormanicum.*

De Leopontijs Alpibus. Cap. XII.

HAs recto tramite Orientem verſus Leopontiorum Alpes ſequuntur: quas ex ſententia doctiſſimi Alciati eas eſſe deffiniemus, vbi ſunt Suitenſes: quibus ex Bilitionis caſtro in ripis Ticini antequam Verbanum ingrediatur, Claronam rectè tendimus. Bilitio hac tempeſtate Belinzona dicitur: quæ aliàs Inſubrum parebat Imperio: verum Sforciacorum ignauia ducum cum pluribus alijs caſtris in ius Heluetiorum redijt. Leopontijs Græcam eſſe originem Plinius fatetur. *Bilitio.*

De Rheticis Alpibus. Cap. XIII.

LEopontiarum Alpium finis Rheticus eſt initium: fuere autem Rheti ex his Tuſcis vetuſtioribus, qui Galliam Citeriorem ante Romanorum arma incolebant, & poſtmodum pulſi à Bellouеſſo Celtarum rege in præruptas Alpium crepidines ſe recepere. Rhetorum metropolis eſt Curia. Celebrantur vina Rhetica a Virgilio, cum inquit: Et quo te carmine dicam Rhetica? Rheticis enim præcipuus honor fuerat, vt Plinius ſcribit, ante Tiberium Cæſarem, qui ob nimiam vini ingurgitationem dictus eſt Biberius Mero. Rheti hac tempeſtate Griſones appellantur *Rethi.* *Curia.* *Biberius Mero.* *Griſones.*

&

& quanquàm fuerint duce Rheto, à quo & nomen acce-pere. Tuſcorum coloni in linguam tamen, & mores Hel-uetiorum tranſierunt. In exordio Rheticarum Alpium Vallis eſt Volturena Catonis commendatione celebratiſ-ſima. Per eam in Larium ſe fluuius Addua exonerat. Quanta ſit harum Alpium altitudo, mira ingenij vberta-te Claudianus his verſibus expreſſit:

Vallis Voltu-rena.

Sed latus Heſperiæ, qua Rhetia iungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra iugis, panditq; tremendam
Vix æſtate viam: multi ceu Gorgone viſa
Obriguere gelu, multos hauſere profundæ
Vaſta mole niues: cumq; ipſis ſæpe iuuencis
Naufraga candenti merguntur ſæpe Baratro.

De Tridentinis, Iulijs, & Carnicis Alpibus. Cap. XIV.

TRidentinas Alpes recenſet Plinius in libris Natura-lis hiſtoriæ, quas eſſe conſtat, vbi eſt Tridentum In Tridentino tractu vrbem condidit Anaſtaſius Conſtan-tinopolitanus Imperator. Huius rei teſtem habeo ipſius Anaſtasij edictum ad circumuicinos Tridentinæ regionis in hanc ſententiam ſcriptum. NECESSITAS PVBLICA multorum debet deuotione compleri. Quia non decet paucos ſuſcipere, quod conſtat plurimis expedire, ne re-gia iuſſa tepefata lenteſcant, dum res vtilis delegatur in-firmis. In Tridentina ergo regione ciuitatem conſtrui no-ſtra præcipit autoritas: ſed quia territorij paruitas magni-tudinem operis non poteſt ſuſtinere: hoc ſolicitudo no-ſtra proſpexit, vt acceptis mercedibus competentibus po-daturam murorum omnes in commune ſubuehatis, qui vicinitate iungimini, vt accomodato ſolatio ſecurius com-pleatur, quod paucis inexplicabile fore cognoſcitur. Hac ſcilicet

Triden-tum.

Digitized by Google

ſcilicet conditione definita, vt nullus ab his oneribus excuſetur, vnde nec omnia domus excipit. Hæc ille. Verùm; quæ fuerit hæc vrbs, quam condi mandauerit in Tridentina regione, adhuc ignoro. Tranſeo igitur ad Iulias Alpes, quibus ex Forolulij tranſitur in Noricum. Eas ijs verbis Am. Marcellinus deſcribit: Poſtea res Latio patefactæ ſunt carentes aditibus: quæ aliquoties dant magnorum Ducum repellere conatus, & pars quæ Illyricum ſpectat mollius edita, velut incauta ſubinde ſuperatur. Latus verò è regione oppoſitum Thracijs prona humilitate diruptum, hincq; & inde fragoſis tramitibus impeditum difficile ſcanditur, & nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum vtrobiq; ſpatioſa camporum planicies iacet ſuperior, aduſq; Iulias Alpes extenta ita reſupina, & panda, vt nullis habitetur obſtaculis, aduſq; fretum, & Propontidem. Alpium extremæ ſunt Carnicæ, vnde Iulius Carnicus. Quanto Rom. ſanguine hæc loca per tempora Diui Hieronymi aſperſa ſint ipſe declarat ijs verbis: Horret animus temporum noſtrorum ruinas perſequi. Viginti & eo amplius anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim, & Alpes Iulias quotidie Romanus ſanguis effunditur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achaiam, Epyros, Dalmatiam, cunctaſq; Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vuandali, Marcomani vaſtant, trahunt, & rapiunt. Miror non adieciſſe illum Ciſalpinam Galliam, quam à Marcomanis vaſtatam fuiſſe, præſertim Inſubrum agrum circa Mediolanum, refert Flauius Vopiſcus, qui poſtmodum Aureliano imperante tanta Clade Romanos ad Placentiam affecere, vt penè Romanum ſolueretur Imperium. Gignunt Alpes plures feras. Polybius autor eſt belluam in eis gigni, quæ habitu quidem eſt ad cerui ſtaturam collo dumtaxat excepto, & villis, quibus capro perquam ſimilis eſt: geritque ſub mento carnis globum ad

Alpes Iuliæ.

Alpes Carnicæ

Digitized by Google

Lepores candidi. palmi magnitudinem capilloſum huic caudam equini pulli eſſe tradit Polybius. Habent & Alpes lepores candidos, quos hybernis menſibus pro cibatu niuem credunt eſſe: certè liqueſcente ea rutileſcunt annis omnibus. Item boues & equos agreſtes. Naſcitur quinetiam in Alpibus ſaliunca, *Saliunca herba.* herba verius, quàm flos. Pannonia gignit hanc quoq; & Noricus, Alpinarumq; aprica vrbium Hipporhedia tantæ ſoliditatis, vt metallum eſſe cœperit, veſtibus eam interponi gratiſſimum eſt.

De nonnullis fluminibus, & lacubus Ciſalpinæ Galliæ. Cap. XV.

Duriæ flu. duo. Clauiſiũ. Morgus. Orchus. Sturia. Seſites. Siccia. Aconia. Terduplus flu. Ticinus. Maior lacus. Verbanus lac.

E' Montibus, quos Salaſſi colunt, duæ defluunt Duriæ inter Auguſtam Taurinorum & Clauaſium Morgus eſt, qui nunc Orchus appellatur, & fluuius alter, quem Sturiam nominant. Inde eſt Seſites, quem Sicciam etiam vocant, vnde Sicciani populi. Mox eſt Aconia inter Nouariam, & Seſitem. Et inter hanc & Ticinum Terduplus. Ticinum Verbanus emittit: cui ob latitudinem Maioris cognomen eſt inditum. Forma ipſius lacus cocleæ ſimilima eſt lunatis quibuſdam cornibus biceps, alibi trigona: habet longitudinis ſtad. CCCLXIIII. latitudinis verò XXXII. Quibuſdam in locis ita arctatur, vt vix mille paſſus excedat: alijs tria, aut bina paſſuum mil. Natura interdum ita placidus eſt, vt etiam nautarum negligentiam ſuſtineat: ſæpenumero ita contractæ frontis eſt, & æſtuantis, vt eorundem peritam audaciam deterreat. Scopulos habet non Ceraunijs, non Scyllaceis, aut Cianeis inferiores, qui ventis & vndis adeò oblatrant, vt Virgilianum illud per eas partes tranſeuntibus occurrat.

Et

Digitized by Google

Et gemitum ingentem pelagi, pulſataq. ſaxa
Audimus longè, fractaſq. ad littora voces:
Exultanq. vada, atque æſtu miſcentur arenæ.

Huic lacui Ticinus ex Leopontinis Alpibus deriuans immiſcetur: tantoq; impetu per Verbanum fertur, vt multo ſpatio ſupernatet. Regio circumadiacens adeò felix eſt, vt verna temperie, & herbarum luxuria facilè cæteris antecellat: & ideo non deſunt, qui Verbanum à verna temperie dictum putent. Huic exordium eſt ad Magadinum vicum: mox paulatim arctatur, inde erumpens vt Propontis expatiatur: iterum premitur, & denuo panditur, vt mare Euxinum. Tandem ad Sextas kalendas (vici nomen eſt, quem Sextium vocant) clauditur: atq; illinc Ticinus erumpit. Cæterum vndique frequentiſſimis municipijs, & portubus ornatur. Siquidem in ea parte, quæ Inſubribus eſt oppoſita, ſunt Locarnum, Aſcona & Inſulæ cuniculares duæ à copia eorum animalium in illis ſtabulantium dictæ: mox eſt Briſagum, deinde Canobium coriaceæ mercis emporium. Non procul hinc in profundo lacu ruinæ, & diſiecta fundamenta Caſtri Malpagi à præternauigantibus conſpiciuntur: quod olim (vt ſcribit Machanæus in coſmographia Verbani lacus) à quibuſdam pyratis, quos Mazarditas vocabant, ad iniuriam & populationem Verbanicolarum, conditum feliciſſimo circumadiacentium populorum euentu Mediolanienſes ſubuerterunt, pyratis ad vnum ſaxo ad collum appenſo ſubmerſis. E'regione Malpagi veſtigiorum Iſellæ ſunt peninſulæ duæ vulgatiſſimum piſcatorum diuerſorium. Ab Iſellis Pallantiam tranſitur. Quam Volateranus Polentiam eſſe ſcripſit, ferè nominum ſimilitudine deceptus. Hoc municipium ramus Verbani (ita nautæ appellant) longitudinis mil. paſs. ambit. Illinc nauigatur Intram, &

Magadinus vicus.

Sextium

Locarnum.
Aſcona
Inſulæ cuniculares.
Briſagum
Canobiũ
Caſtrum Malpagum.
Mazarditæ.

Iſellæ peninſulæ.
Pallãtia

Digitized by Google

Intra. Arona. ab ea mox Aronam; quam ſcitis cum natura loci, tum arte munitiſſimam Gallorum Tranſalpinorum exercitum excepiſſe ſub Armiralo; qui eam & claſſe, quam ad hoc opus præparauerat, & terra oppugnabat, & tentata infeliciter, & ſæpius expugnatione eam derelinquit. Dictam ipſe crediderim Aronam, quaſi oronam, hoc eſt, montanam. In littore autem quod Inſubres tenent, ſunt Machanum, vbi Machanæus vir eruditiſſimus, quem ipſe in Auguſta Taurinorum Plinium Naturalis hiſtoriæ interpræ- tantem audiui, natus eſt. Louinium, Germignaca, Arx Traualiæ, Lauenum, Acerræ, Hiſprium quaſi aſperum ob ſaxorum difficultates, & nouiſſimè Angleria Vicecomitum titulo Comitatus inſignis. Quam Philelphus in gratiam Philippi Vicecomitis ineptiſſimè ſcripſit ab Angelo quodam ædificatam, eumq; Hectoris fuiſſe filium comminiſcitur. Et hanc ob cauſam ipſe Philelpho dementior velut ab Hectore genitus Angli cognomen aſſumpſit. Hic cum ſubriſiſſent omnes, Caſtillionæus. Putemus, inquit, Marte potius Alciato ab Anglis Saxonibus, qui cum Longobardis in Italiam venerunt, eſſe & conditam, & denominatam Angleriam, vel ſaltem auctam. In hoc municipio cernere fuit (nam eorum partem Philippus Archintus ad exornationem ædium ſuarum Mediolanum transferri curauit) vetuſta monumenta, elaboratos tumulos: vrnas templa, cryptas, porticus, columnas idq; genus vetuſtatis inſignia, Alpinarum (puto) gentium præfectura olim fuit: in qua ſub Carolis, Berengarijſque Impp. ius dicebat, qui delectus fuiſſet ad hunc magiſtratum à Comite Mediolanienſi. & hanc ob cauſam Vicecomes nominatus, à quo poſtmodum præclariſſima Vicecomitum fluxit appellatio. Declinante enim Imperio Romano, cum Anaſtaſius imperaret, inuenio vrbium, & prouinciarum alias per diuerſos magiſtratus ſolitas regi. Prouincias per Comites, Romanam vrbem per Præfectum, Neapo-

Machanum. Machanæus Louinium. Germignaca. Arx Traualiæ. Lauenũ Acerræ Hiſprium Angleria.

Vicecomites.

Neapolim, & Syracuſas rurſus à Comitibus adminiſtratas fuiſſe, epiſtolæ Anaſtaſij Imperatoris oſtendunt. Rhetijs Alpibus Dux præerat, qui ferociſſimis gentibus & agreſtibus obſtaret: erantq; Alpes illæ per ea tempora Italiæ portio minima. Lego præterea fuiſſe Comites ſacrarum largitionum: quibus prouinciarum iudices audiebant, & quibus imprimendarum pecuniarum fuerat munus iniunctum. Erant & priuatarum actionum Comites quibus demandabatur caſtitas iuuenum, & ſecuritas mortuorum. Reperietis quin etiam patrimonij Comites, quorum partes oſtendit epiſtola Anaſtaſij, cuius eſt initium: Antiquæ conſuetudinis ratio perſuadet. Nec deerant domeſticorum Comites. Qui igitur Comitis alicuius eo abſente vices gerebat, Vicecomes dicebatur. Similis eſt Vicedominorum familiæ nomenclatura: quæ olim dignitatis potius, quàm familiæ fuerat appellatio. Mercurium (vt redeam tandem, vnde diſceſſeram) ab Angleriatibus cultum fuiſſe plura monumenta ſunt inditio. Qualia hæc ſunt.

Comites ſacrarũ largitionum. Priuatarum actionum comites. Comites patrimoniorum. Comites domeſticorum.

M E R C V R I O
Q. V I T A L I S
Q V I N T I O N I S F I L.
V. S. L. M.

Item alterum.

M E R C V R I O
C. ALBINVS C. F. O. V. F.
MARCELLIO IIIIVIR. *A. P.
PRAEF. D. IVDEX V. DEC.
NOMINE SVO ET IVLIAE
INGENVAE VXORIS ET

** Vel potius ALP.*

AL-

Digitized by Google

A L B I N I O R V M
IVLIANI MASCELLIONIS
INGENVAE MONTANAE
L I B E R O R V M S V O R V M
V. S. L. M.

Porrò Verbani accolæ Mercurium colebant, non tam quòd mercibus, hortiſque, quàm quòd aquis præeſſe putaretur à vetuſtioribus, & portuum cuſtos. In Verbanum ſe lacum duo lacus exonerant: alter ab Occaſu ex agro Nouarienſi, quem Ortæ lacum nominant, alter ab Oriente, cui Lucano ex adiacenti oppido nomen eſt, ambo autem piſculenti admodum. Medio autem Verbanus eſt velut Alpinarum aquarum rex, & dominator. *Lacus Ortæ Lacus Lucan'.*

De Lario lacu, Addua, & alijs fluctibus Alpinis.
Cap. XVI.

Larius vnde dictus

VErbanum ſequitur Larius eo longitudine, latitudine autem minor longè: quem alij à fulicarum copia dictum putant: λάρος enim Græcis, nobis eſt fulica. Alciatus à ſuauitate larium denominatum exiſtimat. Ego autem à Larone ſiue Larunte, quæ vox Hetruſcorum lingua (vt autor eſt Cato in Originibus) ſignificat principem: Ad quam ſignificationem Virgilium alluſiſſe facilè quis mihi perſuaſerit, cum inquit:

An ne lacus tantos? te Lari maxime?

Circa Larium ſunt montes aſpectu fontium, & oliuetis, ac citrorum copia ſuauiſſimi. Quorum delitias Claudianus his verſi bus expreſſit.

Protinus vmbroſa veſtit, qua littus oliua
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu.

In

In hunc lacum deſcendit Adduas ex Rheticis (vt iam dixi) montibus præcipitatus: vnde & Danubius, qui & Iſter appellatur. Ipſe autem fluuius hemicyclari forma agrum Inſubrum circuit: ex quo Eurypum Franciſcus Sforcia, huius nominis primus, Mediolanum deduxit. Inter quod & fluuium ſunt populi Græcæ originis Orobij ſub Inſubribus. Adhuc extat antiquitatis veſtigium nominis corruptio: ſiquidem mons Robius aliud eſt nihil, quàm mons Orobiorum: qui nunc Briantei nominantur, quorum metrocomia nunc eſt Vicus Martis. Adduas autem è Lario erumpens primo Glaream Adduæ afficit, quam antiqui Fulcherias inſulas vocabant, vt atteſtatur Georgius Merula, merus antiquitatis vir obſeruator. Quo in loco me puero Veneti à Gallis Tranſalpinis, & Inſubribus auſpicijs Ludouici Gallorum regis funeſta clade protriti ſunt. Emicuere eo in prælio Comitis Ludouici Barbiani, qui inſubrum dux erat, vt atteſtantur hæc carmina, & fortitudinis exempla, & rei bellicæ peritia.

Adduas. *Danub. qui & Iſter dicitur* *Orobij.* *Mons Robius.* *Briãtei.* *Vicus. Martis.* *Glarea Addua* *Inſulæ Fulcheriæ.*

Hæc mihi quæ tenui manent è paupere vena
Fudit in Albrici noſtra Thalia decus.
Cuius poſteritas celebres mirata triumphos
Grandiſona forſan tollet ad aſtra tuba.
Nanq; Sophocleo celebrari dignus honore,
Dignus & andini carmine vatis erat.
Qualiacunq; tamen non dedignabere: ſi te
Tangit honos ataui fama, decuſq; tui.
Hic Decios, alter Fabios miretur in armis,
Et geminos belli fulgura Scipiadas.
Aetatum quoſcunq; gradus percurreris, ille
Hæreat ingenio, conſilioq; tuo.
Nam licet ad laudes nullo accendaris Achille,
Sæpe iuuat celeri ſubdere calcar equo.
Auguror, illius ſummos æquabis honores,

(Certis

(Certa fides) vatum pectora numen habent.
Addula non negat hoc, cuius tua dextera nuper
Sanguineas Veneto ſanguine fecit aquas.
Fluminis in ripa Veneti vlteriore ſuperne
Metati fuerant ordine caſtra Duces.
Eminus hinc magno tormenta excuſſa fragore
Grandinis in morem regia caſtra petunt.
Sternuntur paſſim peditumq; equitumq; cateruæ,
Aerea & in trepidos machina ſæuit equos.
Haud tantam paſſus ſtragem ſpectare ſuorum
Rex pius, hinc ſubitò territa caſtra mouet.
Forte tripartito dum digerit ordine turmas,
Et parat in tuto figere caſtra loco:
Incidit in Venetas acies, agmenq; ſupremum.
Nec mora, pugnandi copia vtrique datur.
Tollitur in cœlum clamor, pugna aſpera ſurgit:
Terribili ſonitu territat arua tuba.
Qualiter æthereâ fulmen torquetur ab arce,
Iuſta Panompheum cum quatit ira Iouem.
Taliter aduerſis audaci pectore ſignis
Fulminat Adriaci dextra cruenta ducis.
Pellitur ecce gradu turpi formidine pubes
Gallica, & attonito pectore Vaſco fugit.
Vicimus, exclamat paſſim Liuianus: & inde
Pugnat ad exemplum cætera turba Ducis.
Inſtat: & hortatur Latias in bella cohortes,
Atque alacer multa cæde cruentat humum.
Bis pulſi ceſſere equites, bis terga dedere:
Bis pallor viſus Regis in ore fuit.
At tibi Barbiaca lux ò clariſſima gentis
Venit in Adriacas impetus ire manus.
Inuictiq; ducis vim vi detrudere; & ore
Comminus intrepido conſeruiſſe manus.
Horrifico nec te terrent tormenta boatu,

Quæq;

Quaq; volant docta ſpicula miſſa manu.
Nec quòd penè puer dubium certamen inires,
Vſque adeo dulci laudis amore furis.
Vt ferrum ferro admotum, & dextera dextra,
Non referam dederis quot Ludouice neci.
Talis in Hectoreas ibat furibundus Achilles,
Talis in Argolicas Hectoris ira manus.
Exemplum mirata tuum trepida agmina campis
In pugnam referunt victa pudore pedem.
Sic modò qua nimio vertebat terga timore
Pugnandi ſtudio Gallus in arma ruit.
Ecce volat verſis tandem Victoria pennis,
Vergit & in noſtrum cade cruenta latus.
Turpiter en victis iam cedit victor: vbique
Et Veneto paſſim ſanguine terra rubet.
Qui ſuperant rari prada ſpoliantur, & armis:
Caſtraq; iam capto capta fuere duce.
Rex bene pro meritis meritos diſcernat honores,
Debetur capiti multa corona tuo.
Macte animo, macte ingenio, ſic itur ad aſtra
O Decus, ò patria praſidiumque. Vale.

Tunc Bonauentura, Oblectauit me, inquit, hæc tua cantio: ſed optarem à te ſcire, quando è ſacro muſarum fonte tam luculenter biberis. Non ſunt (inquit Caſtillionæus) domi noſtræ hæc nata carmina: ſed aliunde accepta iucunditatis gratia vobis retuli, ſed ne ſis moleſtus: obſecro, vt quàm primum ad metam ipſe perueniam, & vos miſſos faciam. Longobardorum in hiſtorijs legi, & Gotthorum, in lacu Lario fuiſſe inſulam, quam Comacinam vocant, in qua Francilio Romanorum Dux primò, poſtea Gotthorum, & mox Longobardorum reges immenſos theſauros condidere. Hunc lacum mirum eſt ciconias, quibus omnis Tranſpadanus tractus abundat, non tranſuolare. In *Comacina iſula.*

Adduam ex Bergomatum montibus Brembus fluuius irrumpit, defert etiam ſecum ex eiſdem ferè Alpibus Serrium in Padum.

Brembus fl. Serrius. Eupilis. Lābrus. Vmbro. Orona. S. Angelus opp. Sebunus lacus. Iſſæus. Ollius f. Mela. Broccus. Morma. Sarca. Benacus lacus. Mintius. Gouernū opp. Atheſis. Medoacus fl. Bachilio. Timauus Brenta. Liſinus. Muſio. Anaxus Planus. Vayanus Calorius. Liquētia. Liuentia. Meduna. Alſa. Liminius

De reliquis Ciſalpinæ Galliæ lacubus, & fluuijs ex Alpibus in Padum influentibus. Cap. XVII.

IN agro Inſubrum XVII. lacus, flumina autem LXIII. eſſe Blondus atteſtatur, eorum tamen nomina non recenſet. Non me tamen fugit eſſe Eupilim, qui Lambrum emittit Vmbronem ab alijs dictum. Eſt & Lambrus alter, quem Inſubres Meridianum vocant, & Orona alter, qui pariter excipiuntur à Lambro, quem emittere Eupilim diximus. In quorum confluenti Sanctus eſt Angelus oppidum elegantiſſimum: quod Ludouicus Barbianus expugnauit, cùm illud valido præſidio Veneti tenerent. Deinde Sebunus eſt lacus, qui nunc Iſſæus appellatur, hic Ollium emittit fluuium. Ex Brixiano agro Mela Broccho, & Morma torrentibus acceptis defertur in Padum. Ex Tridentinis Alpibus Sarca fluuius effluit. Benacus lacus eſt Veronenſis agri citrorum copia odoratiſſimus: ex eo Mintius egreditur. In cuius ripa oppidum eſt, quod nunc Gouernum vocamus, quo in loco Leo eccleſiæ Romanæ epiſcopus Attilam Hunnorum regem, ne Italiam inuaderet, precibus deflexit. Atheſis fluuius ex Alpibus deriuat: mox eſt Medoacus, quem nunc Bachilionem Veneti nominant: mediò hic Vicentiam diuidit. Nouiſſimi fluuiorum ſunt Timauus, quem hac ætate Brentam vocari Blondus aſſerit, Siſinus, Muſio, Anaxus, qui nunc Planus, Vayanus, nunc Calorius, Liquentia, ex Opiterginis montibus nunc Liuentia, in quem influit Meduna. Alſa nunc Liminius. Hæc ſunt flumina, quibus vniuerſa Ciſalpina Gallia verſus Alpes irrigatur: nunc ea, quæ Apenninus emittit, enumerabo.

Ci-

Ciſpadanam Galliam quæ flumina alluant. Cap. XVIII.

CIſpadanam Galliam fluuij plures alluunt ex Apennino: & ita quandoq; eam partem occupant, vt niſi ſummo cum periculo loca illa inter Padum, & Apenninum peragrentur; & ſæpenumero adeò ſtagnant, vt nullis viatoribus ſit tranſitus. Plures enumerat Plinius, veruntamen multos prætermiſit: vt Borbum torrentem, cuius ſunt initium Aquæ Statyellorum Ligurum: Mox eſt Tanarus, quem aiunt torrentium XII. illuuione augeri. Ratum Plinius appellat, quem nos Scriuiam, Georgius Merula Iriam putat appellari: Serraualle oppidum ferè alluit. Penes Vicheriam Coronus eſt torrens. Vicheriam autem dictam crediderim, quòd Iriæ, cuius meminit Antoninus Pius, vrbis vices gerat. Sed antequam vlterius progrediar admonendos vos arbitror Ratum à Paulo Iouio Statolam dici: in cuius hoſtio eſt Albianum. Hunc ſequitur Copa torrens, & illum Tunnus, à quo alluitur Sanctus Ioannes agri Placentini oppidum. Illinc rectà itur ad Trebiam Romanorum clade celebratiſſimum. Niciam à Plinio dici putarim, quem recentiores Nuram appellant apud Fidentiolam. Illum Tarus ſequitur, vt interfluentes Rarum, Ardam, Ocham, Conium torrentes præteream. Oritur Tarus ex colle Bardonis, in cuius cacumine monaſterium eſt Luthprandi Longobardorum regis liberalitatis typus. His in locis Gabellum fluuium Plinius collocat: Qui ſit, coniecturis non aſſequor. Adeò ob Gotthos, cæteroſq; barbaros mutata ferè ſunt omnium rerum nomina, vt fruſtra Sannium quæramus in Sannio. Deinde Parma eſt, quem auget torrens Bagantianus. Lentiam non procul à Brixello Padus excipit. Rhegium verſus Cruſtulus torrens mediò ſecat viam Aemiliam. Paulò vlterius progredienti Sicla, qui

Borbũ f. Tanarus Ratus. Scriuia. Iria. Coronus Vicheria vnde dicta. Vic' Iriæ Statola f Albianum op. Copa fl. Tunnus S. Ioãnes opp. Trebia f Nicia. Nura. Tarus. Rarus. Arda. Ocha. Conius. Gabellus Parma. Bagantianus. Lentia. Cruſtulus fl. Cicla.

Digitized by Google

Salcinū qui Salcinium ingreditur, torrens occurrit. Huic ferè in-
Sculter- hæret Sculterna, qui nunc accolis eſt Panarus, in quem
na fl. non procul à Mutina Formigo fluuiolus ingreditur. Inter
Panarus Sculternam,& Samogiam torrentem fuit Forum Gallorum
Formigo à Ser. Galba, clade Ro. celebratum. Ap. Alexandrinus
fl. Celtarum Forum nominat. Nunc Burgum Francum ap-
Samogia pellant, non longè à Perticeto. Per hæc loca Claterna ve-
Forum Galloru. tus oppidum eſt: Quadernam nunc appellari audio cum
Burgus eiuſdem nominis torrente: qui poſtmodum ad Caballos
Frācbus dilabitur: vicus ſancti Petri Silere alluitur. Qui penes Bo-
Claterna noniam fluuius præterfluit Rhenus eſt. Qui verò Immo-
oppidū. lam, quæ vetuſtioribus Forum Cornelij fuerat, quod con-
Siler fl. ſtat à Narſetis militibus eſſe prædæ expoſitum, & ſubuer-
Rhenus. ſum, Vatrenus eſt amnis. Mox fit obuiam Senius fluuius,
Vatren' in cuius ripis Cunium fuerat oppidum ditiſſimum, quod
Senius. hac ætate adeò dirutum eſt, vt cum vbiq; aretur, ignora-
Cunium tur prorſus, vbi extiterit. Cuius fuit Comes Albricus Bar-
op. bianus Italicæ militiæ reparator: qui tametſi adoleſcens
Albrici eſſet, accitus tamen eſt à Bernaboue, qui tum in Inſubribus
Barbiani laus. primas partes obtinebat. Electus cum fuiſſet igitur copia-
rum Bernabouis ductor, in Britones, Bauaroſq; & Anglos
caſtra mouit, qui eo tempore Italiam vaſtabant. Variante
itaq; fortuna cum profligati eſſent à Barbaris Inſubres, inter
multos quoq; captus eſt à Barbaris Albricus: quem militari
more, vt hoſtes dimitterent, nullis rationibus, aut legibus
adducerentur, Bernabos Vicecomes argento (quoniā Bar-
baros hoc auaritiæ morbo maximè laborare cognouerat) ad
trutinam, quanti ponderaret, appenſo, ſicut auro Hector à
Priamo, redemit. Albricus ergo liber adeò barbaros per
vniuerſam Italiam exagitauit, vt XL. mil. equitum eorum
trucidando ab Italia expulerit. Cineribus igitur huius
quicunque Itali generis militiam agunt, adeò debent, vt
qui eloquentiam exercent Ciceroni, aut Demoſtheni.
Nemini .n. dubium eſt, tot bellaciſſimos duces, ab ipſius
di-

Digitized by Google

diſciplina, quot ex equo Troiano, prodijſſe. Sed hæc ſatis de his dicta ſufficiant. Hoc in tractu Anomi, Senij, & Vatreni fluminum confluenti ſceleſtiſſimum Octauij, M. Antonij, & Lepidi triumuiratum, quo vniuerſæ Italiæ nobilitas ſublata eſt, conflatum eſſe aiunt nonnulli. Non longè illinc eſt Tiberiacum oppidum, quòd deinde Caballos alij dixere, modò Bagnacauallum nuncupatur, vt autor eſt Blondus in ſuis hiſtorijs. Inter Forum Liuij & Salſubium à ſalſo fonte olim ibi ſcatente denominatum, quod nunc Carum vocant Montonus torrens interfluit, è cuius montis regione Tyberis oritur. Proxime huic Hedeſis agri Rauennatis amnis accedit. Mox prætereunt duo fluuioli quorum vni Auexa, Beuanus eſt nomen alteri. In Apennini colle Brintanorum Forum viſitur: quòd alij Forum Pompilij nominant, nunc Bretonorium vulgus appellat. Iuxta quod conſtat à Viſigotthis Romanos truculentiſſima clade eſſe conciſos: & mox Romam ab eiſdem & prædæ expoſitam, & flammis multis in locis eſſe conſumptam. Hanc nouiſſimè vrbem Longobardi vaſtarunt. Ad Ceruiam ſalinis celebrem Sapis defertur ex iugis Apennini. Vltimi ſunt Ariminus, quem Maridam loci illius accolæ nominant, Cruſtumium, quod Concham, & Rubicon Galliæ Ciſalpinæ verſus Italiam limes. Non procul à Methauro fluuio mons eſt Aſdrubalis: nunc Aſdrauallis eſt, quo in loco victum conſtat Aſdrubalem, & obtruncatum à Romanis. Hæc ferè habui, quæ de lacubus, ac fluuijs dicerem huius noſtræ almæ regionis: quos materna ferè lingua potius dixiſſe placuit, quàm eos ſilentio inuoluere. Nam hæc vocabula, quæ nunc ſunt noua, fient olim vetera, nam & illa quæ nunc ſunt vetuſta, erant olim noua. Non eram, inquit Bonauentura, ſermonem tuum rupturus, niſi te prius inſpexiſſem in portum vela deflectere. Quamobrem quò ex deuinctis tuo nomini deuinctiores efficiamur, te omnium horum verbis

Anomi. *Tiberiacum opp.* *Caballi.* *Bagnacauallū.* *Montonus fl.* *Hedeſis.* *Auexa.* *Beuanus* *Bretonorium.* *Sapis fl.* *Ariminus fl.* *Marida fl.* *Cruſtumium fl.* *Concha.* *Rubicon* *Methaurus fl.* *Mons Aſdrubalis vbi.*

Digitized by Google

bis oro, vt nos certiores facias, cur ſacro diademate Moguncíacis municipibus ornandi Imperatores Germanos conceſſa ſit facultas.

De translatione dignitatis coronandi Imperatores à Mediolanienſibus ad Moguncíacos municipes. *Cap. XIX.*

SVper hac re (inquit Caſtillionæus) vt abſolutius expediaris, verba doctiſſimi Alciati nunc adducam. Poſt Othonem ſecundum, inquit, filius, & nepos rerum potiti ſunt. Ex his nepos, qui Otho tertius eſt dictus, ſua autoritate Gregorium Quintum origine Saxonem Pontificem creauit: quem cum Romani non ferrent, Creſcentio autore, quem honore Conſulatus inſigniuerant, cum adulterum eijciunt. Ioannemq; Placentinum in ſede apoſtolica collocant. Erat is doctrina, diuitijſq; perilluſtris. Acurrit ſtatim è Germania Otho: & Gregorium reſtituit. Creſcentium Ioannemq; fide data impune eos de Adriana arce elicit, & alterum vita, alterum oculis priuauit. Gregorius, ſiue vt Romanos vlciſceretur, ſiue patriæ ſuæ, & Othoni plurimum tribuere volens, ſanctionem de imperatorum comitijs tulit: in quibus dignitas eligendi imperatorem ad Germanos translata eſt. Cæterum Othone tertio ex humanis ſublato Gregoriana lege Henricus primus ex Gubelingò oppido Noricus primus ſuffectus eſt: ſed eam legem nihil facientes maiores noſtri Longobardi Ardoinum Eporrhedienſem Marchionem Italiæ regem Mediolani coronant, & vngunt. Sunt qui conuocatis finitimarum vrbium principibus, atque epiſcopis imperatorem quoq; ſalutatum ſcribant. Is aduenienti Henrico obuiam factus ex itinere prælium committit, & egregè hoſtem

Greg. V. Papa.

Ioannes Placent. Papa.

ſtem

ſtem vicit. Repulſus Henricus cum Heriperto Mediolanienſium Archiepiſcopo fœdere icto, reparatoq; exercitu reuertitur, & Ardoinum acie ſuperat, & more maiorum Mediolani coronatus in Germaniam, vnde venerat, reuertitur. Henricum ſecutus eſt Conradus Sueui generis. Aduerſus hunc ne rex ſalutaretur Italiæ, Longobardi coniurant. Cum ergo Mediolanum veniſſet, ingreſſu prohibitus eſt: cumq; hanc vrbem fruſtra aliquando obſediſſet, tandem re infecta receſſit, ſiue (vt aiunt) miraculo, & oſtentis territus, ſiuè vt horum velamine ſuæ fugæ dedecus tegeret. Accepit is Modoetiæ (ita hoc municipium Alciatus frequenter vocat, quod nos Moguncium) agri Mediolanienſis ad decimum lapidem imperialia inſignia, parum referre exiſtimans, vbi corona redimeretur, dum in Inſubribus hoc fieret. Cuius exemplo vt alij quidam ex Cæſaribus vrbe Mediolano excluſi coronam imperatoriam Mogunciæ accepere, & qui vlterius progredi non potuerunt, Alexandriæ eam ſumpſere. Sed Mediolanienſes has coronas in contemptum paleas vocant priſco loquendi more, quo vilis res, & nihili palea dicitur, ex quo & Ariſtophanes inquilinos Atticos paleam ciuium nominat in antiqua Comœdia. Coronandi autem imperatores hic mos obſeruabatur, ante aram pontificijs veſtibus indutus Antiſtes petentem ſe coronari Romanorum regem ſacro oleo dextro in humero perlinibat: in medio dextræ manus digito anulum mox collocabat: deinde enſem nudum tradebat, ſubinde capiti coronam, dextræq; ſceptrum imponebat. Hancq; omnem ſolemnitatem publicis documentis iubebat eſſe teſtatam. Sceptri faſtigio pomum aureum ſtabat, quo Aſiæ, Africæ, & Europæ inſcriptio breuis ineſt. Supra pomum crux aurea inſeritur, vel vt recordetur ſe Chriſtianum eſſe, vel vt Chriſtianos tuetur. Obſeruatum quoq; inquit Alciatus eſſe Mediolani, vt his peractis, qui ex Angleriæ Comitibus dignior ſit, pedem dex-

Cōradus Imperator.

Modoetia, & Moguntiacum idem eſt.

Mos coronandi Imperatores.

Digitized by Google

dextrum, & qui ex Cottarum familia, quæ adhuc Mediolani clariſſima eſt, ſiniſtrum oſculo tangat, Imperatoremq; humeris ferat vterque ſublatum in prætorium. Qua in re fidem ipſe ſuam Alciatus non obſtringit, cum didicerit Cottarum ex genere fuiſſe Ardericum Archiepiſcopum, & ab eo regni inſignia Berengarium ſecundum ſuſcepiſſe. Sublato ab humanis Conrado tres Henrici continua ſerie Impp. ſubſecuti ſunt: qui licet Romam contenderint, & auguſtale diadema ſumpſerint, Mediolani tamen [quod equidem ſciam] id ornamenti non accepere. Alciatus armis Rodulphi in Germania, & Matildis in Longobardia exercitus arbitratur non potuiſſe regni Italiæ coronam conſequi. Succeſſit Lotharius Henricorum hoſtis ex profeſſo Saxonum Dux: qui omnem Germaniam ſeditionibus vexauit. Idcirco ex Henrici Imperat. defuncti ſorore genitus Conradus Honorio Pontifice Romano fauente Imperatorem ſe dixit, & in Ciſalpinam Galliam properans ab Anſelmo Puſterlenſi tunc Mediolanienſium Antiſtite Modoeciæ regni Ro. ſceptra ſuſcepit. Formidoloſum opinor præſuli fuit intra vrbem eum cum tanta Germanorum manu, iuxta illud Plauti, Barbarum hoſpitem qui ſuſcipit, ſat litium habet recipere. Subſecutus eſt & Lotharius, atq; per Rhetica iuga Romam contendit. Scribit Otho Friſingenſis Antiſtes, qui & Rubrobarbi patruus fuit, ſiue copiarum paruitate, ſiue Conradi amore contemptui Italorum fuiſſe. Ab his putant Guelphorum, & Gibellinorum pernicioſa nomina in Italia primum cœpiſſe. Succeſſit Lothario Fridericus Rubrobarbus: inter quem, & Alexandrum Pont. vehemens exorta ſeditio eſt. Itaq; ad arma ſi quando aliàs atrociſſimè concurſum eſt. Raptim igitur, vt erat natura præceps & ferus Rubrobarbus maximo non ſolùm barbarorum exercitu, ſed etiam vicinorum populorum, ægreferentium quòd Inſubres longè lateq; dominarentur, & eorum res florerent, ſuppetijs adiutus

Guelphi Gibellini.

Fridericus Rubrobarbus Imp.

Digitized by Google

ſus Mediolanum copijs cingit. Itaque cum neque à Pontifice, nec aliunde ſubſidium ſperaretur, adeò vniuerſam Italiam timor exterreſecerat, ciues libertatem à Rubrobarbo redemere datis argenti libris ſex mill. Mox Moguntiaci imperatorio diademate redimitur: quod oppidum in ripis Lambri, quem Blondus Vmbronem vocat, Rediuicus, eorum temporum ſcriptor Modoitium. Erat Rubrobarbus lingua, ſtudijs, moribusque ipſis planè barbarus, hoc eſt, ignauus, perfidus, ferus, implacabilis. Huiuſce rei indicio ſunt certiſſimo contra ius gentium vaſtatæ vrbes opulentiſſimæ Aſta, Dertho, Cherium, Lacmellum, & Spoletum. Mediolanienſes igitur cum & aduerſus pacem initam, & iura omnia, violari eorum, quam ab ipſo emerant & libertatem viderent, Pontifice ſuadente in Fridericum rurſus arma capiunt, populariq; tumultu nonnullas Germanorum copias obtruncant: & ita per vniuerſam Ciſalpinam Galliam bellum ſubitò exarſit, quod ad plures annos geſtum, excidio tandem vrbi fuit. Habuiſſe ferunt in caſtris contra Mediolanienſes ad centum millia bellatorum. Nec hanc ob rem fida pax ſubſecuta eſt. Mediolanienſes enim ſociorum auxilio freti, patriam armis vindicant, ex qua fuerant expulſi, reparant, inſtaurant. Nec multò poſt aduenientem imperatorem ad Lenianum vicum aggrediuntur, fundunt, fugant. Qua clade affectus Robrobarbus, liquidò cognouit Inſubrum non eſſe (vt prudenter admonebat L. Piſonem Galba ſenex) vt cæterarum gentium, quibus ſeruitutis iugum iniunctum eſt, ſeruilia ingenia, ſed homines eſſe, qui nec totam libertatem ferre poſſint, nec totam ſeruitutem. Pacem igitur Ciſalpinis Gallis, cum bello contra Inſubres non ſufficeret, inuitus dedit, his conditionibus: in primis vt libertatem qua ante aduentum ſuum in Italiam vtebantur, Inſubres haberent. Item iura regalia, ſi quæ antea poſſidebant, qualia ſunt vectigalia, portoria, iuriſdictiones, pa-

latia, mulctæ, pœnæ, flumina publica, ſalinæ, bona vacantia, ius ſignandi nummi, fabricandorum armorum idque genus ſimilia: quæ ſupremis tantùm principibus competunt. De cæteris, quæ more, vſuq; ciuitatibus non pertinerent, idem iuris eſſe: dum tamen CC. argenti beſſes (marchis vulgus appellat) bis mille annui penderentur. Ipſi verò Imperatori, eiuſq; filio Henrico quinto hoc tributum, vt deſignatum à Rep. Conſules eius autoritate confirmarent, niſi qui ab antiſtitibus ſacerdotum eligi ſolerent, vt prouocationum cauſas, is quem Proregem ipſe in Italis appellaſſent, nunciumue ſuum conſtituiſſet, agnoſceret. Vt ciues à XVI. ad XVII. annum ſe imperatorio nomini fidos fore tactis ſacris iurarent. Vt quoties ipſe in Italiam veniret, conſuetum munus præſtaretur: Fodrum id Germanica voce nominatur: Latinè aurum coronarium ex ſententia eruditiſſimi Alciati vocari poteſt. Et hæc ſunt iura, quæ in Liguribus, Inſubribus, Galliaq; omni Ciſalpina imperatores habent. Non enim eis ſumma vti poteſtate, ſicut in cæteras gentes, quæ regnantur, ducibus, aut principibus, aut imperatoribus conceſſum eſt. Hocque differunt ab Imperatoribus reges, quòd hi ſupremum ius in ciues obtinent, & pro arbitrio vtuntur: Imperatores vero liberis ciuitatibus nonniſi iuſto moderamine præſident: atque ita nos Carolo audimus, vt honeſta imperet. Ideo Senatus Ro. volentibus Tiberio, Adriano, & Philippo Impp. redemptori CHRISTO aras dicare, tanquam nouam religionem inducentibus non obtemperauit. Sublato demum ab hominum numero Friderico, quem Rubrobarbum appellari diximus, infenſi Germanico nomini Inſubres quamplurimos imperatores armis ab vrbe reiecere: vt minimè potuerint regali diademate coronari. Henricus tandem Luceburgenſis fruſtra repugantibus Gallis Ciſalpinis Mediolani primum à Caſtono Turredano Mediolanienſium antiſtite in templo

ſancti

ſancti Ambroſij, mox Romæ coronatus eſt. At Moguнciaci (vt ad prima redeam) vetuſto ſe iure, debitoq; honore fraudari exiſtimantes, Henricum ordine ſeptimum eius nominis adeunt, debuiſſe regni decora in diui Ioannis Baptiſtæ templo, & eo in loco Italici regni inſignia capere eum oportere, exclamant. Idq; dignitatis genus ſibi Rubrobarbi, aliorumque Cæſarum beneficio tributum, & conſuetudine confirmatum vociferantes. Ipſe quinque mil. aureorum acceptis in poſterum conſenſu ſuo ratum fecit. Non repugnauere Mediolanienſes, quo minus Mogunciacum regni Italici ſedem eſſe Henricus declararet priuilegio: quòd ſæpius experti fuiſſent, id qualecunque honoris eſſet, ſemper in ſummam vrbis calamitatem verti: quòd intra mœnia receptæ Germanorum cohortes, cæteræq; barbaræ nationes à rapina, incendio, cædibus temperare non didicerint. Conſultiuſque paci ſit, ſi excluſus ab vrbe Cæſar in eo oppido imperialia ornamenta capiat, in quo cum præter loci anguſtiam, tum cenſus, & victus inopiam diutius eſſe non poſſet. Optaſſet Galeacius vicecomes eandem Ludouico Barbaro extitiſſe ſententiam, vt relicta vrbe Mogunciacum petiſſet. Non enim ingratitudinis in ſe exempla fuiſſet expertus, vt ab eo, pro cuius tuenda dignitate etiam aduerſus Romanum Epiſcopum arma ſumpſiſſet, ceu hoſtis, & perfidus, & infenſiſſimus in teterrimum carcerem Caſtri Mogunciaci, quod ipſe ſtruxerat, tractus fuiſſet: vt meritò vulgatum ſit apud Inſubres adagium: Quas in Italiam calamitates Cæſares inuehunt, nonniſi tricennali præſcriptione obliterari. Hæc cum Caſtillionæus dixiſſet, quòd eſſet iam hora ſerior, conticuit. Tunc illico abijſſent omnes, niſi eos ad cœnam Bonauentura blanditijs ſuis apud ſe continuiſſet.

Digitized by Google

Digitized by Google

GAVDENTII MERVLAE ANTIQ. GALLORVM CISALPINORVM

Liber Tertius.

SEquentis diei omnium conſenſu apud comitem Hippolytum Maynum, lectiſſimi ingenij adoleſcentem, confabulatio habita eſt quod ſcirent apud ipſum diuertiſſe hoſpitalitatis gratia Benedictum Iouium, & Petrum Candidum ſingulari cum eruditione, tum acri ingenio viros. Ibiq; cũ præter ſpem Gualterũ Corbetẽ, Bernardũ Felicianũ, & Adrianũ Cribellũ offendiſſent, dij boni, quę tum lętitia nõ fuit? Accepti igitur cum perhumaniter ſinguli fuiſſent à generoſiſſimo adoleſcente, inquit, Cribellus, Deſiderarem ex te, Iouie, intelligere, cur Celtæ à Græcis appellemur: cur item Inſubres. Ne moleſtum ſit igitur tibi, quod in Etymologijs ſcio præſtantiorem hac ætate eſſe te neminem, hæc nobis exponere; vt Larianis non modo nymphis, quæ ad nos tam expetiti ſaporis mittunt troctas: ſed hominibus ẽt debeamus. *Troctæ* Tunc Iouius, Tametſi, inquit, γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, qui hæc vobis: tamen cum citra pudorem penſum hoc à vobis (vt arbitror) omnibus iniunctum mihi reijcere non poſſim, obſecro vos, vt vbi ingenij mei vires, ſcio enim quàm ſint exiguæ, ſuccubuerint

oneri:

Digitized by Google

oneri: veſtrum aliquis ſtatim ſubſidio ſit mihi: vt mutuò fieri videamus à muſicis: qui ſtatim canentium velut laſſatorum vocis laborem ſuſcipiunt. Aggredior ergo, qñ ab ab eo declinare minus liceat mihi, prouinciam hac lege, ne in tam anguſtia temporis, negotijs enim impedior, λακωνισμοὶ vitio vertantur mihi. In omnibus (inquit Cribellus) ὁ σοφὸς εὐθυρήμων ἔστι.

Celtæ, Galli, & Gallatæ cur dicti.
Cap. I.

GRæcis fuerè (inquit Iouius) nullæ gentes circa etymologias diligentiores. Hi ergo cõmuni appellatione Gallos appellant, quicquid à Rheno per Oceanũ, Pyreneos mõtes mare Mediterraneum, & Apenninũ vſq; ad Anconã terrarum clauditur. Cur aũt Celtæ vocemur ad Merulam meum ſcripta Andreæ Alciati vobis ſatisfaciet epiſtola. Quintò, inquit, propius verò eſt, quod cæteri aiunt, propria eos lingua dictos Celtas, qui cum malè C, & E, quod & nunc faciunt, pronunciarent: nempe pro C, G, pro E, A, à Græcis Gallatæ, à Latinis Galli ſunt dicti: quid aũt Celtarum vox eorum lingua ſignificaret, incompertum eſt, cum ea prorſus extincta ſit, Romanaq; nunc Galli vtantur. Hæc Alciati (inquit Adrianus) interpretatio longè ingenioſior eſt, quam vera. Celtas enim ipſe dictos crediderim quod equo, curu, nauigio vel oblectentur, aut valeant plurimum. Legere eſt enim apud App. Alexandrinum, C. Cæſarem vſum maximè equitatu Celtico, cui Voluſcenus Quadratus præerat, κελητίζω enim equum exagito ſignificat: vel curru, aut nauigio decerto, aut vehor. Κέλης του κέλητος, præterea equum, currum, nauigium notat. Hinc Κέλητες, hoc eſt, equites dicti ſunt. Quid mihi (inquit Iouius) Græcos obijcis? cùm Celtas ipſi à Celto Herculis filio appellatos putant. Audi ſuper hac re Parthenium

nium Phocenſem. Λέγεται, inquit, δὲ καὶ Ἡρακλέα ὅτε ἀπ' Ἐρυθείας τὰς Γηρυόνου βοῦς ἤγαγεν, ἀλώμενον διὰ τῶν Κελτῶν χώρας, ἀφικέσθαι παρὰ Βρετανόν. Τῷ δὲ ἄρα ὑπάρχειν θυγατέρα, Κελτίνην ὄνομα. Ταύτην δὲ ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἡρακλέους, κατακρύψαι τὰς βοῦς, μὴ θέλειν τε ἀποδοῦναι, εἰ μὴ πρότερον αὐτῇ μιχθῆναι. Τὸν δὲ Ἡρακλέα, τὸ μέν τι καὶ τὰς βοῦς ἐπειγόμενον ἀνασώσασθαι, πολὺ μᾶλλον μέντοι τὸ κάλλος ἐκπλαγέντα τῆς κόρης συγγενέσθαι καὶ αὐτοῖς χρόνου περιϊόντος, γενέσθαι παῖδα Κελτόν, ἀφ' οὗ δὴ Κελτοὶ προσηγορεύθησαν. ideſt. Ferunt Herculem cum ab Erythia Geryonis boues abduceret, per Celtarum regionem penetraſſe, ac perueniſſe ad Bretannum: cui filia fuerit Celtinæ nomine. Eam autem Herculis amore incenſam occuluiſſe boues illi, neq: reddere voluiſſe, niſi prius cum ea coiret. Herculem autem boues ſuas recipere cupidum, multò verò magis puellæ forma concitatum, cum illa coiuiſſe: natumq;eis poſt temporis reuolutionem filium nomine Celtum: à quo ſanè poſtea Celtæ ſunt vocati. Vide quam fabuloſa, & homine graui minimè degna hæc Græcorum opinio. Sequamur igitur Cæſaris definitionem, qui in liminari pagina Comentariorum ſtatim ſcribit hos populos ipſorum lingua Celtas; noſtra, ideſt, Latina Gallos vocari. Quod autem Celtas dicat Alciatus mutatis quibuſdam litteris vocari, mihi planè non arridet. Sed Galatas à Græcis dictos magis putarim propter lacteum gentis colorem: γάλα enim eis eſt, quod nobis eſt lac: à quo nomine Latini Gallos deflere. Id quod innuere apertè videtur ijs verſibus Virgilius:

Galli per dumos aderant, arcemq; tenebant
Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea Cæſaries illis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quiſque Alpina coruſcat
Geſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

Quod

Quòd Κέλητει dicantur equites non contendo: ſed Cæſarem ſequor, qui ait, Gallos ipſorum lingua Celtas appellari. Si ipſorum lingua, ergo non Græca: nam alia fuit Gallica lingua, alia Græca: cum Cæſar in alloquendis Gallis interprete vteretur. Et Seruius in expoſitione illius verſus Virgiliani, Tum ſciat aerias Alpes: dicit, à Gallis altos montes Alpes appellari. Item in carmine illo Aeneidos: Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem: dicit, quòd Cæſar lingua Gallica ſignificat dimittere.

Inſubres vnde dicti. Cap. II.

SAtisfeciſti, vt ipſe arbitror, inquit Hermias Landus, qui proximè Corbetem ſtabat, Adriano: nunc velim, poſtquàm typus es factus, in quem tela infantiæ noſtræ conijcere poſſumus, à te ſcire, cur Inſubres appellemur? Præſtantiorem laude me potuiſſes inuenire, inquit Iouius, qui hæc clarius exponeret tibi: verum ne videar tibi nolle obſequi, audi quid de Inſubribus ſentiam. Ἰνσόβρες, inquit Suidas, ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῷ Παδῷ, οὓς καὶ Ἰνσόβρας φασίν. Ideſt, Inſubres Celtica gens ad Padum, quam Inſubres vocant. Secutus eſt autem (vt puto) Dionyſium Afrum qui Gallos Ciſalpinos inter Celtas connumerat his verſibus.

Καὶ δώματα Κελτῶν,
Ἀγχόδε πηγάων καλλιρόου Ἠριδανοῖο.

Hoc eſt, vt interpretatur Rhemnius Fanius, non autem Priſcianus, vt omnium ferme eſt opinio:

-- Poſt hunc eſt Celtica tellus
Eridani fontes contingens rauca fluenta.

Suidas ergo, vt videtis, & Dionyſius Celtarum gentem etiam ponunt in Italia. Inſubres autem inter Celtas. Polybius etiam Inſubrum meminit, eoſq; Italos facit. Ἰνσόβρες ἔθνος Ἰταλικόν. Ideſt, Inſubres gens Italica. Eos autem

tem

tem dictos exiſtimarem quaſi ſubimbres: quod imbribus ſubiaceant. Facilimè enim propter Alpium rigores, & Meridianum teporem pluuialibus aquis exundat: præterea quæ hoc Inſubrum tractu fluminibus, & euripis, ac lacubus, regio copioſior? Qui item putarent Inſubres per ἀντι-ομβρίαν vocatos, quod imbribus, quibus omnis naturæ vultus oppreſſus eſt, ſuperfuerint, omnino non errarent. Sic, & Græci Vmbrios dixere, qui à nobis Vmbri dicuntur, quod inundatione terrarum imbribus ſuperſtites extiterint. Plures etiam ſcribunt Inſubres appellatos eſſe, quaſi faſtoſos. Quòd apud Græcos legatur ἰσοβαρὸς καὶ ὑπέρφρυος ἄνθρωπος, hoc eſt, ſuperciliosſus, & ſuperbus homo: Deinde vt ſonus plenior ad aures venirent, additum eſt inter ι, & σ, ν, & ſic Ἰνσοβαρες ſunt vocati. Inter Inſubres, & Romanos (vt obiter aliquid dicatur extra terminos) olim fuere bella acerrima, in quorum compoſitione reperio inter cæteras pacis conuentiones ictum fuiſſe hac conditione fœdus: Ne Romani ciuem ex Inſubribus aliquem reciperent: nè ve Romanum Inſubres. Huius rei meminit M. Cicero in oratione, quam habuit pro Cor. Balbo, cum inquit: Etenim quædam fœdera extant, vt Germanorum, Inſubrum, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorũ item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum eſt, ne quis à nobis ciuis recipiatur.

De Cenomanorum origine. *Cap. III.*

LVculentiſſime vnde Inſubres, inquit Cribellus, dicantur Benedicte declaraſti: nunc cur nobis vicini Brixienſes Cenomani, & Bergomates cum Comenſibus Orobij nominentur optarem ſcire. Cenomanos, inquit ille, putat Zanchus quaſi Cycnomanos à Cycno videlicet rege, quem conſtat in hac Gallia, quæ à Pado ad Alpes vergit, regnaſſe, nomenclaturam ſumpſiſſe: vt autor eſt Pau-

Digitized by Google

ſanias in eo libro, cuius eſt titulus Ἑλλάδος περιήγησις, cum inquit: Κύκνον ἠριδανοῦ πέραν τῆς γῆς Κελτικῆς βασιλεῦσαι. ideſt: Cycnon apud Celtas, qui trans Padum ſunt, regnaſſe. Sunt igitur, qui dicant à Cycno Brixiam conditam fuiſſe Catulli carmina illa adducentes:

At qui non ſolum hoc ſe dicit cognitum habere
Brixia Cycneæ ſuppoſitum in ſpecula.
Flauus quam molli percurrit flumine Mela
Brixia Veronæ mater amata ſuæ.

Phaethō Aiunt enim Phaethontem ex Lybia in Italiam ſoluiſſe, applicuiſſeq; ad Ligures, & ibi condita Genua Apenninum tranſcendiſſe, hancq; Ciſalpinæ Galliæ partem inuaſiſſe colonis vacuam. Accidiſſe item eo regnante maximum incendium per Italiam, & maximum calorem ſubſecutum: hacq; aeris intemperie Phaethontem è vita exceſſiſſe, hinc eſſe locum fabulis datum, quod in Eridano ſit ſubmerſus, & Heliades ejus ſorores in Alnos, ſiue vt alij volunt in Populos eſſe conuerſas: vt legimus apud Dionyſium Afrum ijs carminibus:

Οὗ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν ἐπημαίην ἀνὰ νύκτα
Ἡλιάδες κώκυσαν ὀδυρόμεναι φαέθοντα
Ἔνθα δὲ Κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι
Δάκρυ ἀμέλγουσι τὸ χρυσαυδέος ἠλέκτροιο:

Quæ ſic interpretantur à Rhemnio Fanio:

Hic Phaethonta ſuum charæ luxere ſorores:
Hinc electra legunt alnis ſtillantia Celtæ.

Verum cum hæc Fanij interpretatio non perfectè Dionyſij ſententiam exprimat, laborem attulit, hos non verſus modò, ſed & ſuperiores interpretanti. Poſt hunc ſunt Celtę vſq; ad fluenta Eridani. Vbi dicunt Heliades ſorores dolore com-

cópulſas Phaethontis fratris occasũ adeò luxiſſe, vt mortuę omnes in alnos tandem arbores lachrymantes adhuc conuerſæ ſint: earumque lachrymas ab ipſis Celtarum puellis, quæ circumhabitant loca, ſæpenumero emungi: cum in aurem electorum vertantur, & tanquam lapides dureſcant. Fuit verò Phaethon (vt reuertar ad prima) vnus ex nepotibus Noè, quem ſermo eſt in Italiam ab illuuione aquarum veniſſe, appellatumq; Ianum à vino, quod primus inuenit: vinum ſiquidem Hebræi iaijn vocant. Subſecuta deinde ſecula, poſtquam & picturæ, & ſculpturæ in mediũ venere ingenia, bicipiti fronte Noam effigiarunt. Vna quæ eſſet cano capillitio, & barba veneranda, qua ætas ante aquarum exundationem tranſacta indicabatur. Altera rurſus quæ eſſet florentis iuuentutis, futura tempora proſpectabat. Huic rei adſtipulatur Athenæus Dracone Corcyræo autore ſanè probato referente: cuius hæc ſunt verba Latinitate à Leonico donata: Celebris, inquit, fuit apud Romanos Deus, quem Patrem appellabant, & cui voluentis anni adſcripſerant initia: fuitq; coronarum inuentor. Fama eſt autem bicipitem fuiſſe, vt & illa, quæ ante, & quæ poſt ſe eſſent, inſpiceret. Ab hoc ipſo, & Ianus fluuius, & mons in quo degere ſolitus fuerat, eſt appellatus. Nunc Ianiculum vocant. Primus autem omnium coronam repeperiſſe creditur: rates, & nauigia, pecuniamq; primus impreſſiſſe, & caracteribus ſignaſſe. Idcircò apud Italos, & nonnullas Græciæ, & Siciliæ nummum ſignificari mos erat: cuius ex altera quidem parte biceps facies viſebatur, ex altera verò, non eodem tamen ſemper modo, ſed nauigium ſæpe, ſæpe corona eſſet inſculpta. Huic autem ſororem Camiſam nupſiſſe ferunt, ex qua filiam (vt ſcribitur) Oliſthenam nomine ſuſcepit. Poſtea maiora, clarioraque animo voluens Ianus, in Italiam nauigaſſe dicitur; montemque nunc Romæ propinquum habitaſſe, & qui eius nomen in hodiernum vſq; diem Ianiculum ſeruat. Hæc ille. Non

Phaethõ nepos Noë.

Phaethõ Ianus appellatus.

Noë biceps cur pingebatur.

Ianus coronæ inuentor.

Ianiculũ

Digitized by Google

... ū vn... ... dictū: Italia quando Ianicula dicta. ne etiam credibile eſt Ionium, quaſi Ianium eſſe dictum? Quid prætereà ſibi vult in numiſmate nauigium illud inſculptum, quàm arcam illam, qua ſe ab aquis omnia ſubmergentibus liberauit. Et Ianiculam Italiam prius eſſe dictam refert Cato in Originibus. Iano vita functo Gallum, *Gallus Comer. Italia quō Gallia ſit dicta.* cui Comero cognomen fuit, ſucceſſiſſe quoque lectum eſt: à quo etiam Italiam mox Galliam eſſe nominatam. Et adhuc hæc pars noſtra Gallia nomen ſeruat, velut ætatis aureæ præclarum monumentum. Et fortaſſe Tranſalpini Gallià nobis origines traxere: vt à Cenomanis Brixienſibus Cenomani in Gallia Celtica: qui hodie eorum lingua *Boiorū origo. Cenomanorum origo.* Lemans appellantur, Andegauenſibus proximi, & Rhedonibus verſus Oceanum. Sic à Boijs olim populis ferociſſimis, quorum nunc metropolis eſt Bononia, Boij in Tranſalpina Gallia Heduis vicini, quos hac ætate Borbonenſes appellamus.

Gallus quid ſignificat, præter omnium opinionem. Cap. IV.

SEd rurſus redeo ad Iani numiſma, in quo nauigium fuerat inſculptum. Quo ſignificari arcam diximus, qua Iannus ab aquis vindicatus eſt. Id nauigij Scythæ gallim, & gallerim vocant: ſic & fluctus Hæbrei gallim nominant, & gallos, qui fluctibus non ſunt oppreſſi: vel quòd aquis oblectentur: aut quòd nauigio valeant, vel quòd Gallorum regio maximè fluminibus irrigatur. Hæc ſunt (inquit Bonauentura) cucullatorum mera inſomnia: & profectò in tuam opinionem nullo negotio declinaſſem, niſi contigiſſet mihi ad Merulam Alciati epiſtolam ſuper hac re ſcriptam inſpicere: in qua hæc verba ſcripta eſſe memini: An veriſimile tibi ſit, veteres Gallos nomine caruiſſe, & legationem ad Iudæos in Syriam, tunc hoc in cœlo prorſus incognitos, miſiſſe nomina ſibi poſtulatum? Non ſunt hæc & huiuſmodi Hebræa in albo reponenda

cum

Digitized by Google

cum præſertim ad hiſtoriam conducere poſſint nihil, obeſſe verò plurimum. Hebræorum enim æquè in ſcriptis vt in verbis ſublecta ſemper fuit autoritas. Gallos igitur interprætabor, ſicut prius, & Galatas, non autem aquis ſuperſtites. Quid eſt ergo (inquit Iouius) quod in Timæo apud Platonem legitur Solonem ab Aegyptio ſacerdote his ferme verbis argui? O'Solon, Solon Græci ſemper eſtis pueri, nec quiſpiam è Græcia ſenex repertus eſt. In vobis iuuenis ſemper eſt animus, in quo nullæ ſunt vetuſtatis reliquiæ, & nulla cana ſcientia. Nec mirum, quia apud vos multæ, & variæ hominũ exterminationes extitere: eruntq; aut ab igne, aut aquarũ vaſtitate. Sic tẽpeſtate Phaethontis in qua conflagraſſe apud vos omnia: & ſub Deucalione, diuerſiſq; alijs temporibus aquarum illuuionibus corrupta fuiſſe omnia non prorſus eſt fabuloſum. Fit enim longo temporum interuallo quædam cœleſtis orbis permutatio, quam vel inflammationis, aut aquarum populatur iniuria. Nilus verò ab hoc detrimento nos facit innoxios. Apud Aegyptios igitur monumenta ſunt antiquiſſima, quæ apud vos, & alias gentes certis temporum curriculis cœlitus, & neceſſario immiſſa vaſtat illuuies. Idcirco poſteritas & litteris, & muſis prorſus orbatur: quò fit, vt quaſi iuuenes ſitis, & rudes, & præteritarum rerum penitus ignari. Autoritas igitur Platonis, qui fuit naturæ priuilegium; facit vt Hebraicis monumentis, quæ ab Aegyptijs ad eos fluxere, aliquando inſiſtam: tametſi ea vitio det Alciatus, qui vt mihi videtur, deus eſt tuus.

In Iudæos, & de Longobardis, & Gotthis hiſtoria. Cap. V.

QVid habent (inquit Bonauentura) obſecro Aegyptiorum, Hebræorumve ſcripta fidei? Quid Beroſus, qui pluribus, præſertim tibi ſacra eſt anchora?

Digitized by Google

chora? Quid demum Zanchi cuculla? qui Beroſum ſequitur & Magaſthenem Perſam: quorum autoritas apud me eſt tanti, quanti ſunt apinæ, tricæq; Quid Ponticus Virunius, qui Hebræus ferè videri poteſt? Quid autoritatis habet delira illa Hieronymi Gauardi cuculla Auguſtiniana? cui omnis argumentationis typus eſt circa Iudaica? Audi igitur non me, ſed Alciatum, cuius autoritas hac in re mille cucullis anteponenda eſt. Is aliquando ſuper Hebraicis delirantem ferè Merulam his ad ipſum ſcriptis litteris arguit. Viterbum, inquit Ioannes Annius, qui Beroſum illum fabuloſum commentatus eſt, quaſi vita herbum, à delitijs videlicet herbarum; alij quaſi vi Tibur, id eſt, paruum Tibur; quod in lingua Hetruſca (vt ipſe ſomniat) ſit paruum. Alij vi Thele à Thebano Hercule, Raymundus Marlianus quaſi vita inermium. Blondus à vi turrium. Hermolaus Barbarus à vita Heorum. Vide quas nugas Merula. Ego lecto Deſiderij regis Longobardorum decreto, quo inquit, tria oppida Longulam, Vetuloniam, & Volturnam ſub vno muro cingi iuſſiſſe, totamque vrbem Viterbum appellaſſe: Facilè ad Etymum Germanicum reſpexi (erant Longobardi maiores noſtri Germani: imò vt Corn. Tacitus atteſtatur, nobiliſſimi Germanorum, qui trucidatis Romanis, & Gotthis Italiam omnem tenuerunt.) Viterbum enim eorum ſermone ampla ſtructura ſignificatur. Vides igitur Merula quàm facilè errent qui aliunde quàm à Longobardis Longobardorum oppidorum nomina deducunt; eos autem maximè errare credendum eſt, qui à maximè remotis gentibus rem trahant. Habent Hunni, habent Angli, habent Gotthi pleraque in Italia à ſe indita locis nomina, in ea enim diutius belligerarunt. At Iudæi quas bellicas laudes ipſi poſſunt prætendere? ſuperſtitioſa gens, & imbellis, & ad omnium ſeruitium nata: adde quòd & indoctiſſima. Exceptis enim ſacris Biblijs, quæ ipſi inuidia, & liuore in Chriſtianos corrupere,

Lõgobardi nobiliſs. germanorũ.

rupere,

Digitized by Google

rupere, adeò vt ſatius ſit eo in argumento commentaria Græca perlegere: nullius doctrinæ quendam ſua in lingua idoneum habet autorem, non medicum, non philoſophum non hiſtoricum. Apage igitur recutitos hoſce & ſabbatarios, nec à maioribus noſtris Longobardis deſcidiſcas, vt alieniſſimos ſequare. Potuiſſet (inquit Iouius) de Iudæis Alciatus modeſtius ſentire, & caſtius loqui. Poſſem, ſi daretur narrandi locus, ſuper hac re Alciato, quem inuito ſenatu, populoque grammatico cognoſco eſſe tuiſſimum, aduerſari: ſed cum facilè animaduertam tam longam verborum ſeriem ab auribus veſtris non ſuſtineri, illud Ciceronis pro L. Flacco pro Iudæis tuo, Bonauentura, ſatiſfaciat Alciato: Cum aurum (inquit) Iudæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris prouincijs Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Hæc ille. Iam aſcendit (inquit Corbetes) hæc veſtra ad contentionem diſputatio, idcirco ne tempus, quo nihil eſt pretioſius, his nugis conteratur, obſecro, te Iouie, vt ſub compendio Longobardorum, & his priorum Gothorum hiſtoriam nobis enarres; & an Getharum & Gotthorum eadem ſit natio. Gethas, & Gotthos eoſdem eſſe populos non dubito plurimis coniecturis adductus, è quibus duas aut tres adduxiſſe ſufficiat vobis. Hælius Spartianus in Pertinace hæc de ijs populis, quos vulgus Gotthos vocat, poſteritati tradidit: Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixiſſe, adde ſi placet etiam Gethicus maximus: quòd Getham occiderat fratrem, & Gotthi Gethæ dicerentur: quos ille dum ad Orientem tranſit, tumultuarijs prælijs deuicerat. Is Getha à fratre occiſus, natus eſt Mediolani Seuero, & Vitellio Coſs. VI. KAL. Iunias. Aurelius quoque Prudentius Gethas appellat, & eos ab Iſtro (qui alijs eſt Danubius) patrio veniſſe teſtatur. Idem quoque ſcriptum legiſſe vos puto apud Claudianum libro quartodecimo his verſibus.

Gotthi & Gethæ an idem ſit populus.

Aſpice

Aſpice Roma tuum iam vertice celſior hoſtem,
Italia detrurſus eat, quantumq; priori
Diſſimilis, qui cuncta ſibi ceſſura ruenti
Pollicitus patrij numen iurauerat Iſtri,
Non niſi calcatis loricam ponere roſtris.

Gotthos enim intelligit, quos iam occupata maiore ex parte Ciſalpina Gallia Stilico ad Atheſim in Veronenſi agro, ad Pollentiam, ad Aſtam fuit: vt lib. 8. idem Claudianus his verſibus atteſtatur.

Tu quoque non paruum Getico Verona triunpho
Adiungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſonijs: aut mœnia vindicis Aſtæ.

Longobardi. Tranſeo ad Longobardos maiores noſtros: quibus ætas nulla bellaciores vidit. Quam rem ſi creditis minus, ne pigeat obſecro Cornelium Tacitum audire: Contra (inquit) Longobardorum paucitas, nobilitaſque plurimis ac valentiſſimis nationibus cingit, non per obſequium, ſed prælijs, & periclitando tuti ſunt. Audite item Velleium: Fracti Longobardi gens etiam Germana ferocitate ferocior. Miſnenſium hodie regionem Longobardorum ſedem antiquiſſimam fuiſſe plures volunt. Hos Tacitus Sueuis attribuit. Vueſtualis alij; quod hos non procul à Rheno Ptolemæus ponat.

De moribus Ciſalpinorum Gallorum. *Cap. VI.*

NEmini igitur ſit mirum, ſi Ciſalpini Galli & pacis, & belli muneribus ſunt idonei, quando tam præſtantes progenitores habeant, quibus nulla gens eſt ſub cœlo æquè ferocior. Tunc ſubridens Bernardus Felicianus,

Fa-

Facies nos, inquit, Benedicte inſolentes nimis tanta origine. Qua longè Romanis feliciores ſumus, atque etiam ipſis Hetruſcis. Illis enim paſtores è Phrygia, his autem Lydus Volſus principia extitere. Verùm Ciſalpinis Gallis diuerſi ſunt mores. Siquidem Alpinis ſunt planè agreſtes: qui altiora montium feri, & prorſus inſociabiles: quales exiſtunt, qui Veruaſcam circa Verbanum Vallem tenent, hi .n. Troglodytico penè more Alpium cauernas ſubeunt, ſparſimq; per inuia nemorum montanorum ritu ferarum vagantur. Qui verò ad lacuum, vel fluuiorum ripas iacent, ad fabrilia opera, & agriculturam ſunt idonei ad vaſa lignaria tornanda ſunt ſolertes. Alpini habitudine corporis firmiſſimi, ad multam ætatem degunt, & quanquàm ſenectute premantur, à laboribus tamen non niſi decrepiti abſtinent. Errant autem plurimum ſicut Nomades cum gregibus vel in ſuis, aut alienis, aut conductis paſtionibus vigilias caſtrenſes agentes, ſupellectile ad Scytharum conſuetudinem plauſtro, vel equis impoſita. Montanis multis, niſi quatenus in planiciem deſcendunt, aut in viciniam deflectunt, vſus panis eſt incognitus. Veſcuntur autem caſtaneis, lacte, caſeo, & cæteris, quæ ſua ſponte dat terra, muneribus: reliqua gulæ irritamenta non nouere. Horum mulieres quemadmodum & Laxamatarum munia virorum egregiè ſupplent, nec pugnam, ſi caſus tulerit, viris admixtæ detrectant. Inter aquas victus eſt plurimis, dum nauibus vltro, citroq; merces conuehunt. Salaſſi, quos hac ætate Pedamontanos vocari audio, ſi per milites liceret, cuticulam ſtudioſe curarent, ad munia belli prorſus inhabiles. Cæteri verò Galli vſq: ad Rubiconem ingenio tantùm valent, vt illud ad omnia facile applicent. Corporis magnitudine ſunt Italis proceriores, Gallis verò Tranſalpinis & Germanis inferiores. Quantum bello valeant, dicant, qui eos ſunt experti aliquoties Itali. Ferè tamen credibile eſt prodigioſæ ſtaturæ

homines hanc regionem genuiſſe. Taceo quod Euſtachius memoriæ prodidit de Lyge gigante in Dionyſium Afrum, quem ait hunc tractum incoluiſſe: venio ad recentiora: Tempore quo Ludouicus Sforcia rerum potiebatur apud Inſubres, & Lebuos, cum Lambrus aquis extenuatus laberetur, pars caluariæ, & dens magnitudinis immenſæ repertus in fundo aluei. Dens primo marmor exiſtimatus eſt, mox oſſea materia depræhenſa eſt. Per eadem ferè tempora [vt Georgius Merula, qui ſe vidiſſe refert hæc omnia, ſcriptum reliquit] eodem in fluuio dentes item duo, & os informe effoſſi fuere: quod non ſatis poterat diſcerni, armi ne fuerit, an coxendicis: niſi quòd in extrema parte forma acetabuli inerat. Ex his vt Venetias deferretur Mauroceno Venetorum legato Bartholomæus Chalcus vir omnibus rebus ornatiſſimus, qui tunc à ſecretis erat Sforciæ, vnum tradidit.

Quibus edulijs, & rebus abundet Ciſalpina Gallia. Cap. VII.

HAbent quinetiam [vt aliquid etiam à me dicatur extra lineam] noſtræ Ciſalpinæ Galliæ regiónes ſingulæ ſuas dotes. Cereris .n. copia ferè omnis tractus frequentiſſimus eſt, nullus tamen Laemellino, aut Alexandrino anteponendus eſt. Rhetica vina, & quæ in Orobijs Inſubrum; & apud Nouarienſes ſunt, ferè paria in Italia tota non reperiuntur. Oleum Comenſe Venafrano non inferius eſt. Mella paſſim, ijs exceptis duntaxat, quæ ad Alpes naſcuntur propter caſtanearum folia, Hymetijs, Hyblæis, Calydonijſq; ſunt ſimilima. Caſeum quis ſani intellectus Veſtinum Nouarienſi, aut ei, qui intra Adduam & Ticinum ſale duratur, comparabit? Quo adeo oblectatus eſt Antoninus Pius, vt eum pro vſu Romam transferri curaret, vt his verbis Iulius Capitolinus atteſtatur:

Digitized by Google

ſtatus. Cum Alpinum caſeum in cœna ediſſet auidius, noctc reiectauit: atque alia die febre commotus eſt. Coturnicem regio habet nulla ſapidiorem. Hœdos quoq; Ambraciensibus petulciores reperiemus. Roſæ Mediolanienſes commendatione Carini Imperatoris, qui eas abuſque Mediolano Romam vehi curabat, cæteris ſunt gratiores, vt refert Fl. Vopiſcus. Quanta ſit apud Inſubres rerum omnium, quæ ad hominis victum pertinent, felicitas, indicio ſunt ſuperioribus temporibus exercitus Imperatoris, Gallorum, Pontificis, Venetorum, & Franciſci Sforciæ non modo delitijs alti ſed nummis, per decennium & opibus propè ditati: Quos profectò tota Italia, addite etiam ſi placet Siciliam non ſuſtinuiſſet. Lanas prætereà fert optimas, de quibus ita ſcribit Strabo: Lanam verò mollem Mutinenſis ager, eaq; regio, quæ ad fluuium Scutanam pertinet, fert omnium longè optimam: hirtam verò Liguſtica, & Mediolanienſis, ex qua bona pars Italiæ ſeruitiorum veſtitur. Mediocrem autem, ea quæ circa Patauium, ex qua precioſiſſima tapeta, & Gauſapinæ fiunt. Mulas Venetas Iliados β. Homerus extollit hoc carmine.

Ἐξ ἐνετῶν ὅτεν καὶ ὀνῶν γενύος ἀγροτεράων. ideſt

Mularum genus è Venetis quod robore præſtet.

Fructibus autem ſic referta eſt Gallia, vt pomarium tota videri poſſit. Eſt & huic regioni peculiaris arbor, quam betullam Gallicam vocant autores, miro corticis candore qua nulla facit. Eſt & herba odoratiſſima: ea doctis eſt nardus Celtica, vulgo lauanda. Per Alpes item, & Apenninum ex quadam arbore fungus enaſcitur, quod agaricum dicerem, niſi eſſet efficax minus. Ne Iouium veſtrum aliquis tamen circa hæc ſedulum, inſanientem dicat: fecit hoc idem M. Varro, qui edulium genera in ea Satyra, quæ περὶ ἐδεσμάτων inſcripta eſt, celebrauit his carminibus ſenarijs.

Betulla gallica arbor.

Nardus celtica, quæ vulgo lauanda dicitur.

Pauus è Samo, attagena Phrygia,
Melicæ grues, hœdus ex Ambracia,
Pelamis Chalcedonia, murana Tarteſia,
Aſelli Peſſinuntij, oſtrea Tarentia,
Pectunculus Chius, helops Rhodius,
Scari Cilices, nuces Thaſiæ,
Palma Aegyptia, glans Iberica.

Fecit hoc etiam Plutarchus, apud quem celebratum inuenio ſumen, & fungos Italiæ, placentam Samiam: niuem apud Aegyptios. Præterea ſi mihi vitio dabitis non Varronem, & Plutarchum, ſed Pollucem quoque damnabitis celebrantem Tyrium thymum, ceſtreum ex Scyatho, hœdum ex Melo, conchas Pelorinas, teutlon ex Aſcra, galeum Rhodium, ctenen Methymnæum, pſetas Eleuſinas, apuas Phalericas, tryglas ſiue mulos ex Ionia, anguillas Beotias, caſeum Cythnicum, ſalem Tragaſæum, rapa apud Mantineam, fabas Aegyptias. Strabo quoq; in Aſcalonienſium tractu præcipuas cæpas gigni memoriæ prodidit. Sed quid hæc? tanquam non pollicitus ſim dicturum me aliquid extra lineam vobis.

De Lapidicinis. Cap. VIII.

QVanto (inquit Felicianus) interuallo opinionem de te meam exuperas? nunc ego te Varroniano illo Tricolce præſtantiorem puto: & tantùm cæteris præcellis ingenio, eruditione, quantum (vt inquit paſtor ille apud Virgilium) lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Tibi ſunt (inquit Iouius) hæc laudum adſcribenda præconia. Quis eſt .n. hac ætate, qui litteras profitetur, vel fæliciſſime, vel ieiunè, cui non ſit cognitus Felicianus? Verùm ne ab his adagio illo, quo aiunt Mulos

mutuum

Digitized by Google

mutuum ſcabere, inuramur: quod horum magis ſatisfaciat palato. Non vanum erit igitur huic noſtræ fortaſſe narrationi immenſas naturæ opes intra almæ parentis viſcera reconditas annectere. Quas hominum ingenia ad luxum potius, quam ad vtilitatem exquiſiuere. Sed quo fato id eueniat mali, prorſus ignoro: vt maiores noſtri de ijs iampridem, & ſæpe conqueſti ſint, & de nobis poſteritas conqueratur. Hæc ò benedicte candidiſſime (inquit Felicianus) repræhendi à nobis, quàm emendari magis poſſint: ſatius fuerit: omiſſis his temporum querelis, quamprimùm, quod pollicitus es abſoluere. Qui hanc noſtram (inquit Iouius) Ciſalpinam Galliam Bramantius ſenior, ſingulariſſimo, & abſolutiſſimo vir ingenio, perluſtrauit, carbunculos [quos ante ipſum ſola mitebat India] Diui Galeacij Sforciæ patrum ferè noſtrorum memoria Inſubrum ducis effodit: vt moroſiſſimarum mulierum deſiderijs obſequeretur. Hos argentarij Mediolanienſes Rocchæ nouæ Rubinos nominant. Clariores ſunt Orientalibus, & ſumma cum difficultate è ſaxo cælis euelluntur. Vnde ſæpenumero impenſa maior eſt, quàm lucri acceſſio. Mons, vbi exciduntur, vltra Bilitionem eſt rectà tendentibus ad Leopontios, non procul ab Abiaſco qui pagus eſt, vbi Leopontina vallis Bregnanæ coniungitur. Gemmas ordine ſequuntur marmora ob quandam penè ſimilem materiam, niſi quod hæc terrea ſunt magis. Hæc duobus in locis propè Athiſonem Candiæ videlicet, & Ornouaſcj candida excauantur. Speculare marmor, quod eſt nigrum à Romanis luculleum dictum, in Nouarienſium Alpibus effoditur iuxta Lacum Ortæ. His marmoribus vſq; ab anno. MCCCLXXXVI. Mediolanienſes Deiparæ Virgini templum, quod altitudinis faſtigio, quanquam adhuc imperfectum tranſcendere nubes videtur, conſtruunt. Quod abſolutum euincet omnino, quæcumq; ſub ſole ſunt hominum manu facti miracula. Alterum ſimiliter matri Partheniæ, quam ad Celſum vocant

in

Digitized by Google

in ſuburbijs conſtruunt: cuius aſpectus pulchritudinem olim poſteritas mirabitur. Silices, quibus cœnoſæ viæ per Inſubres ſternuntur in vrbibus, & opidis vltra Angleriam Buzirates vicus copioſè ſubminiſtrat.

De euripidis duobus, è quibus vnus à Ticino, alter ab Abdua Mediolanum deflectuntur. Cap. IX.

E' Ticini decurſu per CC. ferme ſtad. maiores noſtri inediæ auerũcãdæ (voculis vtor Catonianis) cõſulẽtes labentem pernicioſiſſimo impetu Euripum vſq; ab Beatum Inſubrum oppidum munitiſſimum, mox velut feſſum Mediolanum intra vrbem ipſam deduxerunt, anno à Virgineo partu MCCLVII. per tempora Martini Turredani, qui mox inter Inſubres primarias partes obtinuit, vbi egregiè ſenatorem Romæ egiſſet. Nauigium à nauium copia vltro, citroq; commeantium ſemper vulgus appellat. Vtilitatem, quæ hinc emanat, cùm ob rerum ferè omnium copiam, tum ob ſalubritatem aeris, oratione quis amplecteretur? Hinc .n. piſcium ſunt viuaria frequentiſſima: hinc per hortos Nili deriuantur: hinc ſub ipſo limine Nereidum chorum habent Mediolanienſes adludentem. Non qualem Veneti, aut Genuates aſpiciunt, inſuauem ſcilicet, & aſpectu ipſo formidabilem: ſed qualem Ticinus emittit, blandum videlicet, & amœniſſimum. Perfruimini ergo Mediolanienſes aſpectu nympharũ pulcherrimo, & Napearum cætu florentiſſimo: & hac ætate præſertim nauigio addito ex Addua altero quod alterius aquarum ſæpe penuriam excipit. Id cum Sforciæ Franciſci primi liberalitas ſub Triccio oppido munitiſſimo excauarit, gloriam ipſius donec fluet, atteſtabitur: per quem multifaria merces ex Orobijs proximis, Cenomanis, & Venetis in vrbis ferè vmbilicum deuehitur.

Beatum oppidum

Triccium.

De-

De idiomate Gallorum antiquiſsimo. Cap. X.

QVietis venia meritò daretur (inquit Cribellus) tibi, niſi ſolus nos torqueret articulus: quem vbi abſolueris, tam tibi debebo, quam qui maximè. Quid magis antiquius eſt [ait Iouius] mihi, quam amicorum votis obſequi? tibi præſertim, qui ob ſingularem animi candorem, & litterarum politiam es mihi cariſſimus. Diu (inquit Cribellus) hæſitaui, & adhuc in eadem verſor rota, qui fuerit maioribus noſtris ſermo: hæſitantiam faciunt, plures Græcorum voculæ, quibus materna lingua vtimur, ne illi Græcè locuti ſint. Puto (inquit Iouius) ante Romanorum tyrannidem ambabus idioma Gallijs fuiſſe commune: cum propter originem, tum propter viciniam. Græculas voces in hanc regionem per tempora C. Cæſaris tranſcripti Comum in coloniam Græci attulere. Quòd nobis à cæteris Italis ſermo diuerſus extiterit, declarant quædam vocum apud probatiſſimos autores reperta diſcernicula. E' quibus exempli gratia vobis pauca dixiſſe ſufficiat iuxta Virgilij illud:

Et crimine ab vno
Diſce omnes.

Acorus radix eſt notiſſima, eam Romani radicem nauticam vocabant Galli verò maiores noſtri piper aqueum. Ploxenum cuius meminit Catullus, Tranſpadanis Gallis caſpa fuerat. Sic aſarum radicis eſt genus: ſed Latinis perpenſa, Gallis bacchar. Virgam ſimiliter Galli dicebant, quam purpuram alij: ad quod ſignificatum in octauo Virgilius alluſit, cum inquit:

Virgat lucent ſagulis.

Argemonam quoq; herbam ſcitis eſſe, Romani tamen eam concordialem, & Galli coronam vocabant. Nobis item ſuibetes herba fuerat: quæ Romanis ſyluæ mater, & Græ-

eis chryſocarpos. Item qui nobis eſt equus, maioribus noſtris erat marca: & actum ipſum equitandi materna lingua adhuc marchiare dicimus: vnde Marcomani populi ſunt dicti, quod equo, qui marca dicitur, aut valeant, aut obſectentur. Non audiret te (inquit Bonauentura) vir doctiſſimus Vadianus. Marcomanos. n. putat vocatos Germanicè: quod Mark Germanorum idiomate limes ſignificatur. Vnde Marchiones, qui ad tuendum imperium Romanum cum militibus aduerſus barbaras nationes limitibus præerant, dicti ſunt. Plurimi (inquit Iouius) eſt apud te Vadiani authoritas, maior apud quoſcumq; tamen Pauſaniæ: apud quem hæc legiſſe aliquando contigit. Τοῦ τε τούμαζον τὸ σύνταγμα Τριμαρκισίαν τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ. Καὶ ἵσπων τὸ ὄνομα ἴσω τις μάρκαν ὄντα ὑπὸ τῶν Κελτῶν. Hæc ille. Vides ergo, Caſtillionæe, an Vadianus fallatur, an ipſe decipiar. Ex his igitur liquidò ſatis conſtat, non fuiſſe maioribus noſtris cum cæteris Italis idioma commune. Nunc, poſtquàm muneri ipſe meo pro virili ſatisfecerim, obſecro vos, vt veſtra omnium gratia tacere liceat mihi.

De magnificentia Mediolanienſis vrbis, deq; nonnullis ſcitu digniſsimis Gallorum Ciſalpinorum geſtis. Cap. XI.

HÆc cum dixiſſet Iouius, manu mento ſuppoſita quieſcebat. Tunc Felicianum omnibus intuentibus (inquit Caſtillionæus) Optarem, Feliciane candidiſſime iuuenis, vt vrbis noſtræ, quando hæc nobis liceant minus, præconia diceres: horum omnium ſilentium te loquentem expetit: in te vno noſtra nunc vota ſuſpenſa ſunt. Vtinam [inquit Felicianus] ea in me ſit ingenij felicitas, qua poſſim, & deſiderijs veſtris ſatisfacere, & exiſtimationi apud vos meæ. Quamobrem veſtrum fuerit munus, cum dixero,

ro,

ro, ſi in parte aliqua declinatum erit, vel me venia dignum exiſtimare, aut tumultuario ſermoni adſcribere. Cæterum ne à veſtrum aliquo noter, ea tantùm, quæ ſunt in ore omnium, vel quæ ipſi vidimus: idcirco attendite. Maxima ſemper fuit apud quaſcunq; nationes Gallorum Ciſalpinorum, & autoritas, & virtus formidoloſa: inuenio ſiquidem in Græcorum monumentis ad Alexandrum Macedonem, quem ob res geſtas Magnum cum cæteris autoribus appellamus, Gallorum Ciſalpinorum legatos hoſpitalitatis, & amicitiæ gratia veniſſe: fuiſſeque in conuiuio, quo omnium ferè gentium oratores acceperat, à Rege potentiſſimo interrogatos, Quidnam eſſet, quod Galli maximè timerent: Tunc præter omnium opinionem reſpondiſſe, Aliud, inquam, nihil rex præſtantiſſime, quàm ne ſupra nos cœlum, aut Alpes ruant. Quod reſponſum omnino fefellit animum regis, eum eſſe ſe, quem formidarent, dicturos opinantis. Quibus verbis credibile eſt Alexandrum de bello Gallis inferendo, quæ talium virorum eſſent alumnæ: ſed per ea tempora contra Hetruſcos quorum opes terra, mariq; latè patebant, in armis erant: qui XII. vrbibus conditis in Ciſalpina Gallia vniuerſam Italiam tyrannide premebant. Nullus enim Rex citra eorum autoritatem creabatur. Itaq; cum per eoſdem Romulus rex declaratus eſſet, captata Mithridates Ponti rex occaſione Romanos appellauit Hetruſcorum vernas. Hos tamen quanquam potentiſſimos Galli Ciſalpini non ſuis modò finibus eiecere, ſed in eorum agro bella geſſere, omniq; dignitate, & imperio priuarunt. Profligatis Hetruſcis pacis impatiens, & ferox populus in finitimos Venetos, & Medoacos, arma conuertit: eaq; diu exercuit vario Marte. Cumq; horum arma contemptui haberentur, vtpote qui eſſent Paphlagones eiecti, in Hetruſcos rurſus Duce Brenno omnem belli impetum contulere, cùm eſſent ab Arunte quodam ad id facinoris excitati. Cluſium ergo tunc Hetruſcorum metropo-

lim cum maiores noſtri obſiderent, ſuperuenere Romanorum legati, quorum autoritate ſedari poſſe bellum Tuſci putabant. Verum cùm res non ſuccederet aperto Marte Hetruſci Gallos aggreſſi ſunt, quo in prælio cogniti ſunt Romanorum legati. Cluſio igitur relicto, Romam infenſiſſimo agmine petentibus, ad Alliam fluuium exercitus Romanus occurrit: quem cùm Galli viriliter excepiſſent, ferè ad vnum Romani interiere, eaq; dies inter nefaſtos relata eſt. Nec multo poſt defenſoribus vacua, & capta, & incendio à Gallis Roma conſumpta eſt. Huius rei autorem habeo Sex. Ruffum virum Conſularem: qui hæc memoriæ prodidit: Galli qui Italiæ eam partem tenent, vbi eſt Mediolanum, vſq; ad Rubiconem amnem, ſuis viribus freti Romam ipſam bello petiere, cæſiſq; exercitibus Romanis ad Alliam fluuium, mœnia vrbis intrarunt, Capitolium obſedere. Ad cuius arcem ſexdecim ſenatores nobiliſſimi confugerant, qui mille auri libris ſe obſidione redemerunt. Videtis ergo ab Inſubribus vrbem deletam: qui mox per Apuleiam vagantes Gallipolim condidere: hinc ſoluentes in Græciam delati eam ferè omnem populati ſunt. Annos poſt aliquot rurſus in Romanos Galli inſurrexere: Quo in tumultu T. Quintium Dictatorem, qui niſi deſperatis rebus creabatur, factum reperio, cùm iam Galli ab vrbe ad tertium lapidem via ſalaria trans pontem Anienis caſtra poſuiſſent. Quorum timore, & iuſtitium indictum eſt, & iuniores ſacramento militari adacti. Tertius in Gallos Dictator fuit C. Sulpitius, M. Popilio Lenate, & Cn. Manlio Coſs. Poſt multas tandem acceptas, illataſq: clades vix arma depoſita fuerant: quando maiora inter Gallos Romanoſq; bellorum incendia exarſere: ſiquidem reparatis vtrinq; exercitibus, vt ſi quando aliàs, acriter ad arma itum eſt. Et cum Galli in agro Latino caſtrametati eſſent, iuniores rurſus ad militiam coacti ſunt dare nomina: quòd ſcirent Gallicam gentem, & bellacem eſſe, & ingenij audi

ad

Digitized by Google

ad pugnam. Quo in certamine conſul vulneratus in Romanos fugientes hac oratione vſus traditur: Quid fugis miles? non cum Latino, Sabinoq; hoſte res eſt tibi: quem victum armis ſocium facias ex hoſte. In beluas ſtrinximus ferrum: hauriendus, aut dandus eſt ſanguis. L. Volumnio, & Ap. Claudio Coſs. cum Hetruſci, Samnites, & Vmbri in Romanos coniuraſſent, reperio ab ijs Gallica auxilia fuiſse mercede conducta, quod cognoſcerent Gallos, & bellaces eſse, & nomini Romano infenſiſſimos. Decio itē Decij filio Cos. acerrimè pugnatum eſt contra Romanos. Quos cum Decius fugientes nullis aut precibus, aut minis retardaret, dijs manibus ſe deuouit, M. Liuio Pontifice adſtante; confectum eſt hoc certamen in agro Sentino, non procul ab Eſi fluuio. Hanc vrbem Longobardi vaſtarunt. Erant Galli cùm ob viciniam, tum ob virtutem Romanis terrori: & tumultus Gallicus cum maxima formidine ſemper exceptus. Idem etiam Plutarchus affirmat his verbis in vita Marcelli: Faciebat id loci vicinia, & Gallorum dignitas: tanquam qui recordarentur ſe, & ab ijs ad Alliam cæſos, & vrbe fuiſse deiectos. Peracto primo Punico bello cladium, & ſtragis faces ex huiuſmodi cauſa inter eoſdem rurſus emicuere. Irruperant more torrentis per agrum Hetruſcum Galli, Aretiumq; acriter obſidebāt. Romani Tuſcis auxilium ferentes in pugnam deſcenderunt: qua in pugna, ſi aliàs vnquam Gallorum virtus enituit. Nam & exercitus ad excidium deductus, & interfectus eſt conſul. Cum verò pro redimendis captiuis Ro. oratores Mediolanum veniſsent, contra ius gentium interfecti ſunt. Itaque ſenatus huiuſce facinoris indignatione commotus, delectu per Italiam habito, bellum reparauit in Gallos, quod ad multos annos geſtum Senonibus, qui proxime Italos habitabant, excidio fuit. Sunt qui ſcribant hæc ante primum Punicum bellum fuiſſe geſta: quod eo confecto ſubſecutum ſit Illyricum: mox tumultus Galli-

cus. Hanc ob cauſam C. Flaminius ad populum legem tulit, vt ager qui Senonibus ademptus fuerat per ſuperiora bella, Romanis ciuibus diuideretur. Id cum Boi intellexiſſent, qui Senonibus inhærebant, malè ferebant hanc Romanorum viciniam. Super hac re igitur inter Ciſalpinos Gallos conuentus eſt habitus. Quibus in comitijs contentio omnis conſumpta eſt refricandis iniuriarum vulneribus antiquis, & recentioribus. Tandem poſt longam conſultationem ad arma ſucclamatum eſt. His pactis Congolitanum, & Aneræſtem reges eligunt: quibus ſumma totius rei commiſſa eſt. Hæc vbi Romæ nunciata ſunt, variè trepidatum eſt, diſcurrentibus alijs ad portas vrbis, alijs ad mœnia, pernoctantibus alijs in foro. Omnia certatim deferri in oppidis validioribus ab agris: ac ſi adfuiſſent pro mœnibus Galli, qui domo nondum ſigna promouerant. Accuſari ab alijs Patres conſcripti: & à nonnullis ciuium auaritia aſſiduis iurgijs criminari: & parum defuit, quin ſæuitum ſit in belli autores. Tanto igitur belli iam excitato incendio conſules per Italiam, & proximas inſulas habere delectum, parare arma, cogere iuniores, vexilla præparare. Coacti ſunt etiam ſacerdotes, qui belli munere ex S.C. vacabant, ad militiam dare nomina. Romanorum autem formidinem vel apparatus ipſe declarat: nunquàm .n. tot Italorum millia fuiſſe in armis proditum eſt. Veniebant enim in mentem Rom. vrbis incendia, exercitus ad Alliam cæſus, tot dijs ſæpenumero aduerſis contra Gallos ſuſcepta certamina; & hanc ob cauſam velut fatalem Romanis Citeriores Gallos formidabant. Sic in vrbe, & apud ſocios impigrè delectus habebatur: & quaſi non ſemel pugnandum eſſet, tot copiæ conſcriptæ ſunt, quot antea, nec poſt (quas ipſe legerim) nunquàm. Siquidem Polybius refert fuiſſe in Romanorum exercitu DCCC. & L. mil. peditum, equitum autem III. & CC. mil. Plinius DCC. ped. mil. equitũ

Digitized by Google

verò tantũ mil.LXXX.fuiſſe atteſtatur. Et antequam copiæ proficiſcerentur, ſacrificij genus facere coacti ſunt, Sibyllinis cedentes monitis, quibus continebatur, Græcos homines: totidemq; Gallos marem ſcilicet, & fœminam viuos oportere tumulari: cum antea Græcanico more pij, ac mites rem diuinam facerent. Itum eſt tandem cum ijs copijs in Gallos, qui Hetruriam omnem ferro, flammaq; vaſtabant: & diu vario Marte pugnatum eſt vſque ad C. Atilij Cos. ex Sardinia aduentum, quem cum veniſſe Galli cognouiſſent ex crebris ignibus per noctem, totius viribus in aciem deſcenderunt: vt extremam belli aleam experirentur. Præualebant virtute Galli, multitudine verò numeroſiore Itali. Contra L. Aemilium Geſatæ, quibus mos erat, vt nudi pugnarent, cum Senonibus conſtitere & Cenomanis, aduerſus C. Atilium cum Bois, Lebuis, & Salaſſis Inſubres proceſſere, collocatis prius plauſtris, & impedimentis, omnique prædia in proximum tumulum cum præſidio. Cum duas (dictum eſt) frontes Gallorum acies haberent, non ſolum terribiles aſpectu, verum & efficaces ad certamen fuere: verum Inſubres cum Salaſſis, & Bois lunatis ſagulis, & torquibus aureis maximè interlucebant. Interea Gallis equitibus C. Atilium à tumulo arcere conantibus, pugnatum eſt neruis omnibus cum ſumma omnium alacritate. Quo in concurſu cum Atilius Cos. in confertiſſimos cuneos pugnaret, ab equite Gallo haſta transfixus, occubuit, caputq: haſtæ infixum per caſtra delatum eſt. Hic ex morte conſulis maior inuaſit Italos rabies, & rerum deſperatio. Tandem fuſa Geſatarum ſagitis acie, ad cæteros Gallos omnis rerum difficultas redijt. Hic clamor, armorumq: horror, hic equorum hinnitus, qualis antea nunquam pro focis, & libertate Italis, pro gloria autem, & virtute pugnantibus Gallis. Sic omnis ferri experientia à fronte, & à tergo vehementius inſurgebat. Inſubribus & reliquis Gallis nulla

iam

Digitized by Google

iam ſalutis ſpes validiores vires dabat: Itali verò niſi tunc cum tanto exercitu viciſſent: nunquam poſthac fore vt vincerent, arbitrabantur. Cœpere tandem Italorum frontes pedem referre: quod cum tribuni equitum inſpexiſſent, vt fit in rebus proclamatis, procellam equeſtrem demiſſis haſtilibus, & equis concitatis in Gallorum peditatum dedere. Tum demum turbati Galli, ac loco moti, & repulſi ſunt. Quanto animorum ardore tunc pugnatum fuerit, Polybius his verbis oſtendit: Hic tandem belli Gallici finis, quo nullum vſq; in hunc diem vel obſtinatione animorum, vel militum audacia, vel atrocitate præliorum, vel multitudine interfectorum, vel numero copiarum maius, aut audiuimus, aut legimus. Hæc ille. Poſt hanc pugnam L. Aemilius conſul in Boiorum agrum cum exercitu venit, quo vaſtato Romam ad triumphum regreſſus eſt ſecum adducens Congolitanum ex fuga protractum. Aneræſtes alter ſibi mortem conſciuerat, ne foret hoſtibus ſpecioſior triumphus. Sequens annus conſules habuit Q. Fuluium & T. Manlium. Hi accepto exercitu Galliam ingreſſi ſunt: Boioſq; venire in deditionem P.R. coegerunt: qui cum cæteros Gallos adoriri, aut eorum regionem vaſtare propoſuiſſent, crebris imbribus, & oborta per exercitum peſtilitate pedem referre coacti ſunt. Hos ſecuti ſunt conſules P. Fuluius, & C. Flamminius. Galliam itaq; Flamminius aggreſſus eſt: Ananeſq; Gallos ſubegit: hinc Inſubres inuaſit incenſis Taurinorum agris: & caſtra metatus eſt eo in loco, quo Addua in Padum influit: ibi hac ætate Caſtrum eſt nouum, pagus. Inſubres vbi hæc intellexere, armata multitudine ad prohibendos Romanos venere: ibi crebris certaminibus fatigati Romani in Cenomanorum agrum ſe recepere: inde per ſuperiora loca vagantes equites Orobios populabantur. Inſubres itaque agrorum vaſtationem ægrè ferentes ferro quã primùm decernere ſtatuerunt. Facto igitur agmine quin-

qua-

Digitized by Google

quaginta hominum mil. & ſublatis vexilis aureis è templo Mineruæ tanto animi ardore Romanos aggreſſi ſunt, vt vix ab oppugnatione caſtrorum primo aduentu repulſi ſint: paucos poſt dies in ripis Abduæ commiſſa pugna ſuperati ſunt. Tot cladibus attriti Inſubres Romam pro pace legatos mittunt: quibus cum negata eſſet, rurſus ad bellum ſe alacrius comparant: præſertim cum iam Mediolanum ex Tranſalpinis Duce Viridomaro armatorum triginta mil. in ſubſidiũ ſuperatis Alpibus acceſſiſſent. Cõſules erant C. Cornelius Merula, & M. Claudius Marcellus qui acceptis copijs à prioribus conſulibus, Acerras inter Padum, & Alpes vrbem Inſubrum obſidione cinxerunt. Inſubres quòd auxilium obſeſſis ferre non poterant, propterea quòd media quædam loca à Romanis tenebantur, parte copiarum trans Padum miſſa, Claſtidium quod Romani præſidio firmauerant, obſederunt, rati ea difficultate coactos Romanos Acerras obſidione ſoluturos: eo igitur conſilio Claſtidium premebant. Romani bifariam diuiſo exercitu ſtatuere obſeſſis opem ferre. Cornelio igitur onus iniunctum, vt curaret, ne Acerranis ſubſidium præſtaretur; Marcello autem, vt Claſtidianis opem ferret. Quem vbi Padum Galli traieciſſe intellexerunt, conſuli obuiam facti ſunt: inſtructaq; acie Romanos adoriuntur; ibiq; ducis Viridomari temeritate ſunt cæſi. Acerrani autem ſuorum ſtrage audita, vrbem noctu deſeruere. Ita vrbs Inſubrum clariſſima flammis conſumpta eſt. Vltra Linianum miræ celebritatis oppidum in ripis Oronæ pagus viſitur, Acerris adhuc nomen eſt, cum adiacenti regione, quæ Acerrina dicitur. Hìc fuiſſe vetuſtiſſimam Acerrarum Inſubrum illam vrbem puto. Vaſtatis Acerris Cornelius Mediolano copias admouit. Quod cum ſe capere poſſe deſperaret, quod populi frequentia defenderetur, populato circum vrbem agro copias reducebat. Iter facientem Inſubres aſſequuti extremum agmen adeò egre-

Acerrarũ vrbs vbi ſita putatur.

gie

Digitized by Google

giè inuaſere, vt maximus timor ea in parte ſit Romanis iniectus. Conuerſis igitur ſignis conſul totis viribus Inſubres aggreſſus eſt, maximamq; eorum partem concidit: qui pugnæ ſuperfuere in proximos montes aufugerunt. Cornelius re animaduerſa infeſto exercitu Mediolanum reuertitur: nactuſq; vrbem metu perculſam, & defenſoribus vacuam nullo negotio ea potitus eſt. Quieuere deinde Gallorum arma vſq; ad Annibalis aduentum, á quibus & copijs nouis auctum (ferè enim omnem exercitum in tranſitu Alpium amiſerat) ſatis conſtat, & ab his in Italiam accerſitum, cum illi in animo eſſet per Narbonenſem Galliam apertis maritimis Alpibus in Ligures irrumpere, illinc in Hetruriam. Nouiſſimè in Italia ſoli qui ribellauerint, in armis remanſere contra Romanos pulſo Annibale; mox cum Liguribus, quorum arma ferè ſemper coniuncta fuere, vario Marte cum Romanis belligerarunt A' varijs tandem cladibus in amicitiam Romanorum ſunt recepti, priuilegioq; Latinæ coloniæ Tranſpadani, Romanorum more loquor, donati. Sæuientibus deinde bellorum Ciuilium procellis C. Cæſarem ſequuti totis viribus huic bello incubuere, cæteris Gallis propè reclamantibus. Huiuſce rei teſtem habeo Ciceronis epiſtolam ad Tironem Delectus .n. (inquit) magnos habebamus, putabamuſq; illum metuere, ſi ad vrbem ire cæpiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas, præter Tranſpadanos, Extincto Cæſare contra M. Antonium inſurrexere: libertatemq; communem cum Republica Romanorum amplexi ſunt: quod vnicè M. Brutum Cæſaris interfectorem colerent. Negotij huius teſtis eſt Plutarchus: qui ait Mediolani ſtatuam æneam M. Bruti in foro conſpectam ab Octauio: laudatoſq: Mediolanienſes ab eodem, quod etiā in rebus aduerſis amicorum eſſent amici. Quòd arma ſumpſerint in M. Antonium, autorem habeo in Philippicis Ciceronem, apud quem hæc pridie legi: Quid Galliam?

(de

(de hac loquitur citeriore, quam in M.Antonium D. Brutus armauerat) Quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa .n. huius belli propulſandi, adminiſtrandi, ſuſtinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipſum, ne dicam imperium, ſecuta armis, viris, pecunia, belli principia firmauit, eidem crudelitati M. Antonij ſuum totum corpus obiecit, exauritur, vaſtatur, vritur omnis; æquo animo belli patitur iniuriam, dummodò repellat periculum ſeruitutis. Optarem in L.Floro,& alijs nonnullis ſcriptoribus loquendi modeſtiam: qui vt carthas expleant ambagibus, regiones aliquando citra verecundiam pro animi libidine plus æquo vel laudant, vel vituperant. Audite igitur quicunq; eſtis ex hoc grege M.Tullium Philip.III. Quodq; Galliam prouinciam Citeriorem optimorum, & fortiſſimorum virorum, Amiciſſimorumq; P.R. ciuium refertam, exercitumq; in Senatus poteſtate retineat. Verùm, ne ebrium Ciceronem hæc putet dixiſſe aliquis, audiat eundem Philip. IV. Galliam totam hortatur ad bellum, ipſam ſua ſponte, ſuo quoq; iudicio excitatam. Hæc ille. Nunc quanta fuerit, & ſit huius Galliæ Citerioris autoritas, his verbis idem Cicero declarat Philip. III. Nec verò de virtute, conſtantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri poteſt. Eſt enim ille flos Italiæ illud firmamentum imperij P. R. illud ornamentum dignitatis, tantus autem conſenſus eſt municipiorum, coloniarumq; Prouinciæ Galliæ, vt omnes ad autoritatem huius ordinis, maieſtatemq; P. R. defendendam conſpiraſſe videantur. Eundem rurſus audi in quinta Philipp. Galliaq; quæ ſemper præſidet, atque præſedit huic Imperio, libertatiq; communi, meritò vereq; laudetur, quòd ſe ſuaſq; vires non tradidit, ſed oppoſuit. Quòd ſi vni Ciceroni fides non adhibenda eſt, audite M. Antonium apud Ap. Alexandrinum ita loquentem: Nam ſi à Celtis (inquit) abiero, neq; hoſtis, neq; Monarchicus dicar

amplius. Idem cum à Senatu deſtitueretur, petijt Celtarum prouinciam inter Alpes reſidentem: quam D. Brutus obtinebat mente .ſ. repetens, C. Cæſarem ex Celtis prodeuntem Cn. Pompeium ſuperaſſe. Senatus autem Celtarum gentem velut arcem in ſe præparari metuens, conturbari cœpit. Ad hæc quibus copijs vlteriorem Galliam C. Cæſar deuicit, niſi noſtratibus? Primò in Heluetios duas legiones conſcripſit, quas per Ocellum cum tribus quæ circum Aquileiam hyemabant, trans Alpes traduxit. Mox cum eſſet in hac noſtra Gallia, intellexiſſetq; Cæſar Belgas inter ſe datis obſidibus coniurare, nouas legiones totidem conſcripſit ex noſtris militibus? quos Q. Pedio legato in vlteriorem Galliam deducendos dedit. Deinde cum Cæſar maiorem Galliæ motum expectaret, per M. Syllanum, C. Antiſtium Reginum, T. Sextium legatos delectum haberet ab Cn. Pompeio Procoſ. petijt, quoniam ipſe ad vrbem cum Imperio reipublicæ cauſa maneret, quos ex Ciſalpina Gallia conſulis ſacramento rogauiſſet, ad ſigna conuenire, & ad ſe proficiſci iuberet. Quid igitur oblatrat L. Florus eſſe nos niuibus noſtris ſimiles? quando hinc omnium firmiſſimus peditatus ſemper eductus ſit, ad quancumq; belli aleam ſemper paratiſſimus. Verùm non deerunt ex vobis, qui mihi iam vitio dederint, quòd in re ſole clariore morer nimis. Tranſeo igitur ad facinus aliud, quod conſtat à quatuor tantummodo Tranſpadanæ regionis vrbibus cæteris Italis reclamantibus patratum fuiſſe. Hyemabat circa Padum ala Syllana: quæ cum ab Othone Imperatore nullo in pretio haberetur, cognoſceretq; Mediolanienſibus, Nouarienſibus, Vercellenſibus, & Hipporhedienſibus Othonis imperium graue videri, eos ad defectionem nullo negotio ſolicitauit. Data itaq; inter ſe fide, omnes in verba Vitellij abſentis iurarunt. Atq; hæc cum Vitellius intellexiſſet, maturauit ex hybernis milites mouere, & in hanc Citeriorem Gal-

liam

lium proficiſci tantarum vrbium motus autoritate, quas Corn. Tacitus florentiſſimum Italiæ latus appellat. Datas præterea à Senatu Romano litteras in hanc ſententiam reperio: S.R. ampliſſimus Curiæ Mediolanienſium ornatiſſimæ ſalutem. Vt eſtis liberi, & ſemper fuiſtis, letari vos credimus; creandi principis facultas Senatum readijt: ſimul etiam Præfecturæ vrbanæ appellatio vniuerſa decreta eſt. Valete. Hæ autem litteræ ad Mediolanienſes datæ functo vita Aureliano fuere. Poſſem ſuper hoc negotio vobis plura adducere; verum cum his recentiora domi habeantur per Georgium Merulam virum candidiſſimum declarata, ferè vſq; ad memoriam noſtram videor mihi cum gratia etiam veſtra poſſe me canere receptui. Hæc cum dixiſſet Felicianus, ſubticuit. Tunc Hippolytus Maynus Auguſtæ Bacienorum comes Petrum Candidum Vergieminatem orauit, ne grauaretur, ea quæ in laudem Mediolanienſis vrbis compoſuiſſet, recitare. Cui Petrus, Turpe inquit, mihi eſſet Comes Illuſtriſſime precibus tuis locum relinquere: Incipiam igitur, & ſi quandoq; prolixior vobis viſus fuero, date ſilentij ſignum mihi: nam ſenectutis hoc peculiare vitium eſt, vt ſint ſæpenumero pluſquam deceat loquaciores. Sed nunc exordior; precor attendite. Admirabilis quædam res eſt eloquentia, & quàm paucorum ingenia hucuſque aſſequi potuere. Quamobrem nonnullos, & graues, & doctos viros ſcimus, qui cum parem rebus, de quibus verba facturi ſunt, eloquentiam præſtare nequeant, ſtudio tamen, & voluntate ducti ea dictant, ex quibus non tam laudem meo iudicio, quàm repræhenſionem ſunt conſecuti. Moderanda igitur voluntas eſt, & cohibendus appetitus: ipſiſq; voluptatibus fræna inijcienda ſunt: nec ſolùm quid poſſis, ſed quid debeas cogitandum. Ita te tuarum rerum pulchritudo delectet, vt nihil laude dignum te autore in earum comparatione vileſcat. Nuper enim cum Leonardi Aretini viri

 in

in primis docti laudationem Florentiæ vrbis lectitarem, non tam dicendi ornatum, qui vberrimus illi adeſt, quàm ſententiarum vim, ac diligentiam admiratus ſum. Tam luculenter enim & ornate ſcribit, vt niſi penitus attenderis facilè adduci queas, vera eſſe, quæ ab illo referuntur. Sed nihil eſt veritate præſtantius: ſumma res eloquentia huic vni cedit, ab illa vincitur. Operæprecium itaq; credidi omnem noſtram huiuſcemodi laudatione ſententiam meam vobis exponere. Nam cum bonarum artium ſtudijs eruditi ſcitis, tum ijs potiſſimum otijs vacetis, quæ ſunt nonnunquam negotijs præferenda; æquiſſimum arbitror in omni re, quæ à nobis auſpicanda ſit, deos præcipuè fauentes optari: cùm id demum feliciter euenire credatur, quod diuina ope fultum ſit. Itaq; celeberrimi vates non ſine digna commemoratione deorum laudes in eorum carminibus prætulere. Leonardus item noſter cum alia, tum iſtud in primis egregiè, ſed nihil neq; luculentius, neq; ſplendidius in toto orbe terrarum Florentia vrbe reperiri poſſe, haud equidem aſſentior. Quippe voluntatem ipſius extolendam, facultatem verò quàm ampliſſimam fuiſſe, erudita, ac pollens oſtentat oratio: quæ illi in exornanda vrbe pulcherrima nequaquam defuit. Sed vt ad rem aliquando veniamus, principio quidem magnæ prudentiæ exiſtimo, nihil ad oſtentationem facere, nec periculoſam, vt idem ait, iactantiam ſequi potius, quàm tranquillam, ſtabilemq; commoditatem. At quo pacto Florentiam vrbem id obſeruaſſe cernimus? quæ inter conualles quaſdam ſita, nec præclarè ſe montibus oſtentat: nec rurſum expeditiſſimis campis obiecta, eminus iter aperit: Veſpertinus nempe viator longinqua ſedulus proſpectat hoſpitia, finem iam inde ingrati laboris autumans. Hæc autem conuallium ſylueſtris opacitas non tantùm vrbium aſpectum eripit, verum etiam deſperationem quandam adeuntibus videtur præferre. Quippe vrbes

ſummis

ſummis in montibus collocatæ, tum ad aſpectum magnificæ ſunt, tum ad vſum iocundæ. Extrorſum enim aſpicientibus incolis lætiſſimos campos, viridiſſimos colles, amœniſſimos maris tractus proſpiciunt: nec eſt quicquam quod cum tali ſpectaculo conferri poſſit. Quid aeris ſalubritatem commemorem? Quid aurarum ſuauiſſimos flatus, ſiue æſtiuis temporibus Boreali rigore frigeſcere, ſiue hybernis auſtrali tepore mauis caleſcere? Ex quo ſummis in montibus habitare licet non ſolum, ſiue aduerſa cœli intemperie, ſiue habitatorum incommoditate, atq; moleſtia, quinimo cum ſumma iucunditate, & gratia: ſine ventis verò, ac procellis nullam orbis regionem licet habitare. Adde quod ingenia his locis acutiora gignuntur, vt non infacetè dictum ſit, Ex montibus ſapientiam prodire: planiciem verò ſegetes largiri. Sed illa profectò fortunatior ſedes eſt vrbis, quæ longè flumina, longè montes excelſos proſpicit, eorumq; commoditatibus, quantum ſat eſt, fruitur: incommoda verò non ſentit. Quæ ſi vlla eſt in toto terrarum orbe egregiè condita, ea certè Mediolanienſium eſt ciuitas, ſic .n. in latiſſimis, feracibuſq; campis ſita, montibus altiſſimis procul ſepta eſt: ſic non longè decurrentium fluminum opportunitatem percipit: vt nulla nedum inueniri, ſed ne vtilius, & commodius ædificata cogitari vllo modo poſſit. Nam per deum immortalem, quænam eſt hac vrbe præclarior? Quæ populo frequentior? quæ ædificiorum magnificentia ditior? quæ deniq; viris, mulieribuſq; illuſtribus ornatior? videre licet alias vrbes, quibus præter inanem quandam vicorum mundiciem, ac decorem, nihil adſit quod cum minima huius vrbis commoditate conferri meritò queat. Iam verò ſi aeris temperiem, ac nitorem contempleris, facilè adduci poſſis, Comes optime, nec alibi purius cœlum, nec ſplendidiorem ſolem, nec aſtra magis fulgentia te vidiſſe. Ipſam autem vrbem viridantiſſima planicies vndique circundat, tam frugifero, amœnoq;

Digitized by Google

æquore conſita, tam glandiferis, opaciſq; nemoribus culta, tanta vitium vbertate lætifica, vt nihil aſpectu pulchrius, nihil prouentu vtilius, nihil ad animantium vitam accommodatius natura rerum omnium parens, & alumna commenta videatur. Adde ijs fontium perennes liquores, curſus amnium vitro lucidiores, pratorum viriditates, & camporum felicem, beatamq; fertilitatem; tum volucrum copiam, ac ferarum, quarum ſtudio venandi incolæ mira voluptate afficiuntur. Quid oppida in vrbium formam deducta commemorem, vt Vergeminum, quod Vigleuanum appellant, patriam meam? vt Beatum, Gallarate, Mortariũ, Terdate, aliaq; multa municipia, quorum frequentia hæc ciuitas ſic vndiq; munita eſt, vt nihil videri poſſit illuſtrius. Itaq; cum pluribus in locis magnificæ vrbes ſint, ad quas viſendas multi mortales fama pulchritudinis allecti conueniant, cùm plurima illis deeſſe conſpiciant, adeò huius vrbis magnificentiam, ornatum, copiam intuentur, vt illas veluti famulas quaſdam, hanc verò cæterarum dominam eſſe fateantur: ſic omnium rerum magnitudine obſtupeſcunt: ſic templorum faſtigia, & ornatum conſpicantes, pulcherrima admiratione ſatiari non poſſunt. Non enim vrbs eiuſmodi eſt, vt quæ optima, & præcipua habeat vniuerſa exponat ante oculos hominum inſpicienda, ac veluti ſolicita quædam meretrix ſuperficiem ſolum curare cupiat, & culta nimis in publicum prodire: quod pleriſq; in vrbibus fieri videmus. Cæterum vt diligentem matronam decet, cui dignitas magis peculiare bonum ſit, hæc leuiora haud multi facit: introrſus autem maiora quædam, ac viſu digniora domeſticorum obtutibus reſeruat fruenda. Ex quo fit, vt cum eminus illius, vt ita dicam vultum, cultumq; proſpexeris, minus formoſa, ac decens ſit: tum verò ſi proprius acceſſeris, omnia præ illius venuſtate vileſcere, nec ſatis natiuum ſplendorem habere videantur. Quamobrem cùm multa multis in partibus memoratu digna, aſ-

pectuq;

pectuq; ſint, nihil eſt ex omnibus hoc ſpectaculo pulcrius, nihil dignius. Quod igitur in omni re præcellentiſſima ſolet accidere, vt non facilè ſit exordium ſumere, quà potiſſimum illius præſtantiam recenſeas, cùm multa vndique inter ſe quodammodo de dignitate contendere, & dubitationem afferre non minimam videantur. Id in hac vrbe præclariſſima exornanda, vel in primis mihi euenire ſentio, vt quid prius, aut poſterius expediam, non leuiter addubitem, & ingenij mei periculum haud auſim facere. Experiendum tamen eſt, & quicquid ſtudio, & exercitatione dicendi conſecutus ſum, id omne in illius præconijs conferendum. At ſi parem vel eius magnitudini, vel meæ potius ergo illam voluntati eloquentiam præſtare nequeam, nihil eſt quod deprecer, doleamve. Nam & vrbs eiuſcemodi eſt, vt ne à Cicerone eloquentiæ Principe pro ipſius meritis ſatis dignè commendari poſſit: & voluntas mea ſi minus laude, certè venia his primitijs digna eſt. Aequum eſt enim pro tam vrbe celeberrima, quam in patriam mihi elegi, pro veritate verba facientem aſſenſum promereri. Vnde igitur exordiar? an vt pictores ſolent? ſic equidem exiſtimo. Id erit quàm aptiſſimum dicendi initium. Pictores enim cum pulcherrimas imagines ſtudent effingere, primum ideam quampiam excellentem, ac venuſtam mente concipiunt, quod conuenientiſſimum facto opus ſit cogitantes, deinde ſtylo manus applicant, ac prius verticem, & vt ita dicam, vultum coloribus liniunt: ſubinde notas in reliqua membra diſtinguunt. Itidem nos cum præſtantiſſimam vrbē deſcribere audeamus, ab ipſo veluti capite ſumemus exordium. Id autem quale erit? puto equidem ſi rerum publicarum adminiſtrationem recenſuerimus. Cætera verò quæ plerique magni exiſtimant, templa, baſilicas, porticus, theatra non plures faciam, quàm ſi quis imaginibus illis, de quibus paulò ante dictum eſt, bullas, limbos, fimbrias aut huiuſmodi decora cenſet addenda. Quippe

Digitized by Google

vt propriori imagine vtamur: ſicut enim in homine ratio in primis ſuſcipienda eſt, tum dignitas perſonæ, membrorumq; æqualitas, ſine qua pulchritudo eſſe non poteſt: ſic vos ciuitatem, quæ optima futura ſit auſpicantes, principio Reipublicæ curam intueri oportebit: tum ciuium dignitatem, æquitatemq; viuendi, quæ membra ſunt vrbis: cætera, quę ad cultum pertinent haud multi putanda ſunt. Vnde fit, vt ſi qua vrbs eximiè munda, & pulchra ſit, reliquis verò deſtituatur bonis, non ſit propterea huic de qua loquimur, æquiparanda. Sed vt vnde ſumpſit initium, referatur oratio, caput vrbis, & columen Reſpub. eſt. Hæc quibus regatur legibus haud parum intereſt: leges autem, & iura municipalia, quoniam à maioribus tradita ſunt, haud ab re fuerit de vrbis origine pauca præponere.

De origine vrbis Mediolanienſis. Cap. XII.

SAtis conſtat Ambigatum Celtarum regem (ea pars Galliæ tertia habetur ex deſcriptione Cæſaris) cùm iam grandior natu regnum propagare cuperet, Belloueſo, ac Sicoueſo ſororis filijs noua loca, nouaſq; ſedes eligere, vbi Dij augurijs dediſſent, ſuaſiſſe: aſſumptis regni viribus, ne qua gens extera aduenientes finibus poſſet arcere. Ea gens populis abundabat; ſedes antiquas deſtituere Bituriges, Aruerni, Senones, Cenomani, Carnutes, Boij, Aulerci, Hedui. Tum Siccoueſo ſorte Hercynij ſaltus obuenere. Belloueſo autem Dij immortales felicius iter oſtenderunt. Itaque per Taurinos ſaltus Alpis Iuliæ in Italiam cum Cenomanis: Lebuis, qui in Gallia vlteriore Hedui aliàs dicebantur, & Boijs irrupit. Fuſiſq; acie Hetruſcis non procul à Ticino, & Nouaria Hetruſcorum pago flumen traiecit: & cum in agrum, quem Inſubrium vocari intellexiſſet, fortè perueniſſet omen ſecutus, quo itidem Heduorum pagus vocaretur, vrbem condidit, quam Medio-

Mediolanum appellauit: ab vrbe eius nominis in Gallia ad littus Oceani, cuius meminit Strabo. Noſtram verò hanc T. Liuins Priſco Tarquinio regnante conditam anno ante Romam à Gallis incenſam ducenteſſimo, memoriæ prodidit. Ab ijs igitur maioribus hæc vrbs excellentiſſima ſumpſit originem. Cæteras enim vrbes aut paſtores, vt Romam, aut profugi patrijs ſedibus, vt Tarentum, & Venetias condidere: Hæc ſola inuenta eſt, quæ non agreſtes, aut obſcuros conticeſcat autores; verùm Dijs auſpicibus clariſſimam regum Celtarum ſtirpem, & bellacium populorum, quos non arma Alexandri Magni, non Romanorum denique, ſi concordes animi Gallorum fuiſſent ſubegere, præſeferat. Cæterum vt id, quod dicere inſtituimus, proſequamur. Vtrum igitur Reſp. vnius conſilio atq; autoritate, an plurium arbitrio aptius regatur, ſæpenumero quæſitum eſt. Siquidem Plato Athenienſis philoſophorum omnium [vt inquit Cicero] princeps quadrifariam principatuum ſpecies diſtinguit: vnam honorabilem, quàm Græco nomine timocratiam appellat: aliam paucorum regentium olicratiam: tertiam dimocratiam, hoc eſt, populare regimen: quartam verò tyrannidem: quintam deinde his omnibus præſtantiorem adijcit, ariſtocratiam. Verùm cum ea non ſecus ac phœnix quingenteſimo ſemel anno, vel potius nunquàm extet, in præſentia omittatur. Et ad incerta redeamus. Nulla igitur regnandi ſpecies potior eſt, quam timocratia: ea nempe eſt, quam apud Laconas, & Cretenſes viguiſſe Plato aſſerit. Cum vir quiſpiam honoris, victoriæq; auidus principatum capit, non vt cupiam violentiam, aut necem inferat: ſed vt ingenuè belligerando Remp. diligenter, & egregiè tuendo ſibi laudem, patriæ verò vtilitatem pariat. Qualis apud Romanos L. Brutus, & multis ante nos ſeculis præſtantiſſimi reges: vt Belloueſus, & Brenus huius inclytæ regionis propagatores extiterunt. Qui non tam

Mediolanum à quo ſit cõditum & appellatum.

Gallorũ laus.

Digitized by Google

opum acquiſitione ſoliciti, quid gloriæ, & poſteritatis memores, omnia poſt Rempublicam habenda cenſuere: vt hac ætate Carolus quintus Ro. Imperator ſemper inuictiſſimus & feliciſſimus: qui anno ante hunc ſecundo Tunetum totius Africæ vrbem munitiſſimam aggredi non dubitauit: qua expugnata tantam gloriam aſſecutus eſt, vt proximè nunc ad deos accedat. Ioannem etiam Galeacium Vicecomitem nominari ſcio vos intellexiſſe, cum quod Inſubrum dux primus fuit, tum quod illi virtutum comiti cognomen fuit. Ab hoc tanta in Remp. hanc merita extant, vt dies me prius, aut vox tametſi ferrea eſſet, deficerent quid dicendi materia. Verùm è multis quò breuior fiam, vnum ſubijciam, quod eius principis magnanimitatem, prudentiam, fortitudinemq; poſteris oſtendet. Geſſit hic princeps bella quid plurima contra validiſſimas Italiæ vrbes. Nec tamen quiſpiam repertus eſt qui conſilio potẽtia, opibus huiuſce cõatibus opponere, aut quæ animo cõceperat, quominus vt exequeretur, vllo pacto quierit obſiſtere. Nempe cum aduerſus Florentiam vrbem bellum gereret, quæ inter cæteras Italiæ opulentiſſima quodammodo, ac præclara habebatur: nec facilè appareret eius vim ac potentiam breui poſſe proſternere, cum vndiq; Romanorum, Venetorum, & finitimorum auxilio tuta eſſet, nec propinquas ſolùm, ſed exteras quoq; nationes in bellum exciret, adeò virtute, diligentia, labore vrbem ſagaciſſimam eluſit, atq; proſtrauit, nunc armis imminendo, nunc pacem oſtendendo, vt qui multis ſeculis ferme toti Italiæ par eſſe videbatur, nec modicis prælijs poſſe ſuperari, intra breue tempus penè ad excidium deleretur: nec ſe amplius tueri, aut rem ſuam incolumẽ ſeruare, niſi ſub Vicecomitis tutela, & dignitate putaretur. Cæterum hæc vberius ab alijs tractantur, & nos ſuo loco nonnulla retulimus. Idcircò ad alia ijs ampliora me recipio, quæ non minus principum noſtrorum magnanimitatem, quam vr-

bis

Digitized by Google

bis Inſubrum vim, potentiam, excellentiam declarent. Puto ego multos mortales ſatis mirari vnde huic ciuitati tantæ opes, tantæ copiæ, tanta denique omnium rerum facultas ſit, quemadmodum tot per annos, & nouiſſimè diebus noſtris grauiſſima tot bella ſuſtinuerit: quàm ſæpe infeſtis hoſtibus, & innumeris reluctata ſit, & ſemper indefeſſa, ac validior emerſerit. Quis enim non meritò his rebus tam præſtantibus, & dignis admiretur? Sed hic omnis ſtupor apud eos eſt, qui vrbis & opulentiam, & vires neſciunt, eius magnificentiam nunquam inſpexerunt, auribus non facilè credunt. Vt enim ab Ariſtotele poſitum eſt, ſi qui eſſent illuſtribus domicilijs ſub terra habitantes, cultis pictotis, ſignisq; pulcherrimis, quibus beatorum domus ornari conſueuere, nec vnquam ſupra terram exiuiſſent, auditu autem, & fama ſpecimen, ac decorem omnium, quæ hìc viſuntur, percepiſſent: nec facilè his, quæ referentur, fidem adhiberent. Deinde aliquo tempore patefactis ſedibus, in hæc, quæ incolimus, loca emerſiſſent: cum repentè cœlum, ſolemq; vidiſſent, tum terras, mariaq; patentia: præterea volucrum copiam, ac ferarum, vrbiumque multitudinem, & ornatum conſpexiſſent: profectò & earum rerum magnitudine obſtupeſcerent, nec ſatis pulcherrima admiratione ſatiari poſſent. Ita ſi quis fortaſſe eſt, qui aliarum vrbium ornamento, aut amœnitate delinitus ſit, huius autem excellentiam prorſus ignoret, aut negligat: cum ad hanc tandem acceſserit, ac prius quidem multitudinem populi lætiſſimam, vrbis frequentiam, pulchritudinemq; ſingularem inſpexerit: tum eorum quæ ad victum hominum, cultumq: pertinent, copiam ſimul, præſtantiamq; cognouerit, quot artes, quot inuenta, quanta in hac omnium vbertas, & decor ſit, quot ditia, & ornatiſſima templa, præclariſſimæ regiæ, antiquiſſimæ familiæ, pulcherrimæ, & delicatiſſimæ nurus, ſplendidiſſimi iuuenes, nitidiſſimi equi, & inſignia arma videantur: poſtremò totius vr-

bis gratiam, nitoremq; perceperit: nequaquam ab hac tam præclara bello, paceq: facinora edita fuiſse mirabitur, quinimo multò maiora ab ea præſtari potuiſse: & ad orbis imperium adipiſcendum idoneam potius eſse cenſebit. At vos aſsuetudine quadam oculorum imbuti, vt in alijs plerunq: fit, mirari deſinitis. Hic autem ſtupor, hæc admiratio vrbem peruadenti ante oculos obijcitur: Cum verò ciuitatem ipſam egreſsus ſis, & ſingula diligentius contemplatus fueris, Dij boni quæ oppidorum frequentia? quibus plurimæ ex ciuitatibus Italiæ longè cederent: quarum nomina propter ſcriptorum commendationem celeberrima ſunt. Quæ omnino Apinæ, Tricæq: erunt, ſi noſtratibus oppidis comparentur. Præterea quæ amœnitas? quæ demum delitię occurrent? quàm multa videas, quàm pręclara, quàm magnifica? Non enim vt de niue ſcribit Homerus cœlitus delapſam montes occupare, & colles, iugaq: montium, & culta pinguia, ſic hęc ędificia vniuerſos circum colles, & planiciem occupant. Verum omnes Italiæ vrbes quaſi quodam fato in vnum locum conueniſse videbuntur. Quippe Galliæ Ciſalpinæ oppida nequaquam cęteris ęquanda ſunt, quæ in alijs plerunque videre regionibus contigit. Verum pro vicis ditiſsima hic oppida, pro oppidis opulentiſſimæ vrbes adſunt. Quota etenim apud Ciſalpinos Gallos villula eſt, quæ non eius ferme oppidi magnitudinem æquet, ex quibus exornari ſolet Italia? Quam enim habet Hetruria præter Florentiam, & Senas vrbem, quæ noſtris oppidis vel magnitudinem æquet, aut vbertatem? *Signia vrbs.* Signia vrbs eſt, vt ſcitis, vltra Romam, cuius Pontifex eſt Laurentius Grana vir litterarum candore politiſſimus. Ea in vrbe nec tonſor adeſt, nec medicus, imò nec qui calceos conficiat, aut caligas: igitur pro porticibus geſtationes hìc cernas, pro viridarijs conſita nemora, ac patentiſſimos terrarum ſitus cultos, quibus floridius nihil, nihil ſpecioſius, iucundius nihil denique natura commenta videatur. Iam verò ſi cubicula,

Digitized by Google

ſi triclinia conſideres, quibus potiſſimum optimatum domus exornari ſolent, nihil eſt in vrbe tam terſum, tam mundum, ſic legans, quod cum horum nitore, aut politia conferri queat: ita omnia apta, diſtincta, ornata intueare. Quamobrem quamcunque in partem oculos admoueris, omnia natiuo decore niteſcere, & quaſi lætitiam quandam ex ſe videntur effundere; tanta villarum amœnitas, camporum beata fertilitas, nemorum, pratorumque viriditas vndique refulget.

De ſitu vrbis Mediolanienſis. Cap. XIII.

SEd poſteaquàm dicendo hucuſq; progreſſi ſumus, aliquid, & de ſitu vrbis dicam, initium eius paulò altius repetendo. Enimverò Mathematicorum dimenſionibus ſatis conſtat omnem terrę ambitum quinque zonarum ſpatio eſse diſtinctũ, quarũ primam ſolis ardore ſuccendi, ſpatioſioremque cæteris aiunt eſſe: extremas frigoribus intentiſſimis inhabitatas, ſemper rigere autumant. Inter has autem duas interiectas eſse, veluti medias: vnam quam nos incolimus ſub axe Septentrionis ſitam, alteram verò ad auſtrum protendi, ante patres noſtros non ſatis cognitam, nunc ita diutinis nauigationibus regis Luſitanorum oculis expoſitam, quàm eſt hæc nobis citerior Gallia. Sed vt quę mihi ſunt nota, proſequar. Hæc vbi habitamus, licet à frigore, & calore media ſit: non eadem vbique cœli tamen clementia, & æquitate fouetur: quippe regiones, quæ tropico Cancri ſunt viciniores, vt Parthia, Armenia, Libya, cæteræq; finitimæ propinquiore ſemper calore torrentur. Quæ verò polis duobus ſunt obnoxiæ, frigoribus rigent regiones: & quæ his viciniæ ſunt, vt Germania, Albios, quæ nunc Britannia, Scotia, Thule, Dacia, Pannonia, Scythia, & quæ Riphæos montes gens habitat. Reliquæ intermediæ regiones velut ab vtraque extremita-

Digitized by Google

te diſtantes temperatiore cœlo, ſalubrioreque fruuntur. Cum igitur hæc Ciſalpina Gallia in ſexto climate, qui Diaboriſthenes appellatur, cui Mercurium præeſſe aiunt, remota ſit ab æquinoctiali per IIII. & XL. gradus ambabus partibus fouetur, hinc Boreali frigore, iſtinc Auſtrali æſtu. Igitur velut regina montibus circum ſepta, & gemino fræto, Adria .ſ. & Tyrrheno, vt amborum commoditatibus pro arbitratu gaudeat, incommoda nulla percipiat. Ritè igitur Maro noſter, decus immortale Ciſalpinæ Galliæ his verſibus hunc tractum celebrauit.

Hic ver perpetuum, atq; alienis menſibus æſtas
Bis grauidæ fruges: & pomis vtilis arbos.

Situm nempe ciuitatis beatiſſimum reddit aeris ſalubritas, glebæ pinguioris vbertas, fontium, fluuiorumq; irriguitas, fructuum fertilitas nemorum & paſcuorum viriditas, iumentorum & pecudum fœcunditas, quæ incolentium nutrimentum non leuem præſtant vtilitatem. Hæc autem noſtra regio huiuſmodi fertilitate adeò nobilis eſt, vt non modò ſuperiorem inueniat, ſed ne parem quidem: ea præſertim quæ intra Seſitem: & Adduam continetur. Opidis tam frequentibus, & pagis referta eſt, vt ferè ad ſingula ſtadia diuerſoria reperiantur: præterea tam vberi ſolo eſt vt populum, quem copioſiſſimum habet, ſine aliarum gentium auxilio facilè nutriat. Tantus eſt autem ſolius vrbis Mediolanienſis populus, vt tota Hetruria non tam numeroſum habeat. Tāti autem populi cauſa eſt fertilitas fertilitatis autem humor, qui ex tot amnibus manat: toto præterea ſolo aquarum venis reſudante. A ſuperiore ſiquidem parte, quæ Marteſana à bellicis incolis appellata eſt, Lario ab lacu Adduæ, & ab Alpibus alia fluenta decurrunt. Ab inferiori verò Ticinus aquarum nitentium agmine rigat Inſubriam, à Verbano caput exerens: amboq; diuerſis itineribus Eridano infuſi fluuiorum regi miſcentur, eumq; ad mare comitantur. Non iniuria itaque veteres

Me

Mediolanum inde appellatum putant, quòd inter amnes media, veluti Meſopotamiæ regio, ſita ſit. Dico ergo hanc prouinciam præcæteris ſalubriorem, & amœniorem eſſe: nec minus feraciore ſolo præditam: tum his quæ ad humanum victum pertinent, feliciorem haberi: ſummaq; Dei prouidentia Mediolanienſium vrbem in ea conſtitutam. Nec .n. commodiore loco ea ciuitas noſtra hæc metropolitana ciuitas, Orientis, & Occidentis emporium ædificari potuit: quæ totius orbis regimen eſſet habitura. Nempe vt arces præcipiti foſſa vndiq; præcingi, & in eminentiore quodam vrbis loco condi conſueuere, vt regentis ſedem, & ipſius caput vrbis præſeferant: ſic Mediolanienſium ciuitas altiſſimis ſepta fluminibus, altiore & tutiore prouincia poſita eſt, exindeq: vniuerſas quaſi inferiores vrbes Italiæ velut ab altiſſima ſpecula proſpicit: ita vt Italiæ totius arx imperij ſedes, & reliquarum domina vrbium meritò appareat. Ab hac ſiquidem arma, ab hac equi, & quicquid bellici vſpiam ſtrepit, egreditur: Hæc ſola eſt, quæ armatos Duces, lucidas equitum alas, peditumq: cateruas ſiſtit in acie. Vt enim ſi quis magnam lanificij, & mercenariorum copiam aliqua ex vrbe continuò efferri, hiſq:& currus impleri, & naues ſtipari, ac mari & terra conuectari videat facilè, & eam vrbem mercibus plenam, multoſq: ibi lanarios, qualium copiam eſſe ſcimus in Florentia, incolere: ſtatim eum locum iudicabimus eſſe mercatoribus refertiſſimum: Ita qui Duces, qui exercitus, qui arma, qui equos, qui currus, ſigna, vexilla, & reliquam belli ſupellectilem ex hac potiſſimum vrbe prodire inſpiciat, & toti Italiæ formidinem incutere: non ne & armis, viriſq: refertam: & ad orbis imperium adipiſcendum idoneum eſſe fatebitur? Siue enim multitudinem populi conſideres, nihil eſt in toto terrarum orbe frequentius ſiue pulchritudinem, nihil ornatius, aut ditius. Si vero quæ ad commoditatem vitæ pertinent putares præferenda,

Mediolanum a veteribus vnde dictum.

quid

Digitized by Google

quid eſt ex optimis, ac neceſſarijs rebus, quod ab Inſubribus merito deſideretur?

De opibus, & potentia Mediolanienſium. Cap. XIV.

AT ſi rerum geſtarum mauis, Auguſtæ Bacienorum Comes illuſtriſſime, patriæ tuæ gloriam contemplari, nullam inuenies, quæ bellorum magnitudine, ac diuturnitate latius propagarit imperium. Hæc veterum regum ſedes, hæc Imperij Romani firmamentum, hæc Italiæ tutela: hinc illa immenſa effuſa ſunt agmina, quæ non ſolùm Hetruriam vaſtarunt, Romanorum exercitus ad Alliam obtruncarunt, mox incenſa Roma vniuerſam Italiam peragrarunt: deinde Græcia depopulata, maiorem Aſiæ partem ruinis, & incendijs conſumpſerunt. Florentiam autem Syllanæ fecis coloniam munditia vicorum, ædium lautitia non ijs clariſſimis monumentis inſignem eſſe ſcimus: quæ quin vetuſta, & perornata ſit, non equidem inficias eo: verum armis viris, opibus ac geſtarum rerum gloria cum Mediolano conferendam nullo modo cenſeo: nec hac ætate vrbem Romanam, ex qua ſi ſacerdotes, qui fere omnes alienigenæ ſunt, eieceris, cultoribus vacua remanebit. Tua autem hæc patria eiuſmodi eſt, vt acceſſione gentium non augeſcat, & diſceſſu haud minuatur. Sed quoniam de tam excellenti ac præſtantiſſima vrbe breuiter à nobis, & quaſi curſim hucuſq; pertractatum eſt: tandem, vt eximius inquit orator, alio vela facienda ſunt, & quid in quaq; re eius præſtantia maximè eniteat latioribus paulo verbis, & rationibus explicandum eſt. Iam .n. de templorum ornatibus, ac regali ſacrarum ædium ſplendore non ineptus diſſerendi locus relinquetur. Vnde igitur dicere nunc exordiar? aut quid in primis præponendum ſit, haud facilè intelligo. Velut enim ſi quis Hele-

Helenam illam formoſiſſimam eximijs laudibus ornare cupiat: priusne nobilitatem generis expediet, quòd Ioue, & Læda gentia ſit: an pulchritudinem, quòd à Venere præ omnibus formoſior ſit habita: an virtutem, quòd eleganter canere, & pſallere docta fuerit: an ornatu corporis præſtare contendat, quòd purpureis, auratiſq; ſegmentis vti aſſueuerit: an leporem potius loquendi anteponat, quòd ex ore narrantis ſuauitate quadam allecti penderent homines? Hæc inquam ſi quis animo volutet, quid conuenientius dictu ſit, ignoret ad eximiam pulchritudinem venuſtatemq;demonſtrandam. Sic ipſe cum optimam,ac pulcherrimam vrbem celebrare inſtituerim, quæ in omni virtutis genere, laudiſq; præſtantia cæteras anteeat, vnde potiſſimum exordiar, ignoro. Nam & ipſa virtutum admiratio incertum me reddit, nec facilem deliberandi facultatem permittit. Ego tamen vnde conuenientiſſimum & aptiſſimum putabo, initium capeſſam. Primum igitur, vt de opum, ac facultatum copia dicere ordimur, in queis potiſſimum Reipu.ſtatus inniti ſolet. Vbi nam tu gentium vrbem reperias, quæ tanta vectigalium copia abundet? tot exercitus ſumptibus ſuis alat? Memini à viro audiuiſſe me quæſtorio tot exactas ex hac vrbe pecunias ad alendum per Leuyana tempora exercitum, quot ferè tota Italia, Venetijs duntaxat exceptis, poſſet exigere.Ioanne præterea Galeacio imperante apud Inſubres legi quinquies, & quadragies decies centena millia aureorum ſine populi querela, & paruo admodum temporis ſpatio ab ijs exacta, qui tunc quæſtores erant: huius tertiam totius ſummæ Mediolanum impendiſſe, cum præter Liguriæ populos omnes ferme Italiæ vrbes,quę ab Alpibus inter duo maria Illyrium, Flaminiamq; continentur, in eius poteſtate eſſent: in Hetruria Piſas, Senas, Peruſium, Aſſiſium teneret, Bononiam poſſideret. At verò quæ ferè aui noſtri videre, & in oculis ferè nepotum verſantur, nonne

Digitized by Google

tamen incredibilia nobis apparent? vnam hanc vrbem tot per annos cum Venetis, Florentiniſq; de imperio certantem duarum validiſſimarum ciuitatum adeò impetum ſuſtinuiſſe, & adeò omnes earum conatus flocci feciſſe, vt audaciam non ſolum reprimeret: verùm ad pacem vltro poſcendam poſt longum, ac difficile bellum impulerit. Hæc autem acta fuiſſe ſcire vos arbitror, eo tempore, quo Philippus Maria Vicecomes rerum potiebatur apud Inſubres. Taceo Eccelinum Patauinorum tyrannum cum innumero exercitu à Mediolanienſibus iuxta Soncinum, quod oppidum eſt in ripis Lollij agri Cremonenſis obtruncatum: cuius cadauer eo in oppido ſepultura donatum eſt. Venio ad nauales, terreſtreſq; copias: quibus feliciſſimo euentu ſæpe cum Venetis, & Florentinis decertauit, contra eorum opinionem: quod opinarentur Veneti Mediolanienſes cum ipſis, qui inter aquas & naſcuntur, & educantur veluti piſces, congreſſuros nunquam. Obſtupuit ea tempeſtate vniuerſa Europa tam difficile bellum contra tot hoſtes terra, & aqua ſine exteris auxilijs à Mediolanienſibus adminiſtratum. Admirabantur exteræ nationes vnde tantæ opes, tantæ copiæ, tanta deniq; rerum omnium facultas eſſet: quibus non dicam theſauris, ſed auriferis fœta mineris immenſas ad tantum bellum, diutinumq; pecunias exponeret. Atq; hæc Mediolanienſium ciuitas ex maximè reditibus effecit, nullis externis freta præſidijs, ſed propria virtute, & probitate confiſa. Ex quo per eximiam ipſius præſtantiam licet agnoſcere, quæ per ſe bellum gerere, per ſe ſumptus omnes preferre quiuerit: qua in re quid in primis extollendum ſit, haud facile cognitu eſt. An potentiam prius admirentur homines, quòd grauiſſimum, & periculoſiſſimum bellum tot per annos enixiſſime pertulerit? an virtutem, quod hoſtiles vires ſæpenumero fregerit, atq; deleuerit? an opulentiam, quòd proprijs ſumptibus ingentes aduerſariorum opes funditus

exhau-

Digitized by Google

exhauſerit? Mihi quidem hæc omnia non mediocri laude videntur commendanda. Sed ad maiora mea feſtinat oratio: & de opibus, ac facultatibus abunde dictum eſt à nobis de nobilitate deinceps reſtat diſſerendum.

De nobilitate conditorum. Cap. XV.

QVanquàm in hac parte neſcio, an virtutem contineri putem. Nam cum virtus per ſe clara, & illuſtris ſit, nec vllis immaginibus magnopere indigeat: ita qui maiorum ſuorum res geſtas prædicant ipſi verò nullam in partem vtiles ſunt, vani potius, quàm generoſi cenſeri ſolent. Vt ſunt nunc Romani, qui tantùm nunc poſſunt dicere, Fuimus Troes: cum choreis, ventri, & gulæ dediti, tantùm idonei ſunt ſtatis quibuſdam anni temporibus ad occidendos, veluti lanij boues. Dij boni, quæ antiquitatis fragrantia? Quæ virtutis experimenta? Quæ facinorum admiratio? occiſos ſex boues ſingulis annis à populo Romano, quis non monumentis tradet? Quòd ſi quis horum igitur proſapiam longè anteponat; pluriſq; eorum dignitatem, Rempublicamq; exiſtimet, quòd ij cæteris nationibus olim imperauerint, medius fidius vehementer errat: nec ſatis verè nobilitatis vim, amplitudinemq; intelligit. Romanorum enim veterum, quæ in nouis eſt prorſus extincta, excellentia adeò ſua virtute cognita eſt, atque perſpecta, vt nullius laudibus egeat, quò dignior haberi poſſit, ac præſtantior. Si verò conditorum ſtirpem, claritatemq; recenſeas, perobſcura videbitur eorum ſucceſſio, vilis, abiecta. Nihili ergo hæc hæreditas exiſtimanda eſt. Non ne virtute præclarum fieri: ac rebus geſtis eminere præſtiterit, non autem fumoſis ſtemmatibus, colonijſq; excelere? Traditum eſt in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, Placen-

tiam coloniam deductam primo anno eius belli, in quam ſex millia hominum deducta ſunt. In his equites deducendi fuit cauſa vt opponerentur Gallis Inſubribus. Nunquis propterea ex Placentinis ciuibus inuentus eſt, qui populi Rom. imperium iure hæreditario ad ſe vindicet? Num qui totam Italiam tribus, & quinquaginta colonijs putet immunem, vt vel nulla ſupereſſe credantur Romanæ probitatis inſignia: adeò vniuerſa in vnum quodammodo coniuncta ſunt, atq; confuſa, vel ſi qua ætatem ſuperare potuere, omnis Italia huiuſmodi gloriam ad ſe dicat pertinere? Quòd ſi maiorum dignitas, aut ſplendor quæritur, quæ Bizantio nobilior colonia? quæ præclarior vnquam fuit deducta? Hanc quippe Imperatores Rom. ita condidere, vt Imperij ſigna illo conferrent proſcripto totius Italiæ, dijs aduerſis, à Conſtantino nobilitatis & iuuentutis flore. Sed libet aliquantulum hic immorari, & quærere, vter hic populus origine prior ſit, atq; nobilior? vt ſubinde ex huiuſmodi collatione virtutis cæterarum rerum amplitudo reſplẽdeat. Romanos Leonardus Aretinus Florentiæ vrbis autores eſſe aſſerit: ipſe ad Gallorũ tranſalpinorum, aut ad bella inuictiſſimos Germanos Mediolanenſium, & reliquorum intra Alpes, & Apenninum refero. Qui populus ex ijs igitur ſublimius ortum ducit? Clariſſimos omnium regum, & populorum Romanos eſſe Leonarde profiteris. Non hoc nego: ſcio .n. Romanos tantùm fuiſse bellaces olim, & præclari, quantum hac ætate ſunt imbelles, & inglorij. Veruntamen nulla ciuitas adeò bene morata, aut inſtituta, quæ malorum hominum, vt ipſe profeſsus es, omnino careret. Itaq; ſi non priuatim de ſingulis ciuibus, ſed vniuerſa Rep. verba feciſti, quota eſt à Po. Ro. deducta colonia, quæ non pari fiducia, ac generoſitate polleat: ijſdem conditoribus originem ſuam acceptam referat: viciſſimq; terrarum imperium ad ſe vendicet? ac ſi qua fortaſse inter eas aut ſimultate, aut iniuria,

Digitized by Google

aut plerunq; conſueuit, contentio exorta eſt: nequaquam id bellum iuſtum, ſed potius ciuile, atque inteſtinum nominabitur. Maximè enim refert, an inter ciues, an eos qui à ciuibus oriundi ſunt, acie certetur. Quid ergo? nonne Placentini cùm Gallis Inſubribus, & Germanis, Hiſpaniſq; peditibus Florentinis arma intuliſſent, & ſub Philippo Vicecomite in eoſdem irruiſſent, nefarium geſſiſſe bellum dicentur? Nec minus Florentini, cum veteris coloniæ ſedem reliquiſſent, conditorum fidem ſubleſtam habuiſſe? At verò ſi magis virtute, aut opibus, aut rebus præclare geſtis Reſp. ſuperbit: quo tempore Florentinorum gens à Romanis orta eſt, conſideremus: Quod in regum ſucceſſoribus obſeruari aiunt, vt is regis filius rectè appelletur, qui regnante patre ortus ſit: qui verò antè, vel poſtea nati ſunt, hoc nomine indignos haberi cenſent. Attendite igitur Mediolanienſes, & ſtirpem veſtram recognoſcite: tum videbitis quantum cæteris gentibus præſtetis origine: & quantum Florentinis à Romano populo ortum ducentibus gloria, & dignitate anteitis. Nunquid L. Sylla Remp. Romanam vi & armis obſidente Feſulana colonia deducta eſt? Nec mirum ſi inter ſe ita debacchentur, & in alios tyrannidem exercent, vbi facultas datur: quia à perditiſſimo tyrannorum Sylla origines deducunt: cur ita ſeditioſior ciuitas? quia à ſicarijs, & gladiatoribus orti maioribus: quos haud ſecus quàm iuſti belli ſtipendia emeritos in coloniam Sylla deduxit. Ab ijs illa ſceleratorum manus duce Manlio ſociam ſe L. Catilinæ furori præſtitit: & ab ijs Feſulana colonia deducta. Sæpenumero itaque cogitanti mihi, quæ nam Florentinos ciues cauſa impulit, vt priſtina vrbe deſtituta ad Arnum flumen potiſſimum incolerent, nunquid amœnioris cœli, aut vberioris ſoli gratia pellecti ſint nihil potius occurrebat, quàm vitanda eos loci ignominia ſedem mutauiſſe. Quis enim huiuſmodi Syllanas reliquias, ac veluti ſeruilia quædam præſegmina non ſpernat, aut oderit?

rit? Quamobrem minimè mirandum eſt, ſi Leonardus homo, & diſertus, & elegans, cùm Fabritios, Coruncanos, Dentatos, Publicolas, Decios, Romanæ vrbis lumina referret, Syllam, Manlium, & Catilinam homines perditiſſimos, nequiſſimoſq; ſciens ſilentio inuoluerit. Norat enim quas clades, quæ ludibria populo Romano, quantas Florentino nomini, ac decori ſceleratiſſimorum tyrannorum notas recordatio, ac memoria indidiſſet. Satis nunc arbitror ex ijs quæ diximus, perſuaſum eſſe, nec principatus gratia, nec rerum, & ſitus excellentia, nec opum, aut facultatum copia, aut nobilitate conditorum Florentiam, vel aliam ex Italis vrbem Mediolano non ſolùm præponendam: ſed ne eſſe comparandam quidem.

De dignitate vrbis Mediolanienſis. Cap. XVI.

SEquitur de dignitate aliquid in medium adducere, quò vrbis huius præſtantia maximè abſolutior, & præclarior cunctis appareat. Quanquam vereor, ne pluribus hæc noſtra ſtudia haud grata futura ſint; qui me fortaſſe iam exiſtimant aſſentando, atq; indulgendo inanem gloriam, & popularem famam quærere: eamq; à nobis prouinciam idcirco ſuſceptam eſſe, vt hinc fauor à Mediolanienſibus in me aliquis eluceſcat. Non deerunt alij, qui hoc onus putabunt impar humeris meis. Fateor eſſe me ingenio hebeti, obtuſo, & hac prouincia prorſus impari: verùm qua potero ratione his ſatisfaciam: & oratione longa non vtar. Ego nempe etſi cupiam quàm plurimis obſequi; vſqueadeo tamen non ineptus ſum, vt fauore multitudinis potius exiſtimem, quàm doctorum autoritate id conſequi poſſe. Cæterum cùm præſtantiam tantæ vrbis intuerer, eorumq; ingenia admirarer, maximè qui Florentiam præcæteris Italiæ vrbibus ad cęlum efferunt, eamq; induſtria, fide, huma-

humanitate, magnitudine animorum putant præcellere: indolui profectò noſtrorum vicem, quos nec patriȩ charitas, nec honos, aut exercendi ingenij gratia ad ſcribendum poſſet allicere: quiq; facilius aliena reprȩhendere didiciſſent, quàm ad laudem, & decus alicuius prȩclarȩ rei verba facere. Itaque profeſſioni meȩ debitum credidi, prȩſertim à vobis rogatus: ſi quam ipſe in dicendo facultatem adeptus eſſem, eam potiſſimum in laudanda, & extollenda præſtantiſſima vrbȩ conferre, & velut pignus, & teſtimonium quoddam pietatis, & ſtudij in Mediolanienſes exponere: quod etiam noſtros, ſi modò verum fateri volent, non arbitror repræhenſuros. Quid enim minus dignum? aut quid à bonis moribus alienius eſt, quàm cum ipſe nec patriam tueri, nec Rempublicam verbis defendere, aut honorem ipſius nec officio, nec oratione tutari queas: aduerſari his, aut ſuccenſere, qui communem cauſam ſponte ſuſceperint? Omnes enim quibus pietas, religio, charitas odio eſt, huiuſmodi res negligunt. Qui verò & boni, & liberalis haberi volunt, haud quaquam patienter aliarum vrbium laudes ſuæ anteferri non ſuſtinent. Quamobrem deſinant illi quidem, quicunq; hi ſint, nos inſcitiæ, aut temeritatis expoſcere, ac prius ſeipſos leuitatis, ſtultitiæq; condemnent: tantùm certè abeſt, vt huiuſmodi homines multi exiſtimem, vt eorum battologiam flocci faciam potius, atque contemnam. Verùm his omiſſis ad penſum redeamus. De dignitate igitur, quæ primas in omni Repub. partes habet, non inepte à nobis hoc loco præfari poſſe arbitror: præſertim cum huius ciuitatis gloriam, claritatemq; contineat. Quid ergo? non ne præcipuum, & quaſi peculiare huius vrbis, quam in patriam mihi elegi, munus eſt, neminem Rom. Imperio præfici ſolere, aut Cæſaris nomine dignum cenſeri, qui Mediolanienſi diademate non antè præditus ſit, & illuſtratus, & conſueta imperij hic ſuſceperit inſignia? Præclarè id quidem maioribus no-

ſtris

ſtris indignum omnino videbatur, eam ciuitatem, quæ præcæteris ingenio, prudentia, bellicarum rerum peritia maximè polleret, meritis laudibus carere: ſed eam potius ornandam, decorandamq; cenſuere. Itaque nulla cupiditate, nulla iactantia adducti, Mediolanienſibus id honoris nationes omnes detulere. Optimo itaq; conſilio, ac ſumma prudentia effectum videtur, vt hic honos, qui in primis Romanis erat attributus, hæreditario quodam iure ad Inſubres transferetur. Sola enim hæc in tota Italia ciuitas Mediolanienſium eſt, quæ cum Romanis, exteriſq; gentibus de imperio, de dignitate, de omni deniq; virtutis laude certauerit: & ſi occaſio daretur, certare poſſet. Cuius rei euidens ſignum eſt, quòd omnes potiſſimum, qui Cæſaris nomen deinceps adepti ſunt, hinc primitias Ro. imperij, hinc regia inſignia, hinc primos, & attollere (vt inquit poeta) faſces, & auſpicari conſueuere: nec immeritò. Nempe vt is militiæ ornamentis haud dignus videtur, qui prius arma, & acies expertus non eſt, & quantus in hoc munere labor ſit, ignorat: ita qui potentiſſimæ vrbis vires neſcit, aut cum ea de fortitudine, ingenio, prudentia nullum habuit certamen, nequaquam orbis Imperator dici, aut Cæſaris titulo inſigniri promeretur. Non iniuria itaq; ab antiquis huic vrbi ſecundæ Romæ nomen eſt inditum: qua gloria cæteræ vrbes caruere. Mihi non ſolet videri hac etiam de cauſa præſtantiam Mediolanienſi populo attributam, vt is eſſet, qui languentis imperij vires, & in alium labentes orbem propria virtute repararet: nec antiqua, & paterna dignitate Italicum nomen defraudari pateretur. Quæ enim ciuitas, ſi Mediolanum exceperis, areſcente ſenſim Romanorum, quæ nunc conclamata eſt, virtute, & langueſcente probitate, cùm in dies noſtra hæc vrbs magis, & magis floreſceret, tantam barbarorum illuuionem, tot bellorum fulmina, tantos Germanicorum motuum fluctus perferre, & cohibere potuiſſet? Exemplum

Digitized by Google

quidem publicæ calamitatis Fridericus ille Bauarus fuit, qui adeò dignitatem Mediolanienſem extinguere molitus eſt, nulla alia (vt opinor) ratione, quàm quòd vnicam ſuis conatibus obſtare cognouiſſet: vt Italiæ dominatum, niſi perdita prius Mediolanienſium Rep. adepturum ſe diffideret. Comparatis itaque ingentibus copijs, nec ſuarum modo, ſed exterarum gentium fretus auxilijs, per Alpes irrupit: & ſic in Mediolanienſes furore æſtuans, totus rapiebatur, vt vniuerſæ Italiæ terrori eſſet. Dij immortales qui tum pauor non fuit? qui mulierum eiulatus? quæ ſenum, & puerorum lacrymæ? Huius ergo temerarijs auſis nequaquam Mediolanienſis populus cedendum putauit, ſed adeò prudenter, adeò viriliter obſtitit, vt non modo illius ſuperbiam, audaciamq; contemneret: verùm etiam poſt longum certamen ad interitum ferè illius innumeras copias affligeret. Sic omnis Italia huius noſtræ vrbis beneficio à ſeruitute libera extitit. Nolo diutius immorari, ac referre, quę & quanta hæc ciuitas, non antiquis modò temporibus, ſed ætate noſtra, pro tutela communis libertatis perpeſſa ſit: permulta etenim, ac præclara extant exempla, ex quibus Mediolanienſium virtus, & magnanimitas facilimè perpendi poteſt. Vſqueadeo autem hæc ciuitas contra æmulos Italici nominis potens inſurrexit: vt nihil antiquius vnquam habuerit, quàm facultates, & ſanguinem pro libertate totius Italiæ hoſtibus exponere: & maniſeſtiſſima fidei ſuæ monumenta erga illos, qui piè, iuſteq; de imperio ſenſiſſent, declarare. Si qui ſecus auſi forent, eos quidem hoſtium numero cenſuit habendos. In qua re ſapienter illa certè videtur ſenſiſſe. Nam qui ambitione, aut inſolentia ducti, ditiones, & tyrannides appetunt, & dum rem ſibi gratam conſequantur, ac inimicorum ſuorum acceptas vlciſcantur iniurias, nihil penſi de ſociorum fortunis, & ſalute habeant: hi profectò omni fortuna indigni putari debent: ac pro viribus ab eorum nefarijs co-

Digitized by Google

patibus arcendi ſunt. Sed quorſum hæc tam multa? dicet ex vobis quiſpiam. Nempe vt oſtenderem primùm hanc vrbem pro imperio, pro ſalute, & dignitate Italici nominis aperto ſemper Marte certaſſe. Mox hac gloria Florentinos caſſos eſſe, & effœtos. Nam iij, vt Galliam Ciſalpinam cum tota Liguria delerent, reliquamq; Italiæ partem, quas artes non ſunt experti? quas Germanorum cohortes non exciuere. Quis enim Gallorum Tranſalpinorum exercitus, ante Diuum Galeacium Vicecomitem, cui Virtutum cognomen fuit, in Italiam traxit ſub auſpicijs infortunatiſſimis Armeniaci Comitis è noua loca, nouaſque ſedes, quas incoleret, quærentis. Sed comprimam ipſe me, quando nulla efficacior ſit ad delenda iniuriarum tam veterum, quàm recentium veſtigia antidotus obliuione. Commodum igitur ad alia ſtylum diuertemus, ac de rebus his verba faciam, quæ aui fortaſſe noſtri vidiſſe potuere. Et ſanè tam multa, ac præcipua ſe oſtentant, vt ignorem, quæ potiſſimum Mediolanienſium laus ſit anteponenda. Verum vt in reliquis à nobis pro temporis anguſtia factitatum eſt, ita nunc faciam.

De nauali pugna inter Venetos, & Mediolanienſes ſub Cremona. Cap. XVII.

Galliæ Ciſalpinæ condidere, ſicut ego accepi, Cremonam Romani in Padi ripis: hanc Veneti ſumma vi oppugnare adorti, hinc terreſtri exercitu, illinc validiſſimis nauigijs vndique premebant. Dux Philippus apud Inſubres rerum potiebatur, vrbem bello, & pace clariſſimam liberare ab obſidione cupiens, claſſem opinione omnium celerius inſtruxit, quàm ſecundo Pado ſubductam in fronte hoſtium firmauit. Et iam medium lucis ſpatium ſol peregerat, cum ſe profluente Eridano vtroq; claſſis miro tormentorum tympanorumq; fragore appropinquabat.

Interea Franciſcus Sforcia, huius, qui annis ſuperioribus eſt mortuus, auus, Mediolanienſium ductor, certamen velut detractaret, aliquantulum ſubſtitit: donec terreſtres copiæ ſuperuenirent. Nocte verò iam appetente coactus Sforcia aduentu Venetæ claſſis, quæ aduerſo flumine vehebatur, aciem inſtruit; viginti ex omni claſſe in fronte diſponit, duas in ſubſidijs alas, totidem nauium numero eſſe iuſſit. Has viris pugnaciſſimis inſtructas vela facere imperat. Iamque intra teli iactum conuenerant, & ſe quiſque ad certamen præparabat: cùm ductor ipſe in omnium vultus oraq; conſpicuus; Quod multis, inquit, votis milites præſtantiſſimi iampridem expetiſtis, occaſionem fortuna attulit, vt vires, virtutemq; veſtram in Venetos, quos toties maiores veſtri paruis copijs fuderunt, oſtendatis. Hic dies Inſubribus imperium, & libertatem aut ſtatuet, aut finiet; Vtraq; res in veſtra ſita eſt manu: Recordemini obſecro, quæ maiores veſtri terra, marique pro gloria, & libertate geſſerunt. Illi ſiquidem quoties Hetruſcos, quorum imperium latè per Italiam ab Anchona propagabatur; aperto Marte fuderunt? Cæſo ad Alliam fluuium illi exercitu Romanis vrbem conflagrarunt. Illi Medoacos, illi Venetos acie trucidarunt. Nobis tamen res eſt diuerſiſſima. Illi etenim pro imperio tantùm, & gloria: nos autem pro vita, & libertate certamus: quò minus vos decet hoſtium numeroſiores copias, & nauium magnitudinem extimeſcere. Nullum vobis cum Italis certamen eſſe putatote, apud quos rei militaris peritia, naualis belli plurimùm pollet, aut cum Gallis Tranſalpinis, & Germanis, apud quos pro diſciplina militari vires corporis firmiſſimæ adſunt: ſed cum barbaris Phrygibus, & Paphlagonibus, Græciſque, quibus dici, vel fingi poteſt imbecillius nihil, res geritur. Quibus nullæ belli artes, animus ad fugam, quàm ad pugnam paratior ſemper fuit. Multitudinem innumeram, quibus longè nobis ſunt ſuperiores, quoties ex-

Digitized by Google

pertus ipſe ſum eſſe ad fugam, quàm ad victoriam, quę ſemper poſita eſt in virtute paucorum propenſiores. Nos autem illis militum audacia, & virtute præſtamus. Dij quoque pro iuſtiore ſunt parte. Vltrò enim nulla Veneti laceſſiti iniuria Cremonenſium ſociorum agrum, & Cenomanos populantur. Ite igitur alacres, vt ex hoſtibus non victoriam ſolùm, quæ iam parata eſt, ſed ſpolia ditia refeẽratis, & gloriam immortalem. Hæc breuiter effatus totis remis, ventiſque progredi cœpit. At parte ex altera Veneti ex omni claſſe, quæ quinque, & triginta numero conſtiterat, duodecim delectas naues in fronte ſtatuere. Dux exercitus Nicolaus Triuiſanus primus aciem regebat: reliquas viri præſtantiſſimi eius imperio parere iuſſi, tuebantur. Has omnes inter ſe catenis vinxerant, haud dubie ſi maior vis ingrueret, vniuerſam belli molem ſponte ſubituri, poſtremas in duas acies, velut alas poſuere. Omnibus itaque ad prælium pro tempore inſtructis, vtrinque ſigno dato concurritur. Remis vndique colliſus amnis reſonat, acclamantium deinde voces, machinarum ſtridor nauium inter ſe concurrentium fragor auras impleuerat. Primus omnium Inſubrum ductor in aduerſam claſſem magno impetu inuectus, non recta fronte, ſed ſiniſtro latere congreditur, remorumque vi, ac militum robore per medios hoſtes veluti fulmen elapſus, cæteris iter aperit, ſeſeq; infra alueum tota acie conſtituit. Hic acre bellum oritur, captis iam aliquot ex Venetis nauibus vnamq; ex his pugnæ initio validius obſtantem vndis immerſit: reliquas trepidatione, & metu fluctuantes hinc à latere, hinc à fronte conſecutus ex itinere ſiſtit. Clauſis igitur ab vtraque parte hoſtilibus copijs, cum iam nox increbeſceret, pugnamque differre placuiſſet, ſuos in primis firmat: robur denuo totius exercitus in fronte conſtituit: naues expeditas in lateribus loca, pro ſaucijs integros reponit, ſuos ortari, monere, bono animo eſſe iubet

vi-

Digitized by Google

victoriam dijs fauentibus partam eſſe oſtendit: & hoſtes, quibus cum iã pudeat pugnare, veluti lepores in cubiculis depræhenſos metu, & deſperatione torpere. Interim Veneti pugna diffuſi naues potiſſimum bellicas in vnum coniunxerant, ex tribuſque duas acies effecerant. Nicolaus Triuiſanus milites affatus, quanto in periculo eorum ignauia res deducta ſit, admonet: vt decus amiſſum reparare velint hortatur. Viam edocet ferro, virtute ad Venetias aperiendam eſſe: & ſubſidij deniq; ſpem nullam. De ſalute & libertate certamen eſſe declarat, cum eis præſertim qui nomini Veneto ab incunabulis, hoſtes ſunt infenſiſſimi. Tali oratione animos ſuorum iamdudum metu, & inertia deſides ad certamen excitare conabatur. Interea clarior dies illuxerat, ita omnes ad certamen rediere. Tunc acrior ad pugnam impetus fuit occurrentium inter ſe nauium, deniq; militum clamor ad cœlum ferebatur. Nuſquam horridior belli facies. Venetos ſalutis deſperatio, Inſubres vrgebat partæ iam victoriæ gloria. Tandem perfracta belli acies prima eſt, quæ tribus millibus, & ijs quidem bellicoſiſſimis innixa fuerat: mox ad reliquam claſſem deuentum medio in Pado arcem veluti firmatam: hic vario Marte diu pugnatum eſt. Interea Franciſcus Sforcia quid optimum factu cunctatus eſſet, duas cæteris eminentiores puppes, quas Galeaceas, vocant in mediam hoſtium aciem immittit. Haud aliàs acrius pugnatum eſt. Naues enim nauibus ita coniunctæ erant, vt vir viro velut in firmo poſitus pugnaret: & gladius gladium exciperet. Interim naues, quæ in Inſubrum ſubſidijs primas tuebantur, ſuorum cohortes circundare, ſaucios efferre, integros addere, hoſtes plerunque circumire, miſſilibus, teliſq; inceſſere cœperunt. Hacq; ratione Venetæ claſſes, quæ in prima fronte conſtitutæ depugnabant, magna vndiq; telorum mole obruebantur. Poſtremò Mediolanienſium non ferentes impetum, dirutis quibus

Digitized by Google

bus hæſerant vinculis, ſuæ quæque ſaluti conſulentes fugam arripuere: pluræque tamen nautis, armamentiſque diſiectis, fluenti alueo immiſſæ vagabantur; multæ ex itinere retentæ. Ex his quatuor ductorem protegentes, cum arenis inhæſiſſent, non ſine magna vtrinque ſtrage ſuperantur. Nicolaus poſtquam Venetos ab omni parte cedi conſpicit, & nullam ſalutis ſpem ſupereſſe, honeſta morte haudquaquam inferiorem fugam ratus per medias acies incognitus euaſit. Veneta claſſis hinc inde debellata diripitur: captiui omnes in poteſtatem redacti ſunt. Ex his qui barbari fuere in ſupplementum copiarum acciti vndis obruti ſunt. Venetis veluti armis depoſitis ſocijs vita conceſſa eſt. Sex ex claſſe Veneta rates tantùm ſunt Venetias delatæ, & ſic Cremona obſidione liberata. Hæc habui, quæ, vt tibi Auguſtæ Bacienorum Comes Hippolyte Mayne obſequerer, dicerem quod ſi tuæ voluntati, & meæ exiſtimationi minus eſt ſatiſfactum, anguſtiæ temporis id omne precor adſcribe, & vale.

VALETE.

QVE-

Digitized by Google

QVERELA APOLOGETICA.

PErſuadebam ipſe mihi, ad maiorum noſtrorum æmulationem, quorum vigiliæ ſi non extarent, pueri ſemper eſſemus, me quoque vtilitatis aliquid in medium contuliſſe, & non huius ætatis hominum modo, ſed & poſteritatis gratiam mihi conciliaſſe: cum quod rem nouam, tum vtilem mihi ſcribendam deſumpſiſſem. Verùm aliter euenire multò intelligo: & ita intelligo, vt laboris me pigeat mei. Pro gratia enim, quæ ab ijs præſertim, qui me conuitijs inſectantur, meritò debebatur mihi, Dij boni quam inuidiam non excitaui? Quæ tragœdiæ non ſunt actæ? Vociferant alij pedeſtrem non obſeruaſſe me numerum: optarent alij ad quaſcunque dictiones accentuationes. Nonnulli falſæ me hiſtoriæ hallucinatorem prædicant. Scripſere plures, litterarum, quas ſibi bonas appellant, me prorſus expertem. Non defuere qui me grammaticum & frigidum, & ieiunum dicerent: nec poſuiſſe me pedem extra ſepta Priſciani. Hæc ego æquo animo patiebar, quod legerim hanc veterem alliciendæ veritatis gratia, conſuetudinem fuiſſe. Sic Platonem ab Ariſtotele, Zenonem à Carneade, à Lælio Varronem, à Sulpitio Caſſelium, & Hilarium ab diuo Hieronymo repræhenſos eſſe: & hunc ab Auguſtino. Rurſus ætate ferè noſtra Angelum Politianum, Domitium Calderinum, Georgium Trapezuntium, & Galeotum Narnienſem Georgius

Merula

Digitized by Google

Merula acris vir ingenij notauit. Verùm apertas contumelias legiſſem, non potui eorum infantiam contundere, ne quandoque ſi hæc indiſcuſſa, irrefutataq; relinquerem, anſam eorum loquacitati largiorem præberem. Itaq; ne te longiore exordio diſtraham, rem ipſam adgrediar, ſi te & aduerſarios iſtos prius orauero, ne putetis his male dixiſſe me, ſed reſpondiſſe. Vale. Mediolani Kalend. Iulij M. D. XXXVII.

ZOILVS. Tanta nunc eſt hominum temeritas, vt audeant etiam illi, qui vix gramaticale opus Alexandri didicere, ſuas in lucem nugas edere; quorum turbam paſſim per Italiam, ambaſq; Gallias, & Germaniam in dies videmus. MER. Tanta nunc eſt ingeniorum peruerſitas, & maleuolentia, eorum potiſſimum quæ premit ignauia, vt nulla ratione ſuſtineant, quod eruditorum ingenia pepererе. ZOIL. Oleum & operam Merula perdidiſti in hac tua topographia, & hiſtoria. Illam enim pleniorem, atque elegantiorem habeo apud Ptolemæum, Strabonem, Plinium: hanc verò apud Titum Liuium, Saluſtium, & Cornelium Tacitum. MERVLA. Pudet me ferè hoc loco tibi reſpondere, vtpote qui ſic apertè deliras; dicam aliquid tamen, quò dementiam facilius agnoſcas tuam. Dic obſecro hi ne hiſtorici, quæ poſterioribus ſeculis ſunt geſta ſcripſere? Enarrauit ne Titus Liuius Caradinum Rubrobarbum & Tunetum Africæ vrbem opulentiſſimam à Carolo quinto expugnatum? Aut Ludouicum Sforciam captiuum in Gallias deductum? vel Romam ſub Clemente ſeptimo à copijs Cæſaris prædæ expoſitam? Neapolim à Gallis obſeſſam? Sabaudienſem ducem exulem? proditione à ſuis Alexandrum Medicem Florentiæ ducem obtruncatum? Mirum ni quæras tot exercitus Gallorum noſtra ætate conſumptos apud Salluſtium, aut tot Heluetiorum copias in ſuburbijs Mediolani ferro contritas apud Tacitum? Hæc de hiſtoria dicta ſufficiant: venio ad topogra-

Digitized by Google

pographiam, quam huius Ciſalpinæ Galliæ [neſcio quo fato] autores ferè intactam reliquere. Plinius ſiquidem velut canis Niloticus maiorem partem dereliquit: idem facit & Strabo: Ptolemæum his aliquanto locupletiorem eſſe non diffiteor. Multa tamen oppida celeberima ſublato ab humanis Ptolemæo, & vrbes in lucem venere, extinctæ ſunt aliæ. Ne me putes tamen hæc dicere, quò meos de hac Ciſalpina Gallia libros commendem tibi, ſed vt in maximo eſſe te errore cognoſcas. ZOILVS. Si Tulliani oratoris Merula per tranſennam ſaltem (quòd aiunt) libros inſpexiſſet, numeroſior ipſius fuiſſet oratio: verum cum eos ne attigerit quidem, non mirum ſi vanida eſt ipſius oratio. MERVLA. Quorum oratio numeris careat, non video: nam ſi dictiones pedes efficiunt, & numeros pedes, quorumtandem ſcripta numeris vacant? ZOIL. Triangularem cur ſcriuerit Merula Galliam eſſe Ciſalpinam, non video, cùm ab vrbe Mediolani latum (quòd aiunt) vnguem pedem nequidem extulerit vnquam. MERVLA. Quæ te Zoile demens agunt intemperiæ, vt hæc verba ſic inania deblaterare audeas? vt igitur Ptolemæo doctior es, qui omnium ferè plateas vrbium circumforaneus pharmacopola perluſtraſti. Ad hæc tecum non ſentit Ptolemæus Marinum arguens: cuius contentiones, quoniam impreſſæ ſunt, ipſe legeres. ZOIL. Laios populos nuſquam legi cum apud Strabonem, tum Ptol. Liuium, & Plinium: ſcio tamen generali nomine λαοὺς populos ſignificare. MER. Si hoc mihi non credis, cur non Polybium legis? qui gentes illas, quas Ananes, & Salaſſos nominaui, ipſe Laios appellat. ZOIL. Vix riſum continui, cum apud te legi Gallos fortitudine Romanis antecellere. MER. Quòd dixerim Romanos eſſe robore corporis Gallis inferiores, ne mirum ſit tibi: dixit hoc idem M. Cicero in oratione, quam habuit ad Aruſpices, cuius hæc ſunt verba; Quàm volumus P.C. licet ipſi

Laij populi qui.

Digitized by Google

nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec caliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo huius gentis ac terræ domeſtico, natiuoq; ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate, ac religione ſuperauimus. Quòd ſi Ciceroni velut huius regionis ſtudioſiſſimo, & omnia trahenti ad vtilitatem cauſæ, ſtandum minus eſt: audi ipſius aduerſarium Criſpum Salluſtium in fine belli Iugurthini. Per id tempus, inquit, aduerſum Gallos a ducibus noſtris Q. Scipione, & M. Manlio male pugnatum eſt: Quo metu Italia omnis contremuerat. Illiq: & inde vſque ad noſtram memoriam Romam ſic habere: alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certare. ZOIL. Piſaurum Merula interprætari debuiſſes à Piſis aureis, hoc eſt, à præſtantia Piſorum ibi naſcentium. MER. Hanc tuam opinionem credant aniculæ, vel aliquis (vt inquit ille) Iudæus apella. Audi igitur Seruium Honoratum grammaticum in ſexto Æneidos: Tum Camillus, inquit, dictator abſens eſt factus, cum diu eſſet apud Ardeam in exilio propter Veientanam prædam non æquo iure diuiſam: & Gallos iam abeuntes ſecutus eſt, quibus interemptis, aurum omne recepit, & ſigna: quæ cum illic appendiſſet, ciuitati nomen dedit: nam Piſaurum dicitur, quòd illic aurum penſatum eſt. ZOIL. Coctias Alpes Noricum attingere præter Alciatum ex Caroli Bouilli ſententia, qui ait Gallos poſt euerſam Romam per Alpes Coctias in Macedoniam penetraſſe, certiſſimum eſt. MER. Sic attingunt Coctiæ Alpes Noricum, ſicut Veſulus Indiam. Nodus omnis & difficultas (vt ipſe putas) circa Cor Tacitum quem ſi ſanè intelligeres, ablata eſſet, verſatur. Cum Suetonio enim Tranquillo memoriæ tradidit Tacitus Fabium Valentem itinerum venditorem per Coctianas Alpes cum exercitu, & Cecinnam cum XXX. millibus armatorum per Penina iuga in Citeriorem Galliam contra

Piſaurum vnde dictum.

Otho-

Othonianos deſcendiſſe. Vellem nunc mihi diceres, qua ratione Valens potuiſſet coniungere ſe cum Cecinnæ copijs ad Ticinum vrbem, ſi loca omnia præter Mediolanum Nouariam, Vercellas, & Hipporediam ab Othonianis firmo præſidio tenebantur. Præterea in Norico, vbi Coctias Alpes ponis, Petronius vrbis præfectus, qui facile Vitellianos per eas partes irrumpentes reieciſſet, concitatis auxilijs, & diſſolutis fluminum pontibus eum tractum occupauerat, Othonis ſic ſtudioſus, quàm qui maximè. In Dalmatia præterea, Pannonia, & Miſia, quæ regiones ſunt Norico proximæ, pro Othone exercitus erant. Quoniam igitur itinere Valentis copiæ Ticinum perueniſſent, ſi per Noricum iter faciendum fuiſſet? Sed non ne ego demens, qui in ſole caliginem quæro? lege Plinium, & mecum ſenties, dicentem: Alpium incolæ Octodurenſes, & finitimi Ceutrones, Coctianæ vrbes, Caturiges, e Caturigibus orti Vageni, & Ligures, qui Montani vocantur, Latio donati ſunt. Qui non videt hoc in loco, populorum qui vicini ſunt à Plinio recenſeri, & Coctias Alpes non eas eſſe, vbi eſt Seguſium, velut Carneades alter helleboro purgandus eſt. Sunt enim Octodurenſes eius pagi inter Heluetios, qui nunc eſt Sanctus Mauricius, homines, in valle non magna ſub Sedunenſi epiſcopo. Ceutrones proximi ſunt Garocellis, & Caturigibus, non procul à Vocuntij Nouariæ conditoribus. Iacent autem Vocuntij inter Conualles Graiarum Alpium, quæ nunc Cineſius appellantur: quibus iter èſt Geneuam, ad lacumque Lemanum. Sed video hactenus eſſe à me confectum nihil, niſi pedem intra Coctias Alpes intuleris. Audi igitur Nazarium in Panegyrico ad Conſtantinum Imperat. Differamus, inquit, parumper Italicas expeditiones, quibus Seguſienſium ciuitatem, quæ ſuperatis Alpibus Italiæ clauſtrum obijcit, cum vi & virtute velut ianuam fregiſſes. Quòd autem Seguſium Suſa

Seguſiũ idẽ quæ nunc Suſa dicitur.

nunc ſit ab Auguſta Taurinorum ſtad. CLX. diſtans, apparet ex eiuſdem Nazarij verbis paulò infrà cum inquit: Ecce iam apud Taurinos venientem pugna grauior expectat, nec Seguſienſium vaſtitas mouet. Hæc ille. Vides igitur aduentum Conſtantini ex vlteriore in Citeriorem Galliam, & primo à Seguſio in Auguſtam Taurinorum, & illinc Mediolanum. Habent autem Alpes Coctiæ miram latitudinem, & longitudinem: adeò vt à Bobio (ſi Georgium Merulam ſequimur) Seguſium vſque pertineant, & à Citeriore in Vlteriorem Galliam protendantur. Hæ functo vita Coctio in formam prouinciæ (vt autor eſt Suetonius) à Nerone ſunt redactæ. Quòd ad Citeriorem Galliam attineant, teſtes ſunt Annales ſacri. Comi ſiquidem legitur in vita Diuarum Liberatæ, & Fauſtinæ, quòd erant natæ patre Ioannate apud Curiam Geneſinam inter Alpes Coctias habentem Padum flu. à Septentrione, à Meridie Alpes ipſas: Quò loci Mercatores in Italiam è Gallis via Claudia commeantes diuertebant. Quo ſitu conſtat hanc Curiam fuiſſe (vt ex hoc loco loquar) Traſpadanam, & Apenninum habuiſſe à Meridie, vbi appellantur Alpes Coctiæ. Falſo igitur Georgium Merulam criminatus eſt Alciatus. Præterea Diuus Ambroſius, non eccleſiæ Mediolanienſi modò, ſed & Liguriæ, Aemiliæ, Rhetiarum, & Coctiarum Alpium ſacris præerat. ZOIL. Quòd Mediolanum caput Liguriæ ſit, vt ab ipſo Merula audiui, nuſquam legi apud probatum aliquem autorem. MER. Poſt inclinatum Rom. Imperium multarum vrbium, populorum mutata ſunt, & variata nomina. Sicut quod quiſque etiam doctus facile non credat Ciſalpem Galliam per eiuſdem Ambroſij tempora, & Gotthis in Italia poſtmodum regnantibus Liguriæ nomen habuiſſe, vt legitur in libello eiuſdem ſuper hac re edito: Diuus etiam Hieronymus Vercellarum vrbem Liguſticam vocat. In Itinerario etiam Antonini legimus Mediolanum Liguriæ

caput

caput vocari. Et Caſſiodori extat epiſtola ad Gaudioſum Theodorici regis à ſecretis, vbi inter cæteras Comi laudes id appellat quendam quaſi murum planæ Liguriæ, & munimen clauſtrale prouinciæ: ita erunt duæ, planam nos incolimus, montoſam cæteri: vt Statyelles, & Gabienni Veſuli montis accolæ. Nec te moueat Seruius in XI. Aeneid. qui ait, Liguriam maiore ex parte ſui in Apennino ſitam eſſe. ZOILVS. Coctias Alpes, & Iulias ſi diligentius & Alciatum, & Diuum Hieronymum Merula perlegiſſet, eaſdem eſſe dixiſſet. MERVLA. Si Diuum Hieronymum rectè intelligeres, diuerſas eſſe diceres à Coctijs Alpibus Iulias. Lege igitur Latinum Pacatum ita dicentem; Quò fugiam? bellum ne tentabo? vt quem viribus totis ferre non potui, parte ſuſtineam? Alpes Coctias obſerabo, quia Iuliæ profuerunt? Ex ijs verbis qui non videt Coctias, & Iulias Alpes diuerſas eſſe, ad magiſtratus reijciendus eſt. Verba Hieronymi aliud nihil videntur innuere, quàm Vigilantium patria Hiſpanum per Adriaticum ſinum in hanc Ciſalpinam Galliam deſtituta Roma ſe contuliſſe: & hinc per Coctias Alpes in Galliam vlteriorem, & illinc mox in Hiſpanias aufugiſſe. Quo in loco miror Eraſmum, Coctias Alpes quaſi Gotthicas interpretatum fuiſſe tanquam Gotthi his Alpibus nomen indiderint. ZOIL. Falsò quoq; Merula Venetos inter Ciſalpinos Gallos recenſuit, cùm conſtet illos diuerſum genus eſſe prorſus à Gallis. MER. Quòd Venetia ab autoribus in Ciſalpina Gallia conſtituatur, teſtis eſt Seruius in libro X. carmine illo, Sed non genus omnibus vnum. Quia origo, inquit, Mantuanorum & à Tuſcis venit, & à Venetis: nam in Venetia poſita eſt: quæ & Gallia Ciſalpina dicitur. ZOIL. Vbi nam gentium ſint Alpes ſummæ, quarum meminit Merula, nuſquam, quòd ſciam, legi. MER. Credo ad hanc contentionem me à te irritatum, vt hac ratione docearis: ſi ob hanc rem ingenioſus fuiſti laudo

inge-

ingenium tuum. Audi itaq; & diſce, quænam ſint Alpes ſummæ à C. Cæſare libro Commentariorum tertio. Cùm in Italiam, inquit, proficiſceretur Cæſar, Ser. Galbam cum legione XII. & parte equitatus in Antuates, Veragros, Sedunoſq; miſit: qui à finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent. Cauſa mittendi fuit, quod iter per Alpes quo magno cum periculo, magniſq; portorijs mercatores ire conſueuerant, patefieri volebat. Eas aũt eſſe arbitror, quæ ab Peninis ad Leopontiorum Alpes extenduntur ZOIL. Dij boni cur ſic Gallis Tranſalpinis inuidiſti, vt eorum originem ſubticueris? MER. Eorum primordia dixiſſe me ſatis arbitror: horum autem, qui nunc Franci nominantur, quia origines ignoras, in hanc rem ſedulus intendiſti, vt illæ à me tibi declarentur. Accipe igitur quid de his apud probatos autores legerim: Francos prius Salios fuiſſe appellatos Am. Marcellinus eſt autor: quod etiam eorum leges arguunt, quæ Saliæ nominantur. Salios conſtituit Ptol. in Sarmatia vicinos Aorſis, Agathyrſis, & Alanis: qui vltra Riphæos ſunt montes, à quibus Tanais oritur. Salij igitur ſedibus egreſſi in Germanias penetrarunt: diuq; cum Germanis per tempora Valentiniani Imper. belligerarunt: victores tandem adiunctis ſecum Arthuaris, & Turingis ad Rhenum deſedere: breuique factum eſt, vt quicunq; Germani Romanum Imperium detractarent, Salijs ſe ſociarent: vnoque nomine ſe Francos appellarent. Horum opes deinde oppreſſa à Gotthis Italia adeò creuere, vt tranſacto Rheno vlteriores Gallias occuparint, ſedeſq; in eis conſtituerint. A quibus per longam ſeriem à Carolo illo cui ob res geſtas Magno cognomen fuit, Francorum reges fluxere. Hic Longobardorum Deſiderio rege capto apud Ticinum Regiam his dignitatem ſuſtulit, imperatoriam ipſe aſſecutus eſt. Pipinus Imp. ex huius ſanguine, qui Carolo Caluo ſucceſſit, vt Italiæ regia Medio-

Francorum origo Salij.

Leges Saliæ.

Carolus Magnus.

diolanum diceretur, inſtituit, quòd vrbs hæc Citerioris Galliæ metropolis ſemper extiterit, quodq; velut arx, & ſpecula totius Galliæ Italiæ, & Germaniæ habeatur. Pipini inſtitutum, & cæteri ſecuti ſunt. Nam, & Bernardus cuius tumulus viſitur Mediolani in Ambroſiano templo, hic rex ſalutari voluit, & ab Antiſtite Mediolanienſi coronari. Diſſidentibus inde inter ſe Ludouico Calui filio, & eius patruelibus, extinctum eſt Francorum regnum in Italia. Loco quorum Berengarium Foroiulienſem ducem, Italiæ regem Mediolanienſes ſalutant, coronantque: qui à regno ſæpius expulſus, id tamen Ciſalpinis Gallis adiuuantibus ſemper inuaſit: vix vnum, atq; alterum reperies, in quem toties fortuna luſerit. ZOILVS. Debuiſſe hoc loco cur Brigantia nunc dicatur, hic Orobiorum tractus exponere: ſi polyhiſtoriam tuam ad vnguem (quod aiunt) abſolui cupiebas. MER. Si ad ſingularum aut regionum, vel vrbium interprætationem fuiſſem immoratus, dij boni finem hæc noſtra quando inueniſſet hiſtoria? quando extremam manum impoſuiſſem? Verum, vt hac in re quoq; ſim de te benemeritus, accipe quid de Brigantia ſentiam. Verbum eſt apud Græcos Βριάω, ideſt extollo, quod hæc regio collibus elata ſit, quaſi Briantia: vel quòd incola eius regionis ſit fortis, vel agreſtis ἀπὸ τοῦ Βριαροῦ. Quid aliàs Bonauentura Caſtillionæus vir florentis ingenij de Brianteis collibus conſultus reſcripſerit, audi ipſius verba: fortaſſis nec incongruum fuerit de Brianteo monte vulgò Briantia eadem referre, quæ aliquando audiuiſſe me memini, & apud quendam, etſi minus idoneum autorem legiſſe, qui tamen paulò poſt Rubrobarbi ætatem vixerit. Totum tractum illum inter Abduam, & Moguntiacum vini feracem ab eius exercitu Germano montes Brigantiæ eſſe appellatum à ſimilitudine collium, qui ad lacum Brigantium hodie Conſtantienſem circumiacent, vitibus conſertorum. In his enim collibus longo tempore Germani

Pipinus.

Brigantia.

castra

caſtra habuere, dum bellum à Rubrobarbo contra Mediolanienſes gereretur. ZOILVS. Iuliarum Alpium ratio paulò diffuſius fuiſſet exponenda: ne hac in tua lectione lector, Merula, cogatur hæſitare. MER. Aliud à me nihil intelliges, quàm quod ſecundo libro legiſti. Quid de his Caſtillionæus ſentiat, non grauabor adducere: Quamuis (inquit) ſcriptores conueniant Iulias Alpes eas eſſe, per quas ex Foroiulij tranſitur in Noricum, & adhuc tamen non ſatis conſtat an à Foroiulij, vel à Iulio Carnico nomen ſumpſerint, & an eodem nomine appellentur: in hoc omnes hærent. Sed cum haud dubium ſit Ptolemæum Carnos, & Iulium Carnicum ſupra Concordiam, & Forumiulij locaſſe: ita credendum eſſet Iulias Alpes à Iulio Carnico nomenclaturam habuiſſet: & eas eſſe quibus à Tergaſto iter eſt in Charinthiam, quæ & Charnithia vocatur ab eruditioribus: & paulò vltra Pannoniam verſus ſuperiorem, quæ & Carneola dicitur. Qui quidem mons à Pomponio Mela, & Taurus appellatur. Nomen adhuc in Norico, & Carinthia durat, hoc eſt, Taura. Auguſtiſſimi in his ſunt tramites, nulla curribus via. Mirum in pleriſque horum montium locis, cum paulò altius ſol ad Cancri tropicum peruenerit, in ipſis niuibus vermiculos quoſdam gigni: veluti tineas. Quorum meminit Vadianus vir doctiſſimus in commentarijs ſuis in Melam. ZOILVS. Qua ratione Rhetiam Italiæ portiunculam Merula dixerit, non video: cum ſciant omnes Rhetos extra Italiam eſſe, & Germanorum idiomate vti: Griſoneſque hac tempeſtate nominari. MER. Si in hoc ſum deceptus, aliquantula venia ab alijs ſaltem condonabor, ſi mihi Zoile iniquus arbiter extiteris: ſecutus enim ſum Titum Liuium: qui ait Tuſcos duce Rheto in ijs locis deſediſſe acie victos à Belloueſſo: in Rheticis præterea Alpibus aliquando (verbis vtor Caſtillionæi) habitaſſe gentem Italicam: Rhetoſque lingua vſos Italica, illud argumentũ eſt, quòd apud illos etiamnum Latinorum lingua

Mons taurus qui.

lingua

lingua perdurat, tametſi prorſus nunc apud eos extincta ſit. Perſeuerant tamen huiuſce rei nonnulla veſtigia. Ientare enim adhuc dicunt pro cœnare, eandem fidem faciunt multa circùm loca, quorum Latina hodie nomina leguntur: veluti Rhetorum oppidulum Magauilla, quaſi Magna villa vocatum, & Vallis dulcis Valtdulc: & non longè ab his Monticulum quendam Montiglum vocant. Rochus etiam Quadratus multa vir experientia cum apud Rhetos nomine Franciſci Sforciæ eſſet, retulit inter illos vicum eſſe, cuius incolas idiomate Italico vti aſſerit. Quòd originem à Tuſcis duxerint, Iuſtinus quoq; libro, ni fallor, vigeſimo atteſtatur. ZOIL. Si autorem, Merula, mihi dederis idoneum, qui Vicomercatum Vicum Martis appellet, autor ſum, vt me in piſtrinum dedas. MERVLA. Nullum fateor habere me, qui hæc dicat autorem: Verùm famam ſecutus ſum perennem, quæ plerunque vim teſtimonij habet. Deinde regio, cuius hic Vicus Martius caput eſt, Martiſana dicitur, quaſi quòd eius tractus homines inſani Martis deſiderio ardeant. Eo in vico præterea cuiuſdam Martij tumulus eſt, quem hìc non grauabor annectere.

In Aede ſancti Stephani in Vico Martio, qui nunc Vicomercatus appellatur.

HERC. INVIC
VOT. MARTIVS.
LVSOR ALBVCIVS
L. D. D. D.

Quaſi quòd hæc inſcriptio ex Vico Martio eum eſſe demonſtret. ZOIL. Aequè delirantem Merulam ſi dixero, quòd fidem ſumat ex inſcriptione ſaxorum, quis mihi vitio vortet? MERV. Omnes equidem, qui ſolidiores tuis

Digitized by Google

nacti ſunt litteras. Non ne idem fecit T. Liuius? & eo prior Polybius? quoties enim illi ad columnam Liciniam, qua Annibalis geſta continebantur, confugiunt, velut ad ſacram (quod aiunt) anchoram? Non ne Tranquillus inſcriptioni aræ, quæ in Treuiris erat, fidem præſtat? Quintus quoque Curtius Erithræi maris nomen de ſepulchro quodam mutuari, quàm vulgatæ ſtare ſententiæ mauult. Trebellius quinetiam Pollio Valerianum iuniorem Imperatorio diademate decoratum extitiſſe declarauit, non alia ratione ductus, quàm quòd eius tumulo, qui Mediolani ea tempeſtate viſebatur, Claudij iuſſu illud vidiſſet inſculptum. Igitur ſi ſic vetuſtiſſimi factitarunt, cur me arguis? Quòd autem Taciti ſit ſententia (nunc eruditiſſimo Caſtillionæo reſpondeo) Danubium à monte Arboni (quod quidem Arnobi legendum eſſet) oriri prope Hercyniam ſyluam, vulgo ſyluæ nigræ nomen ſeruat ex aduerſo Rauracum, quorum oppidum eſt Baſilea. Arnobi Plinius, & Ptolemæus meminerunt, ipſe non inficias eo: imò ipſius ingenium laudo. Danubium ſcribit Alciatus ex præcipiti, & excelſo montis Arbonæ iugo ortum habere: cum tamen ab ijs, quibus paulò compertiores ſunt ortus ipſi, referatur ex molli, & clementer edito colle eum ſcaturire apud viculum, quem Eſchingiacum Danubij appellant: vulgo Duneſchingen. Hæc habui vir ornatiſſime, quæ in defenſionem contra nonnullos, qui vix inſpecto opere ad maledicentiam prorupere, paraui, quorum dicta breuiter attigi, rectè ne, an perperam ea diluta ſint, tuum ſit iudicium. Bene vale.

Hercynia Syluæ nunc vulgo Sylua nigra dicitur.

Mediolani
VIII.
CAL. IVLII
M. D. XXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPI-

Digitized by Google

3

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII BRIXIANI VIRI ERVDITISS.

Libri tres.

IN QVIBVS PLVRIMA LOCA AVCTORVM Latinorum, & Græcorum hactenus à nullo tractata, aut non rectè expoſita explicantur, aut corrupta emendantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRIBVS CAESARI, IORDANO, ET MARCELLO ARNVTIIS MEDICIBVS EQVITIBVS.

IOANNES MARIVS MATTIVS S. P. D.

AMARI a quamplurimis nobiliſsimi Arnutij, & odia hominum effugere præclarum quiddam, & optabile eſſe, & iucunditatis plenum fatentur vno conſenſu, & prædicatione omnes. Redduntur etiam rationes, quibus via commonſtratur, quo modo offenſionem vitantes, beneuolentiam colligere, & collectam, ſartam, & tectam toto vitæ curriculo conſeruare cum laude queamus. Quas rationes ſcribens ad homines ſapientes, & omni omnis doctrinæ atq; hiſtoriarum ſupellectile egregie inſtructos huc

conge-

congerere conſilium non eſt. Hoc tantum dicam. Etſi cantari vbiq; audimus, Difficilia eſſe, quæ pulchra (amicitia autem quid pulchrius? quid etiam conducibilius?) tamen iudicare me, ad amorem iſtum comparandum, nullam viam reperiri poſſe pulchriorem, nec compendiariam magis Beneficentia, & Gratia. Quam vtramq; virtutum ſi quis vmquam adamauit, certe hic a nobis cultam fuiſſe omni tempore in familia veſtra vniuerſi norunt, & prædicant, vt mirandum non ſit, ſi cari toti ciuitati ſitis: & omnes vos in oculis ferant, egoque κωμικὸς μάρτυς teſtimonium apud omnes tribuere poſſum. Nemo vos beneficio, nemo redditione gratiæ vicit. Macti hac animi ſublimitate Arnutij. Virtutes induiſtis virtutum nobiliſsimas, pulcherrimas & liberiſsimas, vireſcentes ſemper, & ſemper florentes, & feraces. Aliæ fortaſſe apud alios frequenti, & nimio partu defetiſcuntur, & deficiunt, hæ apud vos fætæ ſemper, & fecundæ ſunt; effætæ numquam, & numquam ſteriles. Pariunt illæ vobis, quam quærere omnes ſapientes debent, rerum humanarum omnium nobiliſsimam, formoſiſsimam, & beatiſsimam poſſeſsionem, felicitatem ſine inuidia. Maiores veſtri hanc vobis ad gloriã ſtrauerunt viam, vos veſtra veſtigia in eorũ exemplis hereditario iure firmiter imprimitis. Proponatur quilibet

ex

Digitized by Google

ex antiquis veſtris: vniuerſi illuſtri aliquo facinore, & honore inſignes, prope digito monſtrabunt ad virtutem, & gloriam parandam viam.

Nobilitatem tradunt viri in ſapientia principes ab antiquitate, opibus, & virtute conſtitui. Tribus his facultatibus ante conditam Alexandriam vos Arnutij, decentiſsime floruiſtis. Nam ſatis hiſtoriarum monimentis conſtat, quo tempore Imperator Fridericus Rubrobarbus totam Galliam Ciſalpinam grauiſsimis tributorum exactionibus, & armis infeſtam haberet; a coniuratis ciuitatibus iugum impotentiſsimi dominatus indigniſsime ferentibus Brixia, Cherio, Cremona, Dertona, Haſta, Mediolano, Parma, Placentia deductam huc fuiſſe coloniam Alexandriam: loco tunc quidem vacuo, ſed, ſi incoleretur, ad retundendos Ticinenſium, & Marchionis Montisferrati impetus, qui partibus Friderici ſtudentes finitimarum ciuitatum libertatem iacturam ſuam putabant: & ad celeriter inter ſe fœderatorum copias coniungendas, atq; alendas inter duo nauigabilia flumina Burmidam, & Tanarum opportuniſsimo. Initio enim conditæ vrbis vicus Burgolium nondum a radice vicini collis ad fluminis Tanari ripam, e regione vrbis, qua parte illa Zephyrum ſpectat, deductum erat, ſatis, inquam, conſtat, cum voluntariorum ex vicinis oppidis,

quos

Digitized by Google

quos cæli clementia, ſoli feracitas, & ſtudium defendendæ, atq; ornandæ nouæ vrbis inuitabat: tum euocatorum ex enumeratis ſupra vrbibus ingentem manum huc conueniſſe. In his fuere Arnutij fama adhuc ita teſtante: qui translatis huc opibus, quæ illis non tenues fuerunt, ex patria ſua Brixia vrbe cum iuuentutis numeroſæ & firmiſſimæ, & ad audenda nobiliſſima quæque facinora ſemper promptiſſimæ, tum virtutum omnium ad belli, paciſq; ſubſidium, & ornamentum neceſſariarum matre, & altrice, in noua vrbe de priſtina exiſtimatione & opulentia deperdiderunt nihil; immo omni tempore aucti virtute, & opibus: florentes prole, honoribus & amicis muniti propinquorum, & adfinium fide: celebres gratia, & hoſpicijs nobiliſſimorum hominum, ad has, & reliquas virtutes, quas commemorare non eſt ocium, addiderunt humanitatem, hilaritatem, cultum, & magnificentiam plane imperatoriam & regiam. Id teſtantur veteres abaci & menſæ auro atq; argento exornatæ; parietes peregrinorum periſtromatum ornamentis intecti, ampla in ſuburbio, & alibi latifundia: ædium vrbanarum atq; villarum magnificæ extructiones, cuilibet magno Principi recipiendo adcommodatiſſimæ, quæ hoſpitiorum neceſſitas ſæpe illis contingit. Namq; haud fere quiſquam, aut legatus, aut Cardinalis hac

iter

Digitized by Google

iter facit, quin rectà ad Arnutios deuertat propter cauſas dictas ante, & propter familiaritates, quas prope vbiq; ſed maxime Romæ habent cum Pont. Max. & tota Romana aula, & præcipuè cum Florentinis Medicibus, cum quibus iam inde a Leone, & Clemente, etiam antequam ad fauſtiſsimum Pontificatus Max. gradum illi conſcendiſſent, ipſis tanta interceſsit arctiſsimæ coniunctionis neceſsitudo, vt cooptatos in familiam ſuam Arnutios voluerint cognomenta, atq; inſignia gentis ſuæ in omnem poſteritatē referre. Itaq; in ſcriptis publicis, & priuatis Arnutij Medices adpellātur: & vtriuſq; familiæ ſigno tabularum, quas in contrahendo conficiunt, fidem firmant, & ſanciunt. Locus hic erat recenſendus illis: qui cum alijs virtutibus, tum maxime litterarum, & militiæ gloria floruerunt. Verum meditantem, atq; adcedentem iam ad cauſam numerus obruit, qui deterrens ab incoepto quaſi monet, vt profundam iſtam nimium, & plane Herculea ad exhauriendum ope indigentem Camarinam omnino non moueam. Attamen territus nihil ſum, quin mihi ipſe animum ad opus conficiendum, & complendum feci, ne partem conſtituendæ nobilitati principalem, & quæ in ea familia præcipuè culta ſemper fuit, aut culpa negligentiæ omiſſam, aut memoriæ infirmitate præteritam, aut alius vitij cri-

mine neglectam calumnientur aliqui in alienis perpendendis ſcriptis ſeueri, aſperiq; nimium exactores. Paucos aliquot (nam vniuerſos polliceri percenſere audaciæ eſſet inconſiderati, & iudicio carentis hominis) adtingam. Ergo in militaris diſciplinæ ſcientia, & vſu tradunt varij Annales, inſignes fuiſſe in gente Arnutia Manfredum, Gulielmum, Rainezonum, Lafranchellum, Paganum, Nicolaum, Iacobum. Quorum omnium nomina adhuc leguntur relata in publicis tabulis nobiliſsimæ Iuſtitiæ (ſic enim concilium illud adpellabant) Societatis, quæ frequentia, & ſplendore collegarum per ann ab ortu D. N. circiter CIↃ. CCC. celeberrima fuit, & florentiſsima.

Antonius Arnutius paulo poſt ea tempora in magno excellentium ciuium numero dilectus a Senatu populoq; Alexandrino, ad tollendas inter Monferatenſes, & ciues ſuos controuerſias, poſt multas, acreſq; diſceptationes tandem honeſtiſsimis conditionibus comite Gulielmo nobili iuriſperito ex antiquiſſima Lamboriciorum gente: quæ in hac ciuitate ſemper ciuilis ſcientiæ (vt interim ſileam, qui in militari arte excelluerunt) ſeminarium, & fons fuit, vnde perpetua, continentiq; ſerie per ſex ætates ex vnis ædibus ſex illuſtres iureconſulti ad hunc Alexandrum Lamboricium, item eximium iuris peritum, qui

qui nunc floret, manarunt, ſaluberrimam pacem concilianit. Properantem ad finem morantur ſubirati, & prope indignantes Guido, & Ioannes Luchinus Arnutij, quorum prior in bello Brixianorum contra Henricum VII. Imperat. poſt multa egregia facinora peſtilentia obijt. Alterum non fortuna, ſed animi altitudo, & conſcientia meriti ſui, quæ ſperare digna virtute iubebat, proximè ad ſublimiores in aula Romana honores extulit. Hic præter vetuſtam nobilitatem; ſubſidio ſcientiæ iuris, & legum, & ornamentis omnium liberalium artium fultus dedit ſe in familiaritatem Leonis, & Clementis Medicum multo antequam bono litteratorum fato vtriq; D. Opt. Max. Tyara Pontificia caput redimiret. in qua ſublimitate collocatus Leo vltro euocatum ad ſe Ioannem Luchinum, priſtino amore ſimul cum potentia aucto, ſic conplexus eſt, vt iuberet bono, lætoq; animo eſſe: & a ſe ſperare, atq; optare officia, atq; auxilia omnia, quibus dignitatẽ, & opes ſuas honeſtari, atq; amplificari poſſe iudicaret, nec minus re quã verbis liberalis fuit. Namq; cum iam Decanatus & poſtea Archipræsbyteratus in maximo fano Alexandriæ dignitate Luchinus eſſet inſignitus, ab eodem Pontifice Leone Medice ſtatim Protonotarius, & Relator (Referendarium dicunt) vtriuſq; ſignaturæ renunciatus eſt, adpellatuſq; Familiaris, &

Digitized by Google

relatus inter Barones, & Principes participantes maximorum quorumcumq; honorum, & dignitatum. Gubernator Parmæ, & Placentiæ præfuit. Præſidens etiam conſtitutus eſt Piceni cum titulo, & poteſtate Legati a latere, ideſt cari amici, familiaris, & tamquam a latere numquam diſcedentis. Admiſſus eſt in familia Medicea ipſe, & omnes in infinitam poſteritatem filij, & nepotes eius vt Arnutij Medices adpellarentur: & inſignia familiæ Medices geſtarent, annuloq; cum Mediceo ſymbolo firmarent quodcumq; ſancire ipſis videretur eſſe opportunum, & neceſſarium. Dataria demũ dignitate decorato reſtabat ſolus purpurei galeri apex, eo iam ipſi ab eodem Leone deſtinato ne potiri poſſet, obſtitit ſceleratorum audax, & immane facinus. Nam dum Quæſitor miſſu, iuſſuq; Leonis quæſtionem Peruſiæ in Paulum Baionum habet, ab ijs, qui, ſi cauſa eſſet dicenda, conſcij ſibi videbant ſuorum ſcelerum audaciam impunè ipſis non futuram, veneno ſublatus in ea vrbe, cum ſummo, acerboq; Max. Pont. totiuſq; aulæ, ac bonorum omnium dolore, & luctu interijt.

Iam ante hic Ioannes Luchinus Datarius adeptus erat a Summo Pont. ſibi, & poſteris gentilibus ſuis facultatem ſiſtendi, & nominandi Archipreſbyteri, & vnius Canonici in templo Max. Alexan.

Vtriuſq;

Digitized by Google

Vtriuſq; huius Sacerdotij reditus tenues tunc erant. Ioannes Luchinus ſui patrimonij diminutione anguſtias vtriuſq; ſubleuauit.

Idem Pontifex ablata abbatia D. Petri in Burgolio a Monachis D. Benedicti, eius abbatiæ Sacerdotio Petrum Martyrem Arnutium Ioannis Luchini fratrem Protonot. Apoſt. ornauit, addita facultate nominandi Flaminis, quam facultatem etiam ad poſteros peruenire volebat. Sed interea mortuo, vt dictum eſt, Ioanne Luchino, negocio, cuius iam erant iacta fundamenta, faſtigiū imponi non potuit.

Iacobus Maria Arnutius eorundem Ioannis Luchini, & Petri Martyris frater I.V. Conſultus Protonot. Apoſtolicus, & Decanus templi Max. Alexand. Archipræsbyterq; Ouiliarum cum facultate plurium etiam non ſimplicium Sacerdotiorum obtinendorum, magnæ fuit vir exiſtimationis, & nominis.

Carolus quoq; V. eius nominis Imperator noluit eumdem eſſe ſuæ liberalitatis expertem. Comitem Palatinum, & Equitem, Aulicum, Familiarem ipſum, & fratres, poſteroſq; cum vniuerſis dignitatum, atq; honorum nominibus appellauit.

Ioannes Luchinus Iunior ad iuris ciuilis, & aliarum virtutum prudentiam, in quibus ſua tempeſtate paucos pares habuit, addidit ſcientiam, & vsū

admi-

Digitized by Google

administrandorum maximorum negociorum, & in primis Reipublicæ. Itaq; electus a patria magnis grauibuſq; de rebus miſſus legatus ad Carolum V. Imp. rediјt impetratis omnibus, de quibus miſſus erat, rebus.

Quis I.C. Iacobum Mariam iuniorem ſatis dignè commendet? cuius fores quotidie tritæ erant frequentia conſultorum, & clientium, deducentium, & reducentium? Alij aucupes ſunt gratiæ, & fauorum popularium: vulgiq; ſtudia arte omni ſemper inhiantes venantur, ſibiq; in crebris occurſationibus, atq; adſectationibus nimium quantum placent. Ille pertæſus ventorum iſtorum, & quietioris, ſecurioriſq; vitæ adpetens, ab excellentiſsimo Senatu, cum aliter ſe exſoluere non poſſet, vacatione omnis publici, forenſiſq; muneris ſumma contentione tandem impetrata, totum ſe in meditatione religioſorum Chriſtianorumq; officiorũ tradidit, ſed in medio curſu florentis ætatis animam Deo reddidit, relinquens non ſuis ſolum, ſed omnibus bonis luctum, & memoriam ſui nominis ſempiternam.

Vix vnquam quemquam videris æquiore, atq; adeo lætiore animo excedentem e vita Petro Martyre Arnutio iuniore. Illi laboranti circumſiſtebant amicitiæ, & propinquitatis neceſsitudine coniunctiſſimi, vt vel animum facerent ad ferendam com-

Digitized by Google

mūnis fati neceſsitatem, vel ſpem ſalutis promittentes languorem ſubleuarent, vniuerſis agebat tanta mentis, & orationis æquabilitate, & conſtantia gratias, vt niſi inteſtinū vulnus remedijs nullis curari poſſe medici domeſticos docuiſſent, magnitudinem morbi altitudine ſapientiæ ab illo ſperarent vinci poſſe. Ille porro perfunctus omnibus Chriſtianis ritibus, expiataq; admiſſarum culparum ſolemnibus officijs, & piaculis conſcientia hortari, qui aderant omnes, cœpit ad religionem, & pietatem omnem omni cura, cogitatione, mente, atq; animo imbibendam, & colendam: prædicabat nullum obſidem nullum pignus conſequendæ ſalutis æternæ habere mortales certius religione. Ea duce, ea comite, non ſolum, dum hic ſumus, dum vitam hic inter noſtros agimus, omnia proſpere cedere, ſed poſt obitum etiam ab illa ſublimes in beatorum ſedes tolli. Prædicabat gloriari eſſe fas nemini in felicitatibus humanis, ſed vniuerſa accepta referenda Deo eſſe. Cum hæc (inquiebat) vobis cano, eadem mihi ipſe prædico, quæ vtinam, mihi proſint ad pomerendam clementiam Dei. Quod ingenuus, quod nobilis natus ſim, quod eductus, & eruditus liberaliter, quod venerim in clientelam, atq; amicitiam ſummorum Principum, quod me amarint Cardinales multi, præſertim Medices, & Bonelli: quod carus fuerim

Pont.

Digitized by Google

Pont. Pio V. quod Ioannem Franciſcum fratrem in re familiari bene conſtituta, & in Reipub. adminiſtratione cum laude egregie ſanctéq; verſantem relinquo, quod fratris filios Iordanum, & Marcellum a Xiſto V. ter Opt. ter Max. Pont. Equitum Lauretanorum titulis, & inſignibus, cum honorifico ſubſidio pecuniæ ad tuendam tanti honoris maieſtatem auctos honeſtatoſq; videam, vniuerſa ſummo Deo accepta refero. Sed hæc de Petro Martyre ſint ſatis. Veniamus ad alios viuentes, quos piaculum ſit ſilentio præterire. Antonius Arnutius tres habet fratres Cæſarem, Bartholomæum, & Nicolaum. Hic curam rei familiaris gerit. Antonius, & Cæſar vterq; Protonotarius Apoſtolicus ab ineunte ætate religioni ſe dediderunt: cui comitem adiunxere cognitionem iuris, & legum, quas vtraſq; per ſe honeſtiſsimas partes virtutibus morum ſic illuſtrauerunt, vt omnia Iuſtitiæ, prudentiæ, Conſtantiæ, & Moderationis munia ita ſcitè condiuerint, vt nec in iuſtitiam vlla vllius ſeueritatis, nec in prudentiam aſtutiæ, nec in conſtantiam contumaciæ, nec in modeſtiam diritatis ſuſpicio vmquam inciderit. Itaq; cuncti prædicant, Archidiaconatus, quo nitet Antonius, & Archipræsbyteratus, quo fulget Cæſar, dignitatem melius collocari nuſquam alibi potuiſſe. Hos honores

nores

Digitized by Google

nores illis ad ſublimiora decora, atq; ornamenta gradus eſſe augurantur omnes: egoq; in primis: qui gloriam, & felicitatem alumnorum meorum meam puto. Bartholomæum Iureconſultum ſua excellens virtus, & in iudicando ſanctitas facit, vt Ferdinandus Velaſcus Celtiberiæ magnus Comes, & in Italia Philippi *Regis Imperator, ac Mediolanij, & totius prouinciæ Mediolanienſis* Prorex, *& Gubernator eum ſemper habeat occupatum* Præfecturis*, & Magiſtratibus adminiſtrandis, nuncq; Dertonæ Queſitor, & Capitalium rerum iudex ſeueritatem muneris recta iuriſdicendi ſapientia moderatur, & temperat.*

Multa quidem reſtant, quæ de hac honeſta familia veſtra dici poſſent, & deberent: Sed & meæ multæ occupationes vobis non ignotæ, me excuſabunt. Voſq; confido pro æquaminitate veſtra prætermiſſorum veniam Mattio veſtro liberaliter eſſe condonaturos. Supereſt, vt hos tres libros meos Opinionum, quos in lucem nunc primum exeuntes vobis commendo, in fidem clienteiamq; veſtram, quod ſpero vos libenter eſſe facturos, recipiatis. Valete. vi. Kalen. Mai. CIↃ. IↃ. IIC.

Digitized by Google

IN IOANNIS MARII MATTII OPERA VICTORII MVTII CARMEN.

Quos hortos cernis, quæſo, ne temne viator,
Traxerit huc caſus, duxerit aut ratio;
Si ratio, prudens, ſi te fortuna, beatus
Heſperidum pomis hinc potiora feres.
Irriguum viden hic tu duplice flumine campũ,
Gleba olim triplex vbere qui vigeat?
Ingreſſo tibi iam liceat perpendere cuncta,
Ferreq; de cunctis omnia, quæ placeant:
Omnia cum tuleris, nihil at de corpore toto
Dempſeris (en artem) talia campus habet:
Tu ſed enim fructus carpas, ne dente maligno,
Vel flores lædas, gramina ſacra caue;
Cuſtodes opifex ſapiens nam quatuor agris
Miſit, quo nullus damna pudenda ferat.

Digitized by Google

Quorũ quiſq; Arnutius, alto ex ſanguine quiſq;
Vnanimes omnes, ſingulus, atq; potens:
Quin & quinctus adeſt Glinus vir maximus v-
Maiorum factis, clarus, & ipſe ſuis. (nus
Nullum permittent cãpis hi lædere quicquam,
Ipſos dum ignotos omnia ferre ſinent.
Mattius hæc latis de multis (perlege) chartis
Tranſtulit, orna animum prouidus ipſe tuũ.
Quæ vitam ſpectant, quæ mores, eloquiũ, artes
Summas, hoc libro condidit exiguo:
Vel latium teneat te, docta vel Attica tellus,
Cecropis hic, alta hic mœnia Martis habes.

GVLIELMINI

SCHIAVINÆ SACERDOTIS

CANONICI MAXIMI

Templi Alexandriæ.

AD ARNVTIOS MEDICES

CARMEN

IN LIBRVM OPINIONVM

IOANNIS MARII MATTII.

VT tradunt veterum ſcripta: Terentium
Iuuerunt Sapiens Lælius, & fera
Qui victa retulit nomen ab Africa.
Vrbis Romuleæ cum nouus incola
Calcaret Latiam ſcenam humili pede;
Nec vates (fuit vt pectore candido)
Socis conticuit præbitam opem ſuis
A tantis Ducibus militiæ, & domi.
Ergo ſi modici ſubſidij memor
Euterpe Libyci muſa Terentij
Inſigni meritos laude beat viros,

Quantum

Quantum, obſecro, bonis ARNVTIIS tribus
Omnes Caſtaliæ debuerint Deæ?
Quorum conſilio, quorum ope nobilis,
Et Rubris Arabum dignus odoribus
Nunc prodit liber hic? & nitidum caput
In dij radios exſerit aetheris?
Macti, Macti animis eſſe Sodalium
Chors vos docta iubent. Addite animum viro.
Vt pergat properans promere cætera.
Hoc nymphæ patrij Tanarides ſoli,
Virtus veſtra id auet, poſtulat, exigit.
Sic Rex ætherei vos foueat poli.
Sic vos perpetuis auctet honoribus.
Sic poſt ſera leuis funera ſcandat in
Iuſtis pollicitum Spiritus æthera.

HERCVLES

Quinctianus.

Benigno Lectori.

AMantiſſimis te verbis oro, quiſquis es humaniſſime lector, vt, ſi quid vnquam libenti animo feciſti, ſi quid, quod tibi profuturum ſperaueris, ſi quid tandem meditatus ſis, quod perfectum te iuuerit; hunc, quem manibus ſumpſiſti, librum libentiſſimè, atq; ſtudioſiſſimè perlegas: ſpero enim fore, vt intelligas, neq; me vnquam meis typis mandaſſe quidquam, quod ſtudioſis hominibus plus in hoc genere ſcribendi vtilitatis afferret, neq; te inter recentiores libros quemquam legiſſe, qui te vel maiori varietate oblectaret, vel vberiori vtilitate iuuaret. Veros namq; comperies hortulos illos, quos ſuperiori carmine per elegantem metaphoram irriguos, amoenos, fructiferos

ros ingeniosus, & facun. Victorius Mutius deſcripſit. Nam doctiſſimus Mattius ad ingenuas artes lucidandas, ditandas, ornandas præter multa ex fecundo ſuo ingenio deprompta plurimos locos in varijs artibus, varijſq; ſcriptoribus, vel à librarijs corruptos, vel obſcuros, vel dubios partim à nullo vſq; ad hunc diem notatos, partim perperam expoſitos notauit, emendauit, atq; illuſtrauit; permulta varia, noua, eademq; vtiliſſima in hunc librum congeſſit non ſecus, ac gnaui, diligenteſq; agricolæ ſoleant ad diuitum, præpotentumq; virorum hortulos conſerendos quicquid ſuauiſſimorum pulcherrimorumq; fructuum quoquo modo inueniri poſſint, vel ex remotiſſimis regionibus comportare, quò nihil ad ſuauitatem, nihil ad amœnitatem poſſit deſiderari. Sed, vt quam primum ſuauiſſimos hoſce fructus deguſtes, deguſtatiſq; te expleas, haud te pluribus moror. Vale.

Digitized by Google

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII LIBRI PRIMI.

ARCHIATRVS, EXARCHIATRVS, Exiatrus. Locus Heſychij emendatus, & expoſitus.

Cap. I.

LIBRO X. Cod. de Excuſationibus munerum: Titulo XLVII. lege VI. exſtat epiſtola Imperatoris Conſtantini Aug. ad Voluſianum, cuius initij hæc ſunt verba. *Medicos, & maxime Archiatros, vel Exarchiatris, Grammaticos profeſſores, & alios liberalium litterarum Doctores, vna cum vxoribus, & filijs, necnon & rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus ciuilibus, vel publicis immunes eſſe præcipimus.*

Iacobus Cuiacius maximus ætate noſtra iuriſperitus Archiatros exponit, qui in aula Principis curant. Exarchiatros autem, qui dimiſſi ſunt ex Palatio, ſiue Comitatu. In comment. vero ad Pandectarum Titulum de Excuſationibus, Archiatros adpellari ſcribit, Ro-

me tantùm, & Conſtantinopolis Medicos: quaſi Principales Medicos.

Quod ad Archiatros pertinet, vtraq; Cuiacij interpretatio eadem eſt & recta. Principales enim Medicos intelligit (vt etiam nonnulli alij faciunt) Medicos Principis: non autem Principes, excellentes, coryphæos cæteris ve præfectos: quales ſunt, quos vulgo nunc Protophyſicos, aut Protomedicos voce, ex græco latinoq; vocabulo conflata vocant. Αρχίατρος (inquam) eſt τοῦ ἀρχοῦ ἰατρος: non vt in Αρχιερευς, Αρχέτυπος, & in reliquis eiuſmodi vocibus: quæ primum ſeu principem ſacerdotem: & primum exemplar, primamq; formam ſignificant. Quod quidem vidit etiam vir doctus Ioannes Brodæus extremo ſuarum Adnotationum libro. Haud ita pridem legi apud nouum ſcriptorem, cuius nomen memoria excidit, tradentem, in Epiſtola medica a quodam Vindiciano, quem auctorem non mihi contigit legere, Aeſculapium Archiatrum ob excellentiam fuiſſe adpellatum. Apuleius quoq; eumdem Aeſculapium medicorum Principem prædicat excepto tamen Hippocrate. Quod ad vocem Exarchiatris pertinet, nequaquam Cuiacij interpretationi adquieſco exponentis, qui dimiſſi ſunt ex Palatio ſiue comitatu. Ego cum ſcriptum videam apud Heſychium Εξιατροὺς, quod verbum de ſuo more verbo altero hoc Εχθυτικοὺς exponit, valde impellor ad ſuſpicandum: quemadmodum fuerunt ἰατροὶ & ἐξιατροὶ, ſic Αρχιατρους & Εξαρχιατρους potuiſſe eſſe, & debuiſſe. Dicet aliquis: quodnam fuit munus, quæ *functio*, quæve dignitas Exarchiatrorum iſtorum? Amplius quidem hìc pronuncio. Neq; enim eſt conſiderati hominis in re vetuſtate, & ſilentio hiſtoriæ oblitterata confidentius quidquam ſtatuere. Attamen munus Archiatrorum non potuit eſſe admodum diſſimile mu-

neris Exiatrorum: quorum ex his, quæ adferam, argumentis conicio has fuiſſe partes: vt eſſent tamquam præfecti alijs medicis, a quibus ipſi repoſcerent quaſi ἐξετασταὶ aut cenſores medendi rationem. Namq; Ariſtoteles lib. iij. Politicorum ſcribit.

„ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς, οὕτω
„καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις.

Huiuſmodi exigendæ rationi præfuiſſe puto hos, quos Heſychius Ἐξιάτρους vocat. Itaq; apud eumdem eſſe corruptam vocem illam puto: quam expoſitionis loco ſubiungit Ἐκθυτικός. quando nihil aliud addens ſcribit. Ἐξιατρός, Ἐκθυτικός. quod vocabulum cum hic, & alibi ſit nulli rei, ego pro illo (ſi doctorum ſuffragium adcedat) ego (inquam) ab Ariſtotele admonitus, & quaſi manu ductus libenter reponerem, Εὐθυντικός: parua admodum, & eadem verecunda, & fortaſſe etiam legitima mutatione.

Εὐθυντικοὶ autem fuere, qui εὐθύνας, ideſt rationem adminiſtrati officij repoſcerent. Quod ſi Ἐξιατροὶ fuerunt ἰατρῶν cenſores, ſic, ſi Exarchiatros, ſiue Exarchiatris (vt eſt in verbis Imperatoris) cenſeamus, habuiſſe in Archiatros eamdem auctoritatem, etiamſi fallamur, excuſationem tamen potius, quam repræhenſionem ab omnium æquitate debeat hæc noſtra iuuandi voluntas expectare. Si Cuiacius probaſſet Exarchiatros, ſiue Exarchiatris fuiſſe, qui ex Palatio, vt ſcribit, ſiue Comitatu dimiſſi eſſent, vel honoris ergo, tamquam veterani, & emeriti, vel quauis alia honeſta cauſa dimiſſi, facile concederem, dictos eſſe Exarchiatros ab Imperatore eo modo, quo Valerius Max. lib. iij. cap. viij. de L. Craſſo loquens dicit Ex conſule his verbis.

„*Nam, cum Ex conſule prouinciam Galliam obtineret.*

aut quomodo ſæpe eſt in libris legum, Ex conſules, Ex-

prætores, pro ijs, quos antiqui dicebant conſulares, Prætorioſq; qui aliquando conſules Prætoreſq; fuiſſent. Sed cum ille id non probet, nec, vt credo, probare poſſit, æqui iudices æqui boni faciant hanc opinionem noſtram.

VIR, PINVS, PALAEMON, apud Virgilium: Gutta, Stilla. Cap. II.

LOnge argutior, & mordacior erit ſententia Virgiliani illius verſus ecloga VIII.

„*Partius: iſta viris tamen obiicienda memento.*
„*Nouimus, & qui te.*

Si ſic exponamus: Vt hæc obicienda ſint, tamen auctoritatem iſtam non ſibi quiuis ſumat: ſed qui purus ipſe ſit: moribuſq; & exiſtimatione integer: quaſi dicamus: Obicienda ſunt a viris, non a te polluto, contaminatoq; & turpi libidine infami, quem nouimus inter viros mulierem fuiſſe.

Eadem ecloga.

„*Tantum vicine Palæmon*
„*Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.*

Suetonius in libro de claris grammaticis de hoc Palæmone ſic ſcribit.

„*Arrogantia fuit tanta, vt M. Varronem porcum adpella-*
„*ret: Secum natas, & morituram litteras iactaret. Nomen*
„*ſuum in Bucolicis non temere poſitum: ſed præſagente*
„*Virgilio, fore quandoq; omnium poetarum Palæmonem.*

In Eclogam VII.

Montanam, ſilueſtremq; arborem eſſe Pinum norunt omnes, mirantúrq; nonnulli, habitam eſſe a Virgilio domeſticam, & hortenſem hoc verſu.

„ *Fraxinus in ſiluis pulcherrima, Pinus in hortis.*

Sed præter Virgilium etiam Vegetius lib. iv. cap. xxxiv. admirationem temere ſuſceptam docet, cum ſic loquitur.

„ *Ex cupreſſo ergo, & Pinu domeſtica, ſiue Silueſtri La-*
„ *rice, & Abiete præcipue Liburna contexitur.*

ALIQVOT VIRGILII LOCA EX Georgicis adnotata. Mœſia, Myſia, Viſcum, Abolere vndis. Quem, Qua abundare, Tonſus. Decotes. Exſuperabilis.

Cap. III.

„ NVLLO *tantùm ſe Mœſia cultu*
„ *Iactat: & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.*

Cum duplex ſit Myſia, vna Aſiæ, altera Europæ: iampridem admonuit doctus Hermolaus Barbarus, vtramq; a Græcis Μυσίαν ſcribi cum y in prima ſyllaba: Latinis aliter ſeruantibus, quorum mos eſt Aſianam Myſiam: Europeam vero Mœſiam adpellare. Ergo ego crediderim Virgilium ſecutum morem cæterorum Latinorum in verſu ſupra citato Mœſiam ſcripſiſſe: & de Mœſia Europea, non de Aſiana intellexiſſe, quidquid aliter tradant Virgilij eo loco interpræetes. Eſt namq; vero propius, poetam voluiſſe rem augere exemplo feracitatis duarum prouinciarum potius, quam vnius, præſertim, cum prope τὸ αὐτὸ ſit Myſiæ, & Gargara, Etenim Gargara Troadis ſunt; cui Myſia adeo coniuncta eſt, vt termini antiquis fuerint ambigui. Vnde prouerbium a Strabone libro xij. relatum, locum atq; originem habuit

„ χωρὶς

,, χωρὶς τὰ μυσῶν, καὶ τὰ φρυγῶν ὁρίσματα διορίσαι χαλεπόν.
,, *Myſorum, & Phrygum terminos certos conſtituere*
,, *difficile.*

Sic enim malim vertere, quam quomodo Eraſmus fecit, qui exiſtimans Trimetron Iambicum eſſe cum hemiſtichio, ipſe addens ex ingenio verba aliquot, ſic interpretatur.

,, *Sunt ſeparati Myſiorum termini.*
,, *Phrygumq; ſed finire perquam eſt arduum.*

Certe locus apud Strabonem ſic, vt a me eſt relatus diſerte ſcribitur ſine vlla menſurà Trimetri. Felix porro prædicatur a feracitate vtraq; Europea, atq; Aſiana prouincia. Itaq; Philoſtratus in Heroicis Myſos Aſiæ prædicat.

,, ἄριστα ἠπειρωτῶν πράττοντας.

Solinus de Mœſijs Europeis (duplex enim eſt Mœſia Europæ, vt etiam Myſia Aſiæ) ſic ſcribit.

,, *Mox Mœſia: quas maiores noſtri iure Cereris horre-*
,, *um nominabant.*

Myſi præterea Aſiæ fuere coloni Mœſiorum Europæ auctiore Strabone, cum alibi, tum lib. vij. his verbis.

,, οἱ τοίνυν ἕλληνες τοὺς Γέτας θρᾶκας ὑπελάμβανον. ᾤκουν
,, δ' ἑκάτερα τοῦ ἴστρου καὶ αὐτοὶ καὶ οὓς νῦν μυσοὺς καλοῦσιν.
,, ἀφ' ὧν ὡρμήθησαν, καὶ οἱ νῦν μεταξὺ λυδῶν καὶ φρυγῶν, καὶ
,, τρώων οἰκοῦντες μύσοι.

Sed hæc hactenus.

In eo verſu

,, *Tum laqueis captare feras, & fallere viſco.*

ibi viſcum pro rete ponitur. Ad id probandum nihil de meo addam. Tantùm adponam Nonij verba: ne decipi nos ſinamus à Seruio, atq; ab alijs interpretibus de aucupio hìc, non de venatione male accipientibus.

,, *Viſcum poſitum pro rete a tenacitate. Var. Parm.*
,, *Lepuſculi timentes hoc quadrangulum*

,, *Dedit*

Digitized by Google

,, *Dedit Diana rete nexile*, ἄρκυας
,, *Viſcum*, *ſagenam*, *lineamq; compedem.*

Libro eiuſdem Virgilij operis iij.

,, *Nam neq; erat coriis vſus, nec viſcera quiſquam*
,, *Aut vndis abolere poteſt, aut vincere flamma.*

Interpretes exponunt ſecundum verſum,

,, *Nec lauari, nec coqui poterant,*

Quid? ſi nos intelligamus, & explanemus viſcera exſtinctarum ea lue pecudum, neq; coqui feruentibus in aheno aquis (elixa vocant,) neq; flammis aſſari, & in veribus torreri poterant. Inde carnes aſſæ. Quorſum enim laues viſcera, ſi non eſui pares? Certe etiam legumina madeſcere dicuntur, quæ facile coquuntur.

Libro IV.

,, *In tenui labor: at tenuis non gloria: ſi quem*
,, *Numina læua ſinunt.*

Quem, ibi parelcon eſt: vt non ſemel apud eumdem poetam legere eſt, qua.

Eodem libro.

,, *Tonſis in vallibus illum*
,, *Paſtores, & curua legunt prope flumina Mella.*

Exponunt interpræces alij

,, *Tonſis, apricis.*

alij

,, *Non ſiluoſis, vnde e contra eſt, intonſi montes.*

Ego vero interpretor denſis, herboſis, veſtitis, virentibus, ipſeq; ſibi eſt interpræs Virgilius eo verſu libri I. Aeneidos.

,, *Tonſiſq; ferunt mantelia villis.*

Vbi ſine dubitatione vox hæc Tonſis accipienda eſt pro nouis, & pexis, ideſt quibus villi vſu non ſunt detriti. Contra, togæ, quibus vetuſtate, vſu, atque habendo pili ſunt detriti, Decotes adpellantur auctore Feſto.

Hoc,

Digitized by Google

Hoc, quod additurus ſum, parergon quidem eſt: præterire tamen non debeo. Florem, de quo loquitur Virgilius, & cui a Mella flumine agri noſtri Brixiani agricolæ nomen fecere Amellum vocantes, exiſtimari ab auctore Gloſſarij veteris eſſe, quem græco vocabulo Meliſſophyllon dicimus. Sic enim ſcribit.

,, *Amellum*, Μελίφυλλον.

Ego, cum intelligam, Meliſphyllon, ſiue Meliſſophyllon, ſiue Melittenam eſſe Latinis Apiaſtrum, quod apibus ſit gratum, videamq; hoc noſtrum Meliſſophyllum nihil habere adfine deſcriptioni Virgilianæ (eſt autem hortenſe olus, quam Meliſſam pharmacopolæ vulgo vocant) ſtatuo hic nihil, neq; litem meam faciam. Cæterum de bono, malo ve auctore ego emerim, cum Gloſſarium citaui, iudicent alij.

Lib. iij. ad illum verſum.

,, *Immanemq; rotam, & non exſuperabile ſaxum.*

Seruius ſentit recte, qui actiue poſitam vocem hanc exſuperabilem ſcribit. Q. quoq; Claudius apud Agellium lib. xvij. cap. ij. eodem ſenſu vtitur.

,, *Virum fortem, & exſuperabilem Reſpublica ſenſit.*

Sic Terentius Phormione, Iuſtam, & vincibilem cauſam actiue dixit.

AENEI-

AENEIDIS VIRGILII ACTIO VNA. De Poeſi, & Epopæia. Virgilij grauis error. Horatium falli. Hiſtoriam eſſe fundamentum Epopæiæ, & Tragædiæ. Horatij verſum male a Seruio explicatum.

At, & Aſt.

QVAE CAVSAE MOVERINT VARIVM & Tuccam ad tollendum primos quattuor verſus principij Aeneidis, & recte ne id fecerint.

Cap. IV.

INchoauerat Virgilius Aeneidem ſuam his verbis.

„ *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena*
„ *Carmen, & egreſſus ſiluis vicina coegi*
„ *Vt quamuis auido parerent arua colono,*
„ *Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis*
„ *Arma, Virumq; cano: Troiæ qui primus ab oris*
„ *Italiam fato profugus, Lauinaq; venit*
„ *Littora: multum ille, & terris iactatus, & alto*
„ *Vi ſuperum, & ſauæ memorem Iunonis ob iram.*
„ *Multa quoq; & bello paſſus, dum conderet vrbem,*
„ *Inferretq; Deos Latio: genus vnde Latinum,*
„ *Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ.*

Duo hic mihi quærenda propoſui; Quæ ſit Actio Aeneidis, & vna ne ſit, an duæ. Deinde recte ne Varius, & Tucca primos quattuor principij verſus

Digitized by Google

de Virgilij principio amouerint. Obiterq; inſeremus quædam a re non aliena. Temperare tamen mihi non poſſum, quin prius vehementer admirer, neminem hactenus animaduertiſſe inſignem errorem Virgilij. Cui habenda erat in propoſitione ratio non Armorum,& belli, ſed viri tantùm, præſertim cum admonitorem haberet Homerum initio Odyſſeæ, quod hìc exprimit, ſic ordientem Α῎νδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολυτροπόν. Totum enim argumentum operis incumbit in, Virum, Nam ridiculi ſunt, qui hoc vocabulo, virum, Errores exponunt. Quod enim ius adfinitatis, aut vicinitatis eſt verbo,, Virum cum erroribus? Deinde Actiones duas Aeneidi tribuerent Bella, & Errores, quæ duo incommoda Aeneæ quærenti, & adepto Italiam ſunt exantlata: cum Poeſis, & Epopœia vnius tantùm Actionis ſit Narratio. Actionis quidem verbum nuſquam iſti nominant: quod faciendum fuit.

Nec obliteratione primorum IV. verſuum remedium vllum eſt adlatum peccato huic, remanet enim τὸ Arma: quæ vox omnino ſuperat, hic, vt dicetur. altiuſq; quiddam ſpectauerunt Varius, & Tucca, animum ad Actionem intendentes. Cuius virtus niſi ſit cognita, totus hìc impenſus labor eſt inanis. Eſt autem Actio quaſi anima poematis, eaq: vnicuiq; poemati vna, vt ridiculi ſint, qui, cum Aeneis ſit Narratio aduentus Aeneæ a Troia in Italiam per imitationem, duas Actiones Aeneidi adplicent, quando Arma Bella, & Virum Errores interprætantur, cum Epopœia ſit vnius (vt dictum eſt) tantum Actionis Narratio per imitationem. Nec intelligunt iſti, hoc facto ſe duplici crimine Virgilium poetam eminentiſſimum onerare Deſertoris ſcilicet, & Contemptoris. Deſertoris, quod ab exemplo Homeri diſcederet, qui eſt.

,, *Helice*

Digitized by Google

,, *Helice, & clari Septentriones,*
,, *Quo fidunt duce*

omnes prudentes poetæ: & a cuius poemate Plato, & Ariſtoteles conſcribendæ, atq; adeo conſtituendæ artis poeticæ præcepta hauſerunt, cuiuſq: ipſe Virgilius toto ſuo poemate eſt ſedulus imitator, & æmulus. Contemptoris vero doctrinæ vtriuſq; Platonis, & Ariſtotelis: qui vnius tantùm Actionis cantorem eſſe volunt Epicum poetam. A quo vtroq; crimine Virgilium pro viribus vindicare in animo eſt. Sed operæ prætium eſt prius præfari paucula de Poeſi, & Epopœia: in qua principem inter Latinos poetas locum Virgilio omnes tribuimus meritiſſimo. Ita hoc iacto tamquam fundamento, fidentius, & certius inædificari poterunt, quæ intendimus reliqua.

Definimus autem primum Poeſim eſſe Narrationem vnius Actionis per Imitationem cum ſuaui oratione.

Epopœiam vero, heroico carmine Actionis vnius Narrationem per imitationem cum delectatione. *Poterat omitti, cum delectatione.*

Quæ definitiones ſi veræ ſunt, vt certe ſunt, quemadmodum demonſtrabimus, ſequitur, bono Epico poetæ (quamquam tamen Tragicus, & Comicus idem ſequuntur) vnam tantùm, & quidem vnius Actionem in vno Poemate eſſe tractandam. Præter exemplum Homeri in vtroq; opere, vt oſtendemus paulo poſt, præcipit etiam Ariſtoteles id eſſe faciendum in his, quæ ſola ex multis, quæ edidit de Poetis, & de Poetica, nunc ſuperſunt ſiue ſeorſum ſcripta interruptè præcepta: ſiue fragmenta libri amplioris: qui perierit, ſiue commentarij prouiſi ad confectionem plenioris, & conſideratioris operis: ſiue ex pluribus ſcriptoribus adnotati loci: ſiue liber eſt dicendus: qui nunc ſtudioſorum manibus teri-

tur, doctiſſimorum ætatis noſtræ virorum acutiſſimis expoſitionibus illuſtratus. Ibi ille philoſophus [vt ex pluribus libri illius collatis locis colligitur] ſentit, Poeſim eſſe vnius Actionis imitationem. Quam doctrinam ſecuti ſunt ex antiquis Strabo lib. 1. & Plutarchus de Audienda Poetica: ex nouis vniuerſi (quos quidem meminerim legere) qui materiam hanc tractauerunt. Plato lib. iij. de Repub. id ante illos ſenſerat, prædicans, fieri non poſſe, vt quiſquam multa, ſicut vnum recte imitetur, excidereq; vniuerſis, qui multa ſit conatus; ſcripſerat, inquam, Plato idem, ſed cum additamento vocabuli Narrationis prorſus neceſſario, tradens: Epicos poetas Narrationem per imitationem facere. Quam ſententiam cur Ariſtoteles, & reliqui non ſint ſecuti, iuſtæ cauſæ ſunt, cur mirentur docti, primum Homerus, quem cum vniuerſi, tum vterq; Plato, & Ariſtoteles meritis laudibus ſæpe extollunt, exemplo ſuo docet, Narrationis verbum in definitione Poeſis eſſe neceſſarium: Et ſane quid aliud eſt in Odyſſea ἔννεπε, & εἰπὲ, niſi Narra? Quid in Iliade ἄειδε, niſi cane, & narra? Quid aliud idem in Odyſſea, niſi hiſtoriam reditus Vlyſſis a Troia in Ithacam? In Iliade hiſtoriam iræ Achillis ad Troiam per Imitationem narrat?

Omnino Epopœius (quod & Tragico propoſitum eſt) argumentum ſumit ex veritate, ipſo Ariſtotele idem docente. Strabo quoq; lib. 1. cum pluribus verbis in hanc ſententiam diſputauit, tandem ſic concludit.

" ἐκ μηδενὸς δὲ ἀληθοῦς ἀνάπτειν καινὴν τερατολογίαν οὐχ Ὁμηρικόν.

Tum ſi Epopœius habet hiſtoriam ſui poematis fundamentum, vt diximus, & alibi etiam dicetur cum aliquo vtili corollario, illi etiam propoſitum eſſe

debet

Digitized by Google

debet ſequi (quantum artis, & fabulæ ratio patitur) naturam hiſtoriæ. Hiſtoria autem, vt verbum ipſum ἱστορέω, vnde nomen habet, declarat. Narratio eſt rerum geſtarum. Itaque egregie Suidas Epopœiam exponit eſſe metro heroico ſcriptam hiſtoriam. Quid? Epopœius eſt ne totus ſemper in imitando occupatus, vt Tragicus, & Comicus? Minime vero, immo frequenter ille ipſe ex ſe ipſo loquitur, ſicut eſt omnibus manifeſtum. Vt non fuerit ſtatuendum, in Imitatione tantùm verſari debere Epicum poetam. Tanta autem eſt vis veritatis, vt ea Ariſtotelem ipſum adigat non ſemel Poeſim διήγησιν, & ἐπαγγελίαν adpellare. Vbi etiam agit de differentia Epopœiæ, atq; Tragediæ ſic ſcribit Ἐν δὲ τῇ ἐποποιΐᾳ, διὰ τὸ διήγησιν εἶναι.

Ex his igitur vniuerſis, quæ diximus; ſatis adparet, Narrationis verbum in definienda Poeſi eſſe neceſſarium.

Sed ad ea, quæ de Actione Aeneidis inchoaueramus aliquid amplius addamus omnino non omittendum. Vnde ſcilicet hiſtoriæ narrationem ordiatur Virgilius, cum aliquot alijs ſcitu dignis rebus.

Si igitur Poeſis, & Epopœia eſt vnius Actionis Narratio, vt dicebamus, ergo pariter vnum tantùm argumentum in Aeneide, & vnam Hiſtoriam agnoſcere debemus, quæ eſt Narratio, vt diximus, aduentus Aeneæ a Troia in Italiam per Imitationem. Cuius tamen propoſitio non pauculis illis verbis,, Arma, Virumq; cano, ſed vniuerſis XI. procemij verſibus primis continetur, & ſignificatur. Quod ab Homero in Odyſſea factum viam Virgilio ſedulo imitatori ad ſequendum monſtrauit.

Quamquam autem vterq; Homerus, & Virgilius in exordio promittit initium Actionis, ille Odyſſeæ,

hic

hic Aeneidis ſtatim ab excidio Troiæ [hoc enim interpoſuiſſe confert non parum] tamen neuter Narrationem incipit illicò ab obitu a Troia: ſed ille a diſceſſu ab Ogygia Calypſonis inſula Vlyſſis: hic exemplo Homeri, & arte Epopœiæ magiſtra, quæ non ab vltimis initijs, verum prope ab extrema hiſtoria docet Actionis principium poemati dare, a Sicilia Aeneæ, vltimo ſcilicet vtriuſq; errorum anno fabulam inchoat.

Vt vero nota eſſet reliquarum ingentium ærumnarum hiſtoria, quas ærumnas per tam longum tot annorum ſpatium poſt diſceſſum a Troia, vterq; heros hactenus pertuliſſet, commodam, amplamq; narrandi occaſionem dederunt accenſi deſiderio noſcendi reliqua vniuerſa Alcinous Corcyræ Vlyſſi: Dido Aeneæ Carthagine. Ita tum demum ad initium rediens ſic orditur Vlyſſes lib. IX.

„ Εἰδ' ἄγε τοι καὶ νόστον ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίσπω,
„ Ὅν μοι Ζεὺς ἐφέηκεν ἀπὸ τροίηθ' ἰόντι.

Aeneas quoq; lib. iij.

„ *Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat.*
„ *Littora tum patriæ lacrymans, portuſq; relinquo,*
„ *Et campos, vbi Troia fuit: feror exul in altum*
„ *Cum ſocijs, natoq; Penatibus, & Magnis Dis.*

Hæc pluſcula interpoſui: quia non ſatis mihi probat ſententiam ſuam Caſteluetrus acutiſſimus Ariſtotelis Poeticæ interpræs, qui conatur demonſtrare, Actionem Odyſſeæ non a Troia, ſed ab Ogygia: & Aeneidis non a Troia, ſed a Sicilia inchoare. Quod cum facit, vt alia incommoda ſileantur; contraria prorſus propoſitioni vtriuſq; poetæ tradit. qui diſerte a Troia inchoare ſe teſtantur. Nos, ne cum Caſteluetro dicamur inanes acuminis, & doctrinæ rumuſculos aucupari: & velle videri vidiſſe plus in-

nego-

negotio alieno, quam principes poetæ viderint in ſuo, conſeruemus Homero reditum Vlyſſis a Troia in Ithacam, Virgilio diſceſſum Aeneæ a Troia in Italiam: hiſtoriam apertiſſime ab vtroq; poeta in ſuis procemijs promiſſam, & in narrando, per totum opus egregia cum fide perſolutam.

De Actione diximus, Nunc cauſas perquiramus, & expendamus: quæ Varium, & Tuccam mouerunt ad tollendum de principio prima quattuor prooemij carmina.

Magnas, graueſq; fuiſſe cauſas eas neceſſe eſt, quæ tantos viros ad id audendum compulerunt; quaſq; hactenus vidit nullus: certe protulit, & explicauit nemo. Arduum etiam eſt, & fortaſſe temerarium, de ſenſu, & iudicio cuiuſquam, ex tanto interuallo, nullis præſertim exſtantibus facti iudicijs iudicare. Magnas, inquam, & graues oportet fuiſſe cauſas, quæ viros illos mouerint ad ſuſcipiendam illam mentem, & voluntatem: cuius impulſu vterentur adeo ſeuera ratione curandi, vt ſtatim in ipſo limine Virgiliani libri, & in ipſo initio operæ atq; animaduerſionis ſuæ expedienda ſibi iudicauerint horrenda: & dira ferramentorum miniſteria: & (quemadmodum οἱ τῶν ἰάτρων παῖδες in deſperatis membrorum morbis conſueuerunt) ſibi ad ſacram chirurgiæ anchoram adcurrendum ſtatuerint: hoc facto iudicantes, nulla alia ope, niſi reſecto capite laboranti principio ſuccurri poſſe. Hæc quidem ita ſe habent, tamen mihi videor excogitaſſe pulchram, grauem, & fortaſſe germanam, & certam facti cauſam: quam ego diu tectam, & tacitam occultare amplius, & ſilere non debeo, eſtq; hæc.

Non probauerunt in principio operis, periti artis poeticæ, excellentes ipſi poetæ L. Varius, & Plotius

Tucca

Digitized by Google

Tucca profeſſionem, prædicationemque perſonæ au-ctoris Aeneidis. Norant Epopœiam δραματικὴν potiſſi-mum eſſe, & in imitatione maxima ex parte verſari, & conſiſtere: & per inductas perſonas narrando fabulam peragere. Itaq; Demetrius de Homeri Iliade loquens δρᾶμα illam nominabat. Norant, inquam, Poetam raro immiſcere ſe: nec fere niſi procemij, & imploran-di numinis, & coniungendi cauſa inductarum perſona-rum colloquia ipſum loqui. Hinc frequentiſſimum, & ignaris poeticæ artis immerito odioſum illud apud Ho-merum, τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος, Laudaturq; idem Home-rus hoc nomine etiam plus cæteris: & magis poe-tam, quam reliquos in hac quoq; parte eſſe Ariſtote-les prædicat, vt inepte cum Seruio apud Virgilium illi faciant: qui verſum illum Horatij in Epiſtola ad Pi-ſones.

„ *Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.*

exponunt: poetam debere iudicium, ſenſumq; ſuum re vel probanda, vel damnanda oſtendere, quorum opi-nio prorſus eſt reicienda: quippeque imitationem maxime imminuat.

Si ergo (vt ad propoſitum reuertar) offendit, & ab arte diſcedere iudicatur poeta, cuius perſona frequen-ter, & vltra illas occaſiones, quas narrauimus, lo-quitur, quanto euidentius grauiuſque peccat in Epo-pœia ille, qui ſe profitetur, & indicat? & poematis auctorem prædicat? quam rem facit hic Virgilius his primis verſibus.

„ *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena*
„ *Carmen, & egreſſus ſiluis vicina coegi*
„ *Vt quamuis auido parerent arua colono*
„ *Gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis*
„ *Arma, virumq; cano.*

quo

Digitized by Google

quo genere gloriandi etiam vtitur in fine Georgicorum ſic canens.

„ *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
„ *Pathenope ſtudijs florentem ignobilis oci.*

Certe Homerus in tam longo vtriuſque fabulæ carmine, aut alio, quod meminerim, poemate numquam ne nutu quidem ſe indicat: ne dum auctorem poematum prodat: niſi forte in ſe iocatum eſſe velimus credere eo verſu.

„ Τυφλὸς ἀνὴρ οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ

Hinc illa Varij, & Plotij ad noſtrum poetam chirurgica:

ἐπιχωρία.

hinc illa capitis amputatio.

At, obiciat aliquis: non ſolus, neq; primus Virgilius hoc fecit. Orpheus apud Græcos in ſuis Argonauticis quoties ſe oſtendit, & canit? Ouidius apud noſtros, & certatim poſtea alij multi teſtimonio ſe ſuo legentibus produnt.

„ *Nil agit exemplum, litem quod lite diremit.*

reſpondeo ego. Deinde rationibus, non auctoritatibus in huiuſmodi diſceptationibus eſt pugnandum, ne ſileam, eſſe quidem Orphei nomen apud Græcos maxime celebre, & cum veneratione cantatum: qui tamen teſtimonio Dioniſij, atq; Ariſtotelis nuſquam vmquam fuit. Et quæ Orphei nomine circumferuntur ſcripta carmina, ea ad alios certos referuntur auctores, quorum, aut cuiuſuis alterius præſertim deterioris κόμματος adlatum teſtimonium non poteſt Epopœiæ verecundiæ neceſſariam imitationem, vel tantillum labefactare. Ex his adlatis rationibus conſtant cauſæ ſublati a Vario, & Tucca principij Aeneidis.

Statuamus igitur, quoniam Homerus, qui eſt exemplar Epopœiæ, fabulas perpetua (quantum quidem natura ipſius Epopœiæ patitur) imitatione peragit: neq; vmquam ſe nomine aut indicio alio vllo oſtendit: quoniamq; illi poetæ maxime commendantur, & boni poetæ prædicantur, qui ad rationem poematum Homeri ſua poemata maxime conformant: quoniamque hac in parte Virgilium vel neglectione, vel imprudentia, vel iudicio receſſiſſe prædicatione ſui nominis ab Homeri exemplo, & a doctrina Platonis atq; Ariſtotelis, & ab artis Epopœiæ ratione Varius, & Tucca animaduerterunt, idcirco quattuor illos verſus iure ſuſtulerunt primos: Illud ſane miror, non eadem eſſe vſos animaduerſione in pari Virgilij licentia cum alibi fortaſſe, tum in illis verſibus, qui nunc occurrunt: quos ex perſona poetæ ipſius, non ex perſona ficta dictos vt adponam argumentum huius diſputationis omnino poſtulat.

Libro igitur IV. Aeneidis ſic eſt.

,, *Heu vatum ignaræ mentes: quid vota furentem*
,, *Quid delubra iuuant?*

Eodem lib

,, *Quis tibi tum Dido cernenti talia ſenſus?*
,, *Quos ve dabas gemitus? cum littora feruere late*
,, *Conſpiceres arce ex ſumma? totumq; videres*
,, *Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor?*

Lib. vij.

,, *Nec tu carminibus noſtris indictus abibis*
,, *Oebale.*

Libro IX.

,, *Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,*
,, *Nulla dies vmquam memori vos eximet æuo.*
,, *Dum domus Aeneæ Capitoli immobile ſaxum*
,, *Adcolet: imperiumq; pater Romanus habebit.*

Libro x.

Lib. x.

,, *Non ego te Ligurum ductor fortiſſime bello*
,, *Tranſierim Cygne: & paucis comitate Cupauo.*
Eodem lib.
,, *Hic mortis duræ caſum, tuaq; optima facta,*
,, *Si qua fidem tanto eſt operi adlatura vetuſtas,*
,, *Non equidem nec te iuuenis memorande ſilebo.*
Eodem lib.
,, *Neſcia mens hominum fati, ſortiſq; futuræ,*
,, *Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.*
,, *Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum*
,, *Intactum Pallanta, & eum ſpolia iſta, diemq.*
,, *Oderit.*

Omnibus, inquam, in his locis hi verſus cenſuram camdem meruerunt: quoniam nullam imitationis ne vmbram quidem, ſicut nec illi primi, habent. Sed fortaſſe emicans ſplendor orationis opportune, ac decenter a longa imitatione alio conuerſæ viſa eſt L. Vario, & Plotio Tuccæ digna diſſimulatione, & venia. Certe, vt Smaragdus in pala aurei anuli pulchritudinem reddit pleniorem, & blandiorem, ita ibi eæ conuerſiones, quantum ſtudia legentium aut audientium expergefaciunt, excitant, & tollunt? & miſtura priuati poetæ ſenſus quantum adficit animos iam per ſe ipſos dolore, aut lætitia commotos? vt quantum a præſcripto artis hac libertate atq; audacia ſit receſſum, tantum ornamenti, adceſſione huius Veneris, & Gratiæ ſit ad orationem additum, optima igitur ratione (quamquam quo modo optima, vbi vritur aliquid aut ſecatur? & ſi mala eſt medicinæ curatio, vbi aliquid naturæ perit, certe illa peſſima, vbi capiti) ſed tamen optima ratione Varius, & Tucca amouerunt primos quatuor verſus alienam ab imitatione Epici poetæ profeſſionem, & oſtentationem ſi i indicati nominis continentes, opti-

ma (inquam tertio) ratione: ſi vbiq; voluiſſent, aut potuiſſent, aut admoniti eſſent idem præſtare, eo aut conſilio, aut facultate deſtituti debuerunt, ibi nihil audendo, ſuum poetæ iudicium relinquere. Hæc eſt mea de facto Varij, & Plotij in hac parte opinio. Quod ad duas illas voces adtinet,,, *Arma Virumq;* perſeuero in ſententia. Vocabulumque Arma ſuperuacuum omnino: & in duplici actione promittendo peccaſſe poetam iudico.

Amplius ſuperpondij loco addamus. Ab eadem, qua Virgilius, forma dicendi orſus eſt incertus ille poeta: quem Horatius a connexa, continuataque inter ſe plurimorum librorum, & idem fortaſſe argumentum habentium congerie Cyclicum adpellat.

,, *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

Etiam paruæ Iliadis auctor, qui Staſimus putatur, ſimili exordio eſt vſus.

,, Ἴλιον ἀείδω, καὶ Δαρδ. ανίην ἐϋπατρίην.

vt non adimendum ſit idem ius Virgilio, quod Cyclicus ille, & Staſimus multo ante ſibi ſumpſerunt, præſertim cum in Virgilij verſu verecundia ſit illuſtrior, qui duobus tantum verbis his,, *Arma, Virumq;* rem vnam demonſtrat: illi inciſis binis.

Quod adtinet ad confirmandum, vnam tantum eſſe actionem Aeneidis, ad hoc teſtimonium etiam dicunt veteres graues poetæ.

(Propertium excipio: qui perſonam, & rem coniungens, tradenſq; non quid facere debuerit, ſed quid fecerit Virgilius, ſic ſcribit.

,, *Qui nunc Aenea Troiani ſuſcitat arma.*

Sulpicius Apollinaris.

,, *Iuſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis*
,, *Virgilius, Phrygium qua cecinere Ducem,*

Cornelius Gallus Virgilij iucundus ſodalis.

,, Sic

,, *Sed vetuit relegi, ſi tu patiere, libellum:*
,, *In quibus Aeneam condidit ore Sacro.*

ecce hic vtrobique de Armis nihil: de Viro omnia. Ne illa quidem opis Muſæ imploratio lib. vij. facta eſt à Virgilio ad noui, vel diuerſi operis exordium ſignificandum. Sed quia maiora ſuperioribus opera tractanda ſequebantur, quorum expoſitio etiam propter vetuſtatis longinquitatē, & propter varios, obſcuroſq; caſus, & euentus ad explicandum, atq; ad fidem auctoritatemq; comparandum humani ingenij, atq; induſtriæ vi, & acumine viſa eſt altior, atq; impeditior, idcirco verſibus illis, qui ſupra poſiti ſunt, ſubſidium poſcit à Muſa exemplo Homeri, cui ad recenſendum nomina, & numerum nauium, ducum, & copiarum, negocium multiplex, varium, & vetuſtate prope oblitteratum, ad opem numinis confugiendum fuit pluſculis verſibus, quorum initium eſt.

,, Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

quem morem ſæpe toto opere vſurpat vterq; poeta in narrationibus viſis opem humana ope inſtructiorem poſtulare.

Quod ad duas illas voces adtinet,, *Arma*, *Virumq;* perſeuero in ſententia. Vocabulumq;,, *Arma*, ſuperuacuum omnino iudico.

Cum hæc commentarer, forte accidit, vt Antonius Trottus Bentiuolius patricius Alexandrinus domum ad me ſalutandi, & viſendi gratia veniret. Quod facit ille ſæpe grata recordatione memoriam conſeruans meæ in ſe erudiendo diligentiæ: dum ſtipendia diſciplinæ noſtræ cum laude, & feliciter adoleſcens mereret. Fecit ille varios mecum ſermones, & cum maxime ſe à me adtētè audiri animaduerterit, tunc à propoſito data opera deflectens, laudare ſe ait, omnem vitæ meæ rationem vna te excepta, abuteris, inquit, Mattij modeſtia;

&

Digitized by Google

& in ea adhibenda extra modum nimium quantum ex-
ſilis, & prodis: quaſi conſulto id facias: quo probes,
non ſatis recte ſentire Romanæ eloquentiæ, atq; ſapien-
Cic. 1. Off. tiæ principem, qui nullam in modeſtia, quæ eſt reliqua-
rum virtutum omnium gratiſſimum temperamentum,
exſuperationem agnoſcit: cum aliæ omnes virtutes me-
dium ſint inter duo extrema vitia. Dicam ἀμαθέςερον, καὶ
σαφέςερον. Tu in vtenda amicorum liberalitate modum
adhibes adſtrictum nimis, & parcum, raroq; & quaſi re-
fugiens, ad tui cupidiſſimos accedis. Abige quæſo in-
gratam mihi contationem iſtam, & inutilem verecun-
diam hinc iube aliquando tandem longius valere, &
quæ ſunt facultatis, & virium mearum, omnia tibi ex
locupletiſſimo penu meæ voluntatis iuuandi tui ample,
& audacter prome. Laudis ego auidiuſculus ſum, fateor
enim ingenue verum. Eam, ſi fortunas meas putabis
tuas, &, ſi illis libere frequenterq; vteris, hauriam ex
ſinceriſſimo fonte largitatis mihi natura ingenitæ, & vſu
auctæ. Nulla eſt magis certa, nec magis compendiaria
ad gloriam via, quam benefaciendi. Hæc, & huiuſ-
modi multa ſæpe mecum non glorioſe, & iactans, ſed
ſentiens, diſputat Trottus grauiter, & docte: edens in-
terdum ſigna dolentis animi, ſi quem ſibi in deſiderio
gloriæ certare animaduertat, ad quam ſemper ſpectans
per parentis, & patrui Excellentiſſimi, & Sanctiſſimi vi-
ri Guarnerij Trotti Bentiuolij hujus ciuitatis Epiſcopi, &
reliquorum majorum veſtigia pleno gradu alacriter in-
cedit, quorum in ſanctiore Larario, & per ampla atria
expoſitas habet imagines: in quas intuens ad eorum ex-
emplum ſe fingit, & format. Et fortaſſe paucæ hic fa-
miliæ ſunt (vt Batienos, Capuanos, Ferrarienſes, Flo-
rentinos, Foſſanenſes, Mediolanenſes, Neapolitanos,
Placentinos, Taurinenſes, vniuerſos à Caſtellatio Ale-
xandriæ oppido antiquo, & propter pomœrij amplitudi-
nem,

Digitized by Google

nem, & incolarum frequentiam vrbis inſtar, oriundos prætercam) fortaſſe, inquam, hic in vrbe plena nobilium exemplorum, tot probitatis, doctrinæ, innocentiæ, honorum, dignitatum, & imperiorum inſignia oſtentare poſſunt, quorum omnium virtutes, & res magnifice geſtas perſequi ſcribendo operæ maioris, & ocij, temporiſq; diuturnioris impenſam poſtularet. Attamen Guarnerium Trottum Bentiuolium Præſulem noſtrum vniuerſi vos nouiſtis, qua integritate, Deus bone? qua doctrina? qua ſanctitate? qua innocentia hominem?

Nondum igitur octauus annus, peracto cenſu à Quæſtoribus Regijs, relata ſunt equitum grauis armaturæ inuenta capita LX. ex gente Trotta. Vix ſingulæ ciuitates, ſeuera exactione, turmam vnam poſſunt conficere, vna gens Trotta duas dedit.

Ominemur bene manibus Facini Canis, qui capta per proditionem Alexandria ingentem vbique, ſed inſignem in familia Trotta ſtragem dedit, imitatus Ioannis Narbonenſis Comitis Armeniaci facinus, qui paulo ante idem, ſed re infecta, tentauerat. Quippe cuius vniuerſus exercitus Iacobo Verminenſi duce ab Alexandrinis, ante vrbis mœnia, æquo, & aperto campo, ducentibus copias Trottis, quas multas, & bellicoſas coegerant ex clientelis, quæ illis fuerunt in patria, & alibi, captis Ducibus obſidione occiſus eſt. Ex hac gente ab hinc CD. annis, & amplius exſtiterunt tota Italia plurimis annalium, atq; hiſtoriarum monimentis celebrati. Iuris periti ab omnibus Italiæ gymnaſijs certatim ad ſe magnis præmijs vocati, Oratores, Philoſophi. Scriptores in omni idiomate, & facultate docti, & eloquentes, Magiſtratus, Centuriones, Tribuni militum, equitum grauis, & leuis armaturæ Præfecti, magnarum copiarum Duces, ampliſſimarum tota Italia ciuitatum Rectores, Supremi cum imperio, & poteſtate

Digitized by Google

exercituum imperatores, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Hieroſolymitani, atq; aliorum ordinum, & religionum Equites, Comites, Proreges, Principum, ac Regum Vicarij, Procuratores Regij à Gallis Mareſcalchi adpellati, a Secretis, & Conſiliarij, Legati ad maximos Reges, Reſpublicas, Imperatores, & Pontifices Max. Rinaldi, Petri, Roberzoni, Franciſci, Andreini, Cabrij, Gabrieles, Ioannes Galleacij, Boni Ioannes, Antonij, Andreæ, Baptiſtæ, Galleacij, Manfredi, Facini, Garganiſij, Ioannes, Ioannes Aloyſij, Marci, Aloyſij, Matthæi, Balthaſſares, Bernardi, Luchini, Franceſchini, Bernardini, Friderici, Ioannes Chriſtophori, Ricardi, Nicolai, Alberti, Lanciloti, Ioannes Iacobi, Ioannes Auguſtini, Camilli, Sfortiæ, Guarnerij, Ludouici, Ioannes Baptiſtæ, Luciani, Horatij, Sertorij, Tullij Claudij, Aymoneti, Nicolai, Alexandri. Ad reliquorum veterum Trottorum enumerationem, qui alicuius virtutis laude nomen ſunt conſecuti, libenter adcederem, ſed videor videre, ſiſti mihi ante oculos centum capitum beluam: ad quam domandam, & conficiendam imploranda eſt opera, atq; auxilium Iolai alicuius quem dum mihi prouideo. Interea hìc aliquot viuentes recenſebo.

Floret nunc Antonius Trottus Bentiuolius Freſonariæ Dominus, de quo ſupra diximus, & paulo poſt latius dicemus.

Eſt cum fratre Comes Ludouicus Trottus Bentiuolius virtutibus morum, atq; naturæ ornatiſſimus, magnificentia, & animi altitudine magnis regibus comparandus, qui tunc ſe diem perdidiſſe dolens prædicare ſolet, in quo non aliquem re, aut opera ſubleuarit ſua.

Clarus eſt in ſcientia, & exercitatione armorum Galleacius pater, & Aloyſius filius Trotti Bentiuolij, qui Philippo Regi inuicto firmiſſimis nunc Italorum, nunc Germanorum copijs, omnibus in bellis, vbicumque

Digitized by Google

illa gerantur, Tribuni militum ſtrenuam, fidelemque operam nauant.

Albertum occupat res non tam familiaris, quam publica: quam non habet fortunis ſuis inferiorem.

Aymonetus Trottus veteranus centurio, qui multis emeritis ſtipendijs, annis, & auctoritate, virtute parta grauis incedit.

Alexander in ſubalpinis Liguribus contra Sabaudienſes, qui ſeditione facta a Duce Carolo Emanuele, ſumptis armis rebellauerunt, ſecutus fidem Ioannis Thomæ Valpergæ Comitis Maſini mei veteris patroni ſtipendia cum honeſtis titulis meret.

Lucianum Dux Sabaudiæ intellecta eius in armis prudentia, & robore ad ſe euocauit honore, & ſtipendio centurionis decoratum.

Antonius, Ioannis Auguſtini filius, grauis armaturæ Eques.

Franciſcus Bernardinus grauis armaturæ Eques.

Alexander Iuris peritus in curia, & foro operam præſtat adſiduam, & fidelem.

Ioannes Nicolaus Iuris peritus, latinè, græcèq; eruditus, qui Muſam Homeri docuit non minus latine, quam grçce canere, fortunas ſuas ſæpe adcuſat: quarum procuratione interdum a ſtudio doctrinarum, quas a puero adamauit, inuitus, & mærens abſtrahitur.

Multi quoq; alij ſe mihi offerunt, ſed fidei meminiſſe debeo, quam initio dedi, cum breuitatem promiſi. Attamen iniurius mihi ipſe ſim, niſi cum Ioanne Baptiſta filio Iure conſulto ſemper in honeſtiſſimis aduocationibus occupato, cui a puero ſenilem auctoritatem ſingularis prudentia comparauit, Camillo patri Mediolani Regio Senatori, ornamento, & columini ſanctiſſimi illius ordinis, ad quem per omnes gradus, duce virtute, conſcendit, muſarum patrono

Digitized by Google

meiq; amantiſſimo hic in fine recenſionis honeſtiſſimum locum tribuam. Conſulto ſedem hanc illi reſeruauimus, imitati peritiſſimorum Ducum conſuetudinem: qui fortiſſimo cuiq; militi poſtremum in acie adſignant locum.

Claudat igitur Camillus Caſtellacius Trottus tamquam Triariorum Primipilus nobiliſſimum Trottorum agmen, ominemurq; & præcemur, vt, quem honorem illi virtus ambit, & parat, cum viuente & lætante Mattio conſequatur. Sed ad Antonium reuertamur.

Ille in animaduerſione mea in primos IV. principij Aeneidis Virgilij verſus, quos egere correctione dicebamus, quantum ſpecimen doctrinæ, & iudicij nunc nuper dedit? Vbi laudata, & probata prius opera, & ſenſu meo lamentari grauiter cœpit, & miſerari iniquam ſortem Virgilij, cui, ſicubi forte laborare videatur, ſtatim curioſi atq; acres animaduerſores plurimi inſurgant, qui non contenti ſuo iudicio (illudq. plerumq; præceps eſt, & temerarium) alijs etiam indicant, & produnt, cum interea patronus, & adiutor adparet nemo, nemo opitulatur, nemo poetæ cauſam ſuſcipit. Tu autem Mattij tantus tanti poetæ admirator, & prędicator non ades? non illum delicias tuas defendis, & foues? An misereri ſatis eſt, ſecurum reliqui? Quin tu totius mentis, atq. animi intentione cogita, & excogita. Tentatum quidem caput eſt à graſſatoribus, non abſciſum tamen, nec iacet omnino exangue, & examinatum cadauer. Spiritus ineſt, ſpes ſit. Tu, ſi forte prouincia iſta fidei & iudicio mandetur tuo, quid hìc agas? quid conſilij capias? Ecquid audeas tua cura dignum? dignum poeta? dignum tuo in illum ſtudio, & caritate? Nihil ἦν δ' ἐγω, poſt tot ſæcula, & poſt tot doctorum virorum hìc conuiuentes (ne grauiore verbo vtar) oculos tentem, aut audeam. Arbitror tamen eoſdem Va-

rium,& Tuccam nobilius quiddam in ea cenſura fuiſſe conaturos: niſi impoſitæ ſibi ab Auguſto legi parendum eſſe omnino ſtatuiſſent: quę demendi tantùm, quod non probaſſent, dabat, mutandi, aut addendi adimebat facultatem. Equidem, niſi hęc conditio ſui eos officij admonuiſſet, arbitror librum ſic inchoaturos fuiſſe.

„ *Dic mihi Muſa Virum, Troiæ qui primus ab oris*
„ *Italiam fato profugus Lauinaq. venit*
„ *Littora.*

Si ſic eſſet inchoatum, integra atq; egregia emicuiſſet principij Odyſſeæ Homeri æmulatio, & vno Viri vocabulo, vt facit etiam Homerus, cum dicit.

„ *Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη.*
„ *& reliq.*

actionem operis propoſuiſſet: & pléne legi Epopœicæ eſſet obtemperatum.

At, inquiet aliquis, imploratio numinis bis fieret primo

„ *Dic mihi Muſa Virum:*

Deinde

„ *Muſa mihi cauſas memora.*

At, reſpondebit alius, ſic eſſet Virgilius Homerum imitatus: qui & ipſe, & quidem pari cum Virgilio XI. verſuum numero bis idem facit, cum ſic canit initio, Odyſs.

„ *Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.*

& deinde

„ *Τῶν ἁμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν.*

Quilibet conferens hoc noſtrum principium cum proœmio Odyſſeæ non ſolum agnoſcet abſolutam æmulationem, ſed etiam perſpiciet inſignem decorem, adiumentumq; atq; adeo integram incolumitatem ægre habenti principio Virgiliano fuiſſe adlatam.

Digitized by Google

Idem Antonius, etſi honorificam, optabilemq; ſortem fatetur eſſe, cenſeri & prædicari laude, & virtutibus maiorum ſuorum, tamen iudicat miſerum eſſe, & infirmum præſidium, habere rationes exiſtimationis, & gloriæ a parentibus, & auis ſuſpenſas, & de illorum fama totos pendere. Ipſe ſuæ ſe gloriæ auctorem, ſe ex ſe ipſo æſtimari vult. Hanc ille eſſe veram, ſolidam, & firmam gloriam iudicat. Ad hanc non hęreditariam ſed proprie ſuam intento animo ſemper collimat, & ſpectat. Huc omnes ſuas cogitationes intendit. Et dum adoleſcit ætas, & accedentes anni ad excellentiores artes, & ad ſtudia negociaq; grauiora viam ſternunt, & parant, quod habet a cura rerum domeſticarum temporis reliquum, illud cum in equitando, & venando, ludicriſq; certaminibus: tum in hiſtoriarum veterum, & nouarum monimentis lectitandis ponit. Inde locupletem, & illuſtrem copiam exemplorum ad vitam inſtituendam, & colendam ſumit. Audit & me ſæpe priuatim, & publice docentem. Sodalibuſq; & comitibus prædicat, nihil eſſe viro nobili doctrina honeſtius, ſeq. a me ſemper auctiorem lætioremq; diſcedere. Quam facultatem vt etiam longius abſens habere poſſit, orat atq; obteſtatur: vt quam primum hæ commentationes meæ in communem quidem omnium, ſed maxime in priuatam vtilitatem ſuam publicentur, & exeant, vnde tamquam a mutis magiſtris ſemper poſſit honeſtiſſimæ frugis lucrum legendo facere. Hilari, & prompto animo pollicitus ſum (quid enim roganti, & efflagitanti Antonio negare Mattius poteſt?) & nunc me fide libero. Vos meæ Vigiliæ exitis, vtinam felicibus, fauſtiſq; auſpicijs certe docti atq; amici Antonij iudicio, & teſtimonio comitatæ, & commendatæ.

Inchoauimus a poetis narrationem hanc, eamdem determinandam Iuriſperitis mandemus.

Bartho-

Digitized by Google

Bartholus ſcribens ad legem primam D. de Pactis, dum per oppoſitionem illuſtrare conatur definitionem Pacti traditam a I.C. in hæc verba.

,, *Pactum eſt duorum plurium vt in idem placitum, &*
,, *conſenſus Opponit alijs caracteribus.*

male interpoſitam copulam illam,, Et, quia Placitum, & Conſenſus idem ſunt, interponi autem copulam inter diuerſa, reſpondet: figuratè locutum fuiſſe I.C. Ac perinde ita eſſe ſumendum Placitum,& Conſenſum, ac ſi dictum fuiſſet, Placitus conſenſus, ſubdens. Ex quo nota, quod quandoq; copula cadit inter duo: quorum vnum de neceſſitate ideſt alteri, & tunc illa duo reſoluuntur in vnum, ſicut Adiectiuum alterius, vt in Virgilio,, Arma, Virumq;cano, ideſt Virum armatum. Sed Bartholus fuit fortaſſe Iuris, quam Grammaticæ peritior. Si tamen huiuſmodi expoſitionis ipſe auctor fuit, namq; multi alij idem tradiderunt. Fortaſſe locum habebit in eiuſdem poetæ verſu lib. XI.

,, *Arma, Virumq. ferens, ideſt Virum cum armis ipſis.*

Addendum etiam hoc eſt, τὸ At, il illo verſu, At nunc horrentia Martis Arma, Virumq. cano, παρέλκει ſuperuacuum eſt. Idem accidit ſimili, & eiuſdem ſenſus particulæ,, Sed, in fine prooemij Rhetoricorum ad Herennium.

,, *De re dicere incipiam. Sed ſi te prius admonuero: Ar-*
,, *tem ſine exercitatione dicendi non multum iuuare.*

DONA-

DONATVS DEFENSVS. *Odyſſeam prius, deinde Iliadem ab Homero ſcriptam.*

Cap. V.

MAlo accipiunt nonnulli hæc auctoris vitæ Virgilij, quæ à multis Donato vindicatur, verba.
,, *Nouiſſime Aeneidem adgreſſus, opus varium, & multiplex, & quaſi amborum Homeri carminum inſtar.*
Arbitrantur, Donatum his verbis tribuere Aeneidi actiones duas: Errorum ſcilicet, & Belli. Sed falluntur. Laudat Donatus frugalem, inſtructam tamen omni copia, & inſtrumento abſolutæ eloquentiæ. Virgilij breuitatem, qui, quod Homerus duobus poematis eſt perſecutus, ipſe vno poemate, & librorum multis partibus pauciore numero, & Actione vna ſit complexus, ſeruato Homeri ordine: cui iudicio doctorum virorum Odyſſea, non Ilias fuit prior lucubratio.

EXPOSITA VARIE duo Virgilij loca.

Cap. VI.

,, *PRogeniem ſedenim Troiano à ſanguine duci*
,, *Audierat: Tyrias olim quæ verteret arces.*
,, *Hinc populum late regem, belloq; ſuperbum*
,, *Venturum excidio Libyæ. Sic voluere parcas.*

Verſus Virgilij ſunt ex Aeneid. lib. 1. omnibus noti, in quorum expoſitione diuerſi abeunt docti viri. Hic (vtinam, inquit Cotta apud Ciceronem) tam facile vera

Digitized by Google

vera inuenire poſſem, quam falſa conuincere. Nec mihi quemquam arguere in animo eſt. Quæ traduntur à veteribus, & nouis Virgilij interpretibus omnibus ſunt obuia: & nulla fere eſt inter eos controuerſia. Aliquot alij ὁδοῦ πάρεργον huc aliquid contulerunt. Ex quibus Panuini verba ſuperuacaneum eſt ponere: quoniam vniuerſa ad verbum tranſtulit ex Sigonio, qui caute, & ſapienter ſic ſcribit in libro de Nominibus.

,, *Aemilia ab Aemilio Aſcanij Troiani filio, vt ait*
,, *Feſtus. Cui rei forte adlusit Virgilius cum ait.*
,, *Progeniem ſedenim Troiano à ſanguine duci*
,, *Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.*
,, *Hinc populum late regem, belloq; ſuperbum*
,, *Venturum excidio Libyæ, sic voluere Parcas.*
,, *Etenim progeniem Aeneæ, & Iulij vocare videtur Sci-*
,, *pionem Pauli Aemilij filium: qui Imperator Carthaginem*
,, *exſcidit. Populum autem legiones Romanas: quæ ab*
,, *iiſdem etiam genus trahebant. Alioquin, si progeniem*
,, *& populum idem dicat, ſuperuacanea videatur iteratio.*
,, *Nihil tamen contra veteres adfirmo. Alij iudicabunt.*
,, *Plutarchus autem Aemilios à filio quodam Pythagoræ*
,, *Mamerco dictos ait, qui ſummo lepore præditus fuit:*
,, *quæ Græcis* αἱμυλία *dicitur.*

Laudo pudentis, prudentiſq; viri verecundiam homini ingenitam, & moribus nimium quantum auctam. Alij vocem illam ,, Hinc, in hoc verſu, ,,. Hinc populum late regem, belloq; ſuperbum ,, Venturum excidio Libyæ, non exponunt à Troiano ſanguine, ſed Aduerbium ordinis faciunt: & pro Deinde accipiunt. Neq; Excidio Dandi, aut Octauum caſum pro ad excidium: ſed Ablatiuum eſſe iudicant: & exponunt Excidio, ab excidio: perinde, ac ſi diceremus. Deinde poſt excidium Carthaginis, vel etiam propter excidium Carthaginis populum venturum, ideſt eua- *Iul. Caſ. Scalig.*

ſurum

Digitized by Google

ſurum late regem, belloq; ſuperbum, & illuſtrem. Sic primis duobus verſibus ruina Carthaginis prædicetur, qua ſtante, nomen, & opes Romani imperij numquam fuerint futuræ tantæ. Sed tentari hæc quoq; interprætatio poteſt rationibus, quas alijs excogitandas relinquo.

Poſſet aliquis putare duo poſteriora carmina non ad Carthaginem pertinere, ſed ad plura regna eius partis Africæ, quæ Romanis vſq; ad Atlanticum Oceanum ſunt poſtea adquiſita, ſi tamen hæc quoq; cura tetigit, ſolicitamq; habuit Iunonem. Quod ad locutionem pertinet „ Venturos excidio, Iulius Scaliger vir planè ſingularis, niſi filium reliquiſſet Ioſephum virtutum patris feliciter æmulum, lib. IV. cap. XVI. Poeticæ ſic ſcribit.

„ *Venturum excidio Libyæ locutio non vulgaris, eodem*
„ *filo, quo dicimus, Venire ſubsidio, aut auxilio. Neq;*
„ *rectè Seruius interpratatur, ad excidium: hoc enim lan-*
„ *guidum, neq venturum significat motum, ſed tempus tan-*
„ *tùm: aeque, ac si dicas, futurum excidio, ideſt exitio.*

Ibidem.

„ *Id metuens, veteriſq: memor Saturnia belli*
„ *Prima quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis.*
„ *Necdum etiam cauſa irarum, ſæuiq: dolores*
„ *Exciderant animo, manet alta mente repoſtum*
„ *Iudicium Paridis, ſpretaq: iniuria formæ:*
„ *Et genus inuiſum: & rapti Ganymedis honores.*
„ *His accenſa ſuper iactatos æquore toto*
„ *Troas reliquias Danaum, atq: immitis Achilli*
„ *Arcebat longe à Latio, multoſq: per annos*
„ *Errabant acti fatis maria omnia circum.*
„ *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

Principium ſeptimi verſus eſt inſtauratio ſupra dictarum cauſarum; & quaſi epilogus, in qua figura frequens eſt Cicero. Namq; poſt plures enumeratas rationes inferre ſolet; Ob eas res, vel; Ob eam cauſam: vt alias hu-

Digitized by Google

huiuſmodi formas illi vſitatas præteream. Sic hoc in loco apud Virgilium verba hæc. ,, His adcenſa ſuper; enumerationem ſupra dictarum rationum complectuntur: Vt iam de obſcuritate vlla, aut ſolœcophane vllo amplius ſuſpicandum non ſit.

Quod autem ad iudicium Paridis de Iunone pertinet, Suidas in voce Πάριν tradit: Paridem Veneris encomium feciſſe: in quo Deam hanc Iunoni, atq; Mineruæ anteferret. Inde occaſionem fabulæ eſſe apertam.

QVI EX INFERIS AD SVPEROS REDIerint. Cur Saturnus de cœlo veniſſe ſit dictus. Latium, & Albula vnde dicta. Troia quinquies capta.

Cap. VII.

,, *SI fratrem Pollux alterna morte redemit:*
,, *Itq: reditq: viam toties: quid Theſea? magnum*
,, *Quid memorem Alciden?*

Ad hos tres à Virgilio lib. VI. celebratos, qui ex inferis ſedibus ad ſuperos reditum ſortiti ſint, addantur ex Diodoro Siculo Perithous cum Theſeo, & Cerberus ab Hercule vi abducti. Semelem matrem Dionyſius à patruo Plutone: Siſyphus à Proſerpina ſuauitate orationis reditum impetrarunt.

Libro viij.

,, *Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo*
,, *Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.*

Ad ea, quæ à nonnullis tradita ſunt de Saturno Iani, quem Noam dixerunt, filio: & quemadmodum regno pulſus à Ioue filio venerit ad Ianum patrem in Italiam, viſum eſt non alienum à verbis poetæ adponere verba

Digitized by Google

M. Minucij Felicis ex dialogo, qui inſcribitur Octauius: quæ ſunt hæc.

,, *Terræ enim, & Cæli filius, quod apud Italos eſſet igno-*
,, *tis parentibus proditus, vt in hodiernum, inopinato viſos*
,, *cælo miſſos: ignobiles, & ignotos terræ filios nominamus.*

Quod vero Virgilius, & Minucius cum alijs multis dicunt, Italiam à Saturno adpellatam Latium, quod ibi tuto latuerit, id omnino à veritate diſcedit. Nam cum Lateo verbum Latinum ſit, Latina autem lingua multis ſæculis poſt Saturnum originem habuerit, qui fieri poteſt, vt verbum nondum natum alterius vetuſtioris ſit parens? Sed ſcriptores ex libidine huiuſmodi deriuationes fingunt. Vt Iuriſperitis, & Grammaticis condonanda ſit licentia: qui Teſtamentum dicunt teſtationem mentis: Sepulcrum, quod ſit ſine re pulchra, cum illud ſit, vt armamentum, & condimentum: hoc vt Fulcrum, ſimulacrum, & lauacrum.

Idem accidit vocabulo Albula: quo nomine olim dictus eſt Tiberis, voci vetuſtiori Latino ſermone, Arameæ ſcilicet.

Lib. IX.

Bis captam Troiam ſcribit idem Virgilius eo verſu lib. IX.

,, *Bis capti Phryges.*

At enim Plutarchus in Sertorio ter captam tradit, & quidem equorum occaſione ſemper. Primo ab Hercule ob equos, quibus à Laomedonte erat defraudatus, iterum ab Agamemnone per equum Duratæum, tertio à Charidemo duce Ceriobleptæ regis Thraciæ, equo, qui in aditu portæ conſtiterat, impediente, ne Ilienſes portam foribus obcluderent. Addatur captam quarto ab Amazonibus, poſtremo à Fimbria (quamquam id à Rutulo obiectari tunc non poterat) cujus rei hiſtoriam lege apud Appianum Mitridatico.

Lib.

Digitized by Google

Lib. x.

Seruius in eum Virgilij verſum lib. x.

„ *Corytiq; leues humeris, & letifer arcus.*

Corythum eſſe ſcribit, thecam arcus, quamquam, & ſagittarum etiam. In Nonio duplex eſt lectio, nam Coriſci, & Corici ſcribitur. Traditq; ille, eſſe leue miſſile in modum ſagittarum, adfertq; ad id probandum hunc Virgilij verſum.

Ioannes Diaconus in Clypeum Heſiodi γωρυτὸν ſcribit: & deducit ἀπὸ τοῦ γῶ τὸ χωρῶ, καὶ ῥυτὸν, τὸ ἑλκυσὸν, ἤγουν τὸν τόξον.

EGREGIAM APVD VIRGILIVM figuram lib. xij. non animaduerſam: locumq; perperam expoſitum ab interpraetibus. Ciceronis locus Philippica x. expoſitus.

Cap. VIII.

EST in verſibus, quos adponam, Virgilij lib. xij. inſignis figura: quæ à nullo ex interpræetibus animaduerſa in cauſa fuit: vt rectè locum non ſint interprætati.

„ *Interea reges: ingenti mole Latinus*
„ *Quadriiugo vehitur curru: cui tempora circum*
„ *Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt*
„ *Solis aui ſpecimen, bigis it Turnus in altis*
„ *Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.*
„ *Hinc pater Aeneas Romanæ ſtirpis origo,*
„ *Sidereo flagrans clypeo, & cæleſtibus armis,*
„ *Et iuxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ*
„ *Procedunt caſtris.*

Seruius, quod etiam Donatus,& poſtea alij interpræ-tes ſenſerunt,

,, *Longum (inquit) Hyperbaton, nam ordo eſt. Interea*
,, *Reges procedunt caſtris, cætera enim per Parentheſim*
ſunt dicta.

Fallitur ſine dubio Seruius. Etiam Beda in eodem prope errore eſt.

Non animaduerterunt, hæc verba ,, Procedunt Caſtris ad ſolos Aeneam,atq; Aſcanium referri: qui vere ex caſtris proceſſerunt. Latinus autem, & Turnus ille vehebatur, hic ibat ex vrbe. Eſt autem Oratio per Prolepſim elata figuram Græcis, atq. Latinis perinde eleganter vſurpata. Sic idem poeta lib. x i.

,, *Excluſi ante oculos, lacrymantumq; ora parentum*
,, *Pars in præcipites foſſas, vrgente ruina*
,, *Voluitur: immiſſis pars cæca, & concita frenis*
,, *Arietat in portas.*

Liuius.

,, *Duæ maximæ res, altera alteri defuit.*

Idem.

,, *Duo ordinarij conſules, alter morbo, alter ferro perijt.*

Idem.

,, *Quos Pop. Romanus conſulem alterum, alterum Prætorem declarauit.*

Cæſar lib. 1. belli Gallici.

,, *Duæ filiæ, harum altera occiſa, altera capta eſt.*

Cic. Philippica x.

,, *Equitatus, qui in Syriam ducebatur, bipartito, alter eum*
,, *a quo ducebatur, reliquit in Theſſalia; ſeq. ad Brutum*
,, *contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adole-*
,, *ſcens ſumma virtute, & conſtantia ab legato Syriaco*
,, *abduxit.*

Macrobius lib. v i. cap. v i. Saturnal. ad hos verſus Virgilij vidit aliquid: ſed non quantum oportuit, Quod

vero

Digitized by Google

vero ad verba Philipp. Ciceronis x. adtinet operæ pretium eſt adpendicem addere. Equitatus ibi eſt ſingularis Rectus caſus, non pluralis: vt putabat Budæus in comment. linguæ Græcæ, ob idq. ducebantur, non ducebatur, legit, quod factum mihi minime probatur.

Primum a vetere ſcriptura non eſt temere recedendum, deinde boni auctores cum de equeſtribus copijs agunt, equitatum non equitatus dicere, ideſt ſingulari numero vti ſolent, non plurali.

Quod porro dicit Virgilius, „ cui tempora circum Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt, ſolis aui ſpecimen: numerus XII. radiorum coronæ Solis eſt adtributus propter XII. ſigna Zodiaci: per quæ percurrens Sol annum conficit menſium XII. Huiuſmodi diadematum formam, vnde acutæ pyramidali figura pinnæ tanquam radij emicant, eſt videre in antiquis Regum, atq. Imperatorum æreis, atq. argenteis nummis.

DE LVDIS AB AENEA AD ACTIVM celebratis. Leucata. Ambracia. Nicopolis Suetonius illuſtratus.

Cap. IX.

MOs fuit antiquis ducibus: vt perfuncti cum incolumi exercitu periculis, Dijs, Iouiq; Seruatori inprimis, ſacrificijs factis, votiſq; perſolutis gratularentur: & vario ludorum genere exhilarati miſeriam præteritorum incommodorum communi lætitia diluerent, & obruerent. Id planè docemur a Xenophonte vltimo libro quarto Anabaſeos his verbis.

„ Καὶ ξένια καὶ παρ' ἐκείνου ἦλθον βόες, ἀποθῦσαι τῷ Διὶ τῷ
„ σωτῆρι καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἡγεμόσυνα; καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ θεοῖς
„ ἤξαντο

„ ηὔξαντο. ἐποίησεν δὲ καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ἐν τῷ ὄρει, ἔνθα
„ περ ἐσκήνουν.

& paulo poſt

„ ἠγωνίζοντο δὲ παῖδες μὲν στάδιον. Τῶν αἰχμαλώτων οἱ πλεῖ-
„ στοι δόλιχον δραμόντες ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔθεον.

Hinc Virgilius lib. iij. Aeneidis occaſionem celebrandi ludos ab Auguſto ad Actium poſt victos ibi Antonium, & Cleopatram editos accepit his verſibus.

„ *Ergo inſperata tandem tellure potiti*
„ *Luſtramurq; Ioui, votiſq; incendimus aras.*
„ *Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis.*
„ *Exercent patrias oleo labente paleſtras*
„ *Nudati ſocij, iuuat euaſiſſe tot vrbes*
„ *Argolicas: medioſq; fugam tenuiſſe per hoſtes.*

In quorum explicatione Seruius decipitur, cum ſcribit.

„ *Leucata mons eſt altiſſimus in promontorio Epiri iuxta*
„ *Ambraciam ciuitatem: quam Auguſtus Nicopolim ad-*
„ *pellauit victis ibi Antonio, & Cleopatra. Ibi & tem-*
„ *plum Actio Apollini conſtituit, & ludos Actiacos.*

& paulo poſt idem Seruius.

„ *Actia littora) vt ſupra diximus, propter Auguſtum hæc*
„ *dicit: qui ludos illic ſtatuit Agonales.*

Fallitur, inquam, Seruius. Neq; enim verum eſt, Ambraciam eſſe eam vrbem, quam Auguſtus Nicopolim adpellauit. Namq; Ambracia alia eſt a Nicopoli. & vtræq; vrbes adhuc manent, longoque plurium millium paſſuum interuallo vtraq; ab altera diſiuncta eſt. Nicopolis eſt in ipſo ſinus ſiniſtro ore. Ambracia in vltimo ſinu. Nicopolis nunc Preueſa dicitur. Ambracia nunc eſt L'Aarta.

Duo autem promontoria quatuor tantùm ſtadiorum interuallo inter ſe diſtantia longis anguſtijs ingens mare medium admittentia ſinum Ambracium faciunt. Ac-

tium

Digitized by Google

tium promontorium a dextra ingredientibus nunc Cauo Figo dicitur.. In eo eſt vrbs eodem olim cum promontorio nomine, nunc Alcippo dicta. A ſiniſtra eſt alterum promontorium: in quo eſt Nicopolis. Sic Euſebius olympiadis CLXXXVII. anno V.

„ *Nicopolis iuxta Actium condita & Agon Actiacus*
conſtitutus.

Hic initio Caeſar Caſtra habuit, ſicut in Actio Antonius.

Neq; etiam verum eſt, Auguſtum conſtituiſſe Apollini templum, & ludos Actiacos ad Nicopolim. Conſtituit ille ad Actium vrbem in promontorio Actio e regione vrbis Nicopolis, quæ eſt in altero promontorio, vt eſt dictum. Quamquam nec templum, nec ludos hos in Actio conſtituit Auguſtus: amplificauit ille, & magnificentius exornauit. Antiquiſſimi enim illic ludi fuerunt cum templo Apollini Actiaco conſecrati auctore Strabone lib. vij. ſic tradente.

„ Ηγετο δὲ καὶ πρότερον, τὰ Ακτία τῷ θεῷ στεφανίτης ἀγὼν ὑπὸ
„ περιοίκων. νῦν δὲ ἐντιμότερον ἐποίησεν Καῖσαρ.

Et Suidas in Ακτία.

„ Ακτιὰς ἀγὼν παλαιός· ὡς Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγώνων
„ δῆλον ποιεῖ.

Alios quoq; quinquennales ludos, vt dictum eſt, ampliato vetere Apollinis templo ad Nicopolim conſtituit Auguſtus Apollini quidem, ſed non Actiaco. Diuerſum eſt enim templum Apollinis ad Nicopolim a templo Apollinis ad Actium. Suetonius [vt interim præluceamus lecturis hæc eius verba in Auguſto] ſilentio præteritis ludis Actiacis, & Apollinis ibi templo, tantùm conditæ vrbis Nicopolis, & conſtitutorum ibi ludorum ad ampliatum ibidem templum Apollinis mentionem facit. Quod vero quincto quoq; anno celebrarentur ludi Actiaci, quemadmodum, & ad Nicopolim, non ter-

tio,

tio, vt putat Stephanus de vrbibus in Ἀκτία, probant duo Græci ſcriptores Dio,& Strabo. Verba Dionis lib. LI. non pono, interpretis illius ponam, quoniam in præſentia Græci libri copia non eſt.

„ *Eadem die Cæſar Apollini, qui apud Actium colitur, & cet. ludos muſicos, & gymnicos, & certamen equeſtre cum ſacro quinquennali & cet. conſtituit, Actiacos ludos illos dicens.*

Strabo lib. vij.

„ Ἀποδέδεικται δ' ὁ ἀγὼν ὁ Ὀλύμπιος τὰ Ἀκτία ἱερὸς τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος.

Quoniam autem Latinus interpręs Strabonis egregie ſitum ſinus Ambracij deſcribentis, ſententiam non adſecutus Græcæ orationis, omnem corumpit veritatem hiſtoriæ, quod toto opere frequenter facit: & hic ſibi fingit vrbium nomina, quæ numquam fuerunt, induciтq; ſenſum a Strabonis mente, & a veritate hiſtoriæ longiſſime remotum, non ab re erit adponere græca verba: quæ legentem latinam interpretationem admoneant, vt a fraude caueat.

Græca hæc ſunt.

„ Ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἡ Νικόπολις; καὶ τῶν Ἠπειρωτῶν οἱ Κασσωπαῖοι μέχρι τοῦ κατὰ Ἀμβρακίαν. ὑπέρκειται δὲ αὐτῆ τοῦ μυχοῦ μικρὸν σόλγου τοῦ Κυψέλου κτίσμα. Παραρρεῖ δ' αὐτὴν ὁ Ἄρατθος ποταμὸς ἀνάπλουν ἔχων ἐκ θαλάττης εἰς αὐτὴν ὀλίγων σταδίων.

Latini vero interpretis hæc ſunt.

„ *Siniſtra vero Nicopolis eſt, & Epirotarum colonia Caſſiopæi, vſq; in vltima ſinus Ambracij, cui ſuper imminet pauliſper a ſinu diſtans Tolgus. Cuius memoriam Cypſelus ſtruxit. Præter eam labitur Aratthus Fluuius, per quem a mari ad ipſum Tolgum paucis admodum ſtadijs aduerſa nauigatur aqua.*

Ego ſic uerterem.

„ *Sini-*

Digitized by Google

" *Siniſtra vero Nicopolis eſt: & ex continenti Caſſopai*
" *vſq; Ambraciam. Hac autem condita a Tolgo Cypſeli filio modico ſupra ſinum ſpacio eſt ſita. Iuxta eam labitur Aratthus fluuius habens a mari ad ipſam vrbem aduerſo flumine breuem paucorum ſtadiorum nauigationem.*

Hinc perſpicitur quot paucis verbis monſtra edita ſint a tot hominibus: qui in eo vertendo, ne euertendo dicam, laborauerunt.

LOCRI PLVRES. VIRGILII *locus declaratus aliter atq; Seruius facit. Strabonis locus reſtitutus.*

Cap. X.

CVm conſtet inter ſcriptores, Locros Italicos a Græcis Locris eſſe oriundos, tamen controuerſia eſt, quibus Græcis Locris (plures enim diuiſi certis limitibus ſunt in Græcia Locri) Locros Italos vindicemus. Nos hic breuiter de vniuerſis quædam opportuna adferemus quæ melius Seruio illuſtrabunt verſum Virgilij. In qua occaſione veram lectionem Straboni paruo negocio reddemus.

Locri igitur in Græcia quadruplices fuere. Primi Epicnemij, qui Epicnemidij, & Epicnemidæ, & olim Leleges dicti. Alteri Opuntij: Tertij Ozolæ, qui & Heſperij: Quarti Elei.

Epicnemij a Cnemide monte dicti vltra Parnaſum Oetęos, & Malienſes adtingunt. Opuntij ab Opunte ipſorum metropoli dicti, ipſi quoq; vltra Parnaſum incolentes, fretum Euboicum propius ſpectant, habentq; inter alias vrbes Narycum, quæ etiam Narycion, Na-

Digitized by Google

ryx, & Naryce dicitur. Ozolæ citra Parnaſum, & Dorienſium Tetrapolim Criſſæum ſinum, qui & Corinthiacus dicitur, ſedes habuerunt. Ozolis nomen ferunt dediſſe teterrimum putorem (ὄζειν enim etiam putere ſignificat) exhalantem ex tabo Neſſi, & aliorum Centaurorum defluente ex Taphoſo monte, vbi conditi erant, in ſubiacentes campos. Hi Heſperij etiam dicebantur vel a regione ipſa: occaſum enim, ſi reliquorum Locrorum ſitum reſpicias, ſpectant: vel quod publice ſignabant anulo, cui Heſperi ſtellæ effigies erat inſculpta.

Elei Locri in Elea Peloponneſi ab Opuntijs Orti obſcuriore fama fuerunt. Paulo tamen aliter tradit Scholiaſtes Pindari Oda viij. Olymp. ad finem ſic ſcribens.

„ *Ἐθνη λοκρῶν εἰσὶ τρία. Ἐπιζεφύριοι πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ: Ὀζόλαι*
„ *πρὸς τῇ αἰτωλίᾳ; Ἐπικνημίδιοι πρὸς τῇ Εὐβοίᾳ.*

Alius ſcholiaſtes in eumdem Pindarum Oda ix.

„ *λοκροὶ Ἐπιζεφύριοι: λοκροὶ Ἐπικνημίδιοι: λοκροὶ Ὀπούντιοι:*
„ *λοκροὶ Ὀζόλαι. τέσσαρα γὰρ γένη λοκρῶν.*

Atq; hi ſunt Locri Græci.

Locri Itali in Bruttijs fuere, dicti Zephyrij, & Epizephyrij: quod in Zephyrio promontorio Locridis in extrema Italia prius conditi ſint, quamquam paulo poſt non procul inde in alium locum migrarunt. Hæc colonia deducta eſt à Locrenſibus Ozolis, ſi Strabonem, ſi Pauſaniam lib. iij. & Ephorum, quem Strabo citat, & Virgilium audimus, ab Opuntijs. Namq; poeta lib. iij. Aeneidis ſi ait.

„ *Hic, & Naricij poſuerunt mœnia Locri.*

Nam tantumdem eſt, ac ſi dixiſſet Opuntij. Iam enim diximus, Narycum Opuntiorum vrbem fuiſſe. Neq; alienum fuerit Strabonis verba ex lib. vj. adponere, omiſſis illis, quæ lib ix. addidit, in quibus itidem teſtatur, Epizephyrios Ozolarum colonos fuiſſe.

» μετὰ δὲ τὸ ἡράκλειον ἄκρα τῆς λοκρίδος ἣ καλεῖται ζεφύριον,
» ἔχουσα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα. ἐξ οὗ καὶ τοὔνομα.
» ἔνθ᾽ ἡ πόλις οἱ λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι. ἐπὶ λοκρῶν ἄποικοι
» τῶν ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον ἀπὸ Κρότωνος καὶ
» Συρακουσῶν κτίσεως.
» ἀποικισθέντες ὑπὸ Εὐάνθους. Ἔφορος δ᾽ οὐκ εὖ, τῶν Ὀπουν-
» τίων λοκρῶν ἀποίκους φήσας. ἔτη μὲν οὖν τρία ἢ τέτταρα
» ᾤκουν ἐπὶ τῷ ζεφυρίῳ. εἶτα μετήνεγκαν τὴν πόλιν συμπρα-
» ξάντων καὶ συρακουσίων. ἅμα γὰρ οὗτοι. ἐνθάδ᾽ εἰς καὶ ἔστιν ἐκεῖ
» κρήνη λοκρία, ὅπου καὶ ἐστρατοπεδεύσαντο.

Quæ vniuerſa ab interpræte Latino ſatis commode verſa ſunt; niſi quod vbi λοκρία κρήνη eſt, Locrius fons, non Lucrinus lacus verti debuit, cuius pudendi erroris, vel ſola locorum tanta diſtantia debuit interprætem ſatis commonere.

Hac opportunitate locus Strabonis eodem libro IX. eſt adiuuandus vna tantùm addita littera.

» ουμην ἐβασίλευε ἐκεῖνος (Πατρόκλος) τῶν Ὀπουντίων. ἀλλ᾽
» ἔμας ὁ λοκρὸς πατρίδος ὤν, ὥς φασιν, ἀρύκου.

Vbi pro ἀρύκου. reponendum eſt Ναρύκου. Νάρυκος enim non Ἄρυκος Geographis omnibus Opuntiorum vrbs fuit, vt dictum eſt.

Seruius in hunc Virgilij verſum libri tertij Aeneid.

» *Hic, & Naryciј poſuerunt mœnia Locri.*

& in illum alterum XI.

» *Libyco ve habitantes littore Locros.*

erat in hoc, & quod Ozolos dicit, qui Ozolæ ab omnibus ſcribuntur: & quod Epizephyrios, qui Itali tantùm fuerunt, etiam eſſe Græcos putauit, cum ſic ſcribit in verſum libri tertij.

» *Sociј Aiacis Oilei fuerunt Epizephyriј, & Ozoli. Sed*
» *poſt tempeſtatem montis Caphareі Epizephyriј tenuerunt*
» *Bruttios: & hos nunc dicit. Ozoli vero tenuerunt Pen-*
» *tapolim. Inde eſt. Libyco ve habitantes littore Locros.*

,, *Quin etiam de Ozolis legitur: quod delati Tinneiam vlterius adceſſerint: & ciuitatem condiderint, quæ nunc*
,, *Vzalis dicitur. Ozoli à putore paludis vicinæ.*

Idem in verſũ xI. Libyco ve habitãte litore Locros.

,, *Vt etiam in tertio diximus,* Locri *ſocij Aiacis Oilei fue-*
,, *runt. Epizephyrij, & Ozoli. Sed hi tempeſtate diuiſi*
,, *ſunt: adeo vt Epizephyrij tenuerint Bruttios: de quibus*
,, *ait in iij. Hinc, & Narycij poſuerunt mœnia* Locri. *Ozoli*
,, *vero deportarentur Pentapolim, de quibus nunc queritur*
,, *dicens. Libyco ve habitantes littore* Locros.

FATVM. NATVRA. CASVS. Virgilij verſus illuſtratus.

Cap. XI.

,, *SEd quia nec fato, merita nec morte peribat:*
,, *Sed miſera ante diem, ſubitoq; accenſa furore*

Verſus ſunt Virgilij libro IV. Idem libro X.

,, *Stat ſua cuiq; dies.*

Scimus, quæ tradantur ab Agellio lib. xiij. cap. I. & Seruio. Attamen longe mihi gratius adrident, quæ à Nonio libro de doctorum indagine diſputantur, in cuius verbis, & ſi naturalis mortis non fit mentio, tamen facile quilibet inde exiſtimare poteſt, tria mortis genera à poeta deſignari, Fati, Naturæ, & Caſus: ſiue quo alio nomine libet adpellare tertium hoc mortis genus. Quæ autem ſequuntur verba. ,, Subitoq; accenſa furore, reddunt rationem, & exponunt, quomodo poſſint mores cuiuſq; vim Fato, aut Naturæ facere: vt mors vel proferatur vltra diem, vel properetur ante diem. Sed præſtat ad breuitatem Nonij verba adponere, vt quidem leguntur, nam ſunt quædam mendi ſuſpecta.

,, Dubio

Digitized by Google

,, Dubio potius quam difficili intellectu vates poſuit Man-
,, tuanus. Sed miſera ante diem, ſubitoq; accenſa furo-
,, re: cum huic ſententiæ obuerſetur verſus eius cum opi-
,, nione ſentiens plurimorum. Fortuna Omnipotens, &
,, ineluctabile fatum. Verum ſenſibilitatis eius non leuis
,, ratio eſt, quæ prima ſententia philoſophicum accipit
,, intellectum: quæ ait: Sui cuiq; mores Fortunam fin-
,, gunt; Omnipotens Fortuna eſſe definit. Quod Salluſtius
,, mire. Fortuna ſimul cum moribus immutatur. Ac per
,, hoc ex ea ſimilitudine Fatũ ineluctabile eſſe non poterit:
,, quod ex vna cauſa Fortuna fieri videatur, & Fatum.
,, Poteſt etiam, Fatum morum mutabilitate conuerti: vt
,, ex his aut celere, aut tardum, aut bonum fiat, aut peſ-
,, ſimum. Accenſa enim furore Dido amoris iniqua vio-
,, lentia, quia, vt ipſe ait, Omnia vincit amor, ante diem
,, merito videretur occidere, quod etiam Homeri eiuſmodi
,, eſt: quem Virgilius noſter omni æmulatione ſectatur.
,, σφῆσιν ἀτασθαλίησιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. quod eſt
,, ὑπὲρ μόρον, vltra decretum. Quod ſi admittitur, vt vl-
,, terius protendatur, quoniam id ex moribus factum eſt,
,, quod ſignificat, σφῆσιν ἀτασθαλίησιν, admittere pote-
,, ritis de moribus properatam etiam Fati celeritatem:
,, vt intra diem poſſit admitti: quoniam recipit (vt Ho-
,, merus ait) magnitudinem vltra vim Fati.

Hæc ille. Sed de Fati neceſſitate, & de facultate cu-
iuſq; contra vim Fati Cicero eſt adeundus. Agellius
quoq; aliquid adfert lib. VI. cap. ij. vt recentiores ta-
ceam non paucos.

PRONOMEN PRO NOMINIBVS PONI. Seruium falli. Cap. XII.

PRonomen non tantùm pro nomine, ſed etiam pro no-
minibus ponitur, quod negat Seruius in hos verſus
Virgilij lib. vij.

,, *Arte*

,, *Arte noua ſpeculata locum: quo littore pulcher*
,, *Inſidijs, curſuq; feras agitabat Iulus.*
,, *Speculata (inquit Seruius) locum, quo littore.] Prono-*
,, *men pro nomine ponitur, non pro nominibus. Vnde noue*
,, *inter duo nomina vnum pronomen poſuit, nam recte, quo*
,, *loco diceret, & hos ſemel tantùm fecit.*

Immo paulo ante iam id fecerat eo verſu.

,, *Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur vrbem*
,, *Acriſioneis Danae fundaſſe colonis.*

Sic Cicero pro Cecinna.

,, *Quadriennium hoc eſt, ex quo tempore fundum venijt.*

Terentius Andria

Vbi ea cauſa, quam ob rem hæc faciunt, erit adempta his, deſinent.

VARIAE LECTIONES IN VETVSTO Libro meo Tibulli. Locutionem hanc, Non ſolum vſurpari non ſequente Vt. Iuuentas. Cap. XIII.

VEtus manu ſcriptus Tibulli liber multis in dictionibus diphthongos omittit, incuria ne librarij id acciderit, an iudicio, non dicam: alijs id ſtatuendum relinquo. Eiuſmodi ſunt Pena: Ledo: Celum: Cedo: Ceſus. Idem ſemper habet Iuuentas, non Iuuenta, veluti Elegia iiij. lib. I. vt prætercam loca alia.

,, *Solis æterna eſt Phoebo, Bacchoq; iuuentas.*

Scribit etiam, Idem, & Di, pro Iidem, & Dij vt hoc verſu, elegia vltima.

,, *Sed patrij ſeruate Lares, aluiſtis & idem.*

Sic lib. IV. Panegyrico.

,, *Incipit, non idem tibi ſint, alijſq; triumphi.*

Verùm de huiuſmodi ratione ſcribendi alibi a nobis dice-

dicetur. Libet adſcribere aliquot alias varietates eiuſdem libri, quas confido lectori non ingratas fore Lib. I. elegia vi. vbi alij libri habent

,, *Et pudet, & narrat facta nefanda mea.*

ille ſic legit.

Et pudet, & narrat ſcire nefanda mea.

Elegia viij. vbi nunc eſt

,, *Et poſſum media quamuis obrepere nocte.*

Ille

,, *Et poſſim media, &c.*

Quam coniunctiui Modi lectionem antecedentia, & ſequentia verba poſtulant. Ibidem.

,, *Eſt mihi nox multis euigilanda modis.*

Ille

,, *Euigilanda malis.*

Elegia x.

,, *Illis eriperes verbis mihi, ſidera Cæli*

,, *Lucere: & puras fluminis eſſe vias.*

Ille

,, *Lucere: & puras fulminis eſſe vias.*

Libro ij. elegia prima.

,, *Luce ſacra requieſcat humus.*

Ille

,, *Luce tua requieſcat humus.*

Elegia ij.

,, *Illius puro diſtillent tempora nardo.*

Ille.

,, *Illius e puro diſtilent tempora nardo.*

in quo verſu Diſtilent verbum vno l. ſcriptum eſt, more ſcilicet, vt alibi dicetur, quorumdam antiquorum: qui liquidas, atq; adeo conſonantes omnes non geminabant Elegia v.

,, *Nunc precor ad laudes flectere verba meas:*

Ille

,, Nunc

,, *Nunc precor ad laudis flectere verba modos.*

Ibidem

,, *Ipſum etiam ſolem defectum lumine vidit.*

Ille

,, *defectum lumina vidit.*

Ibidem.

,, *Ingeret hic potus iuuenis maledicta puella.*

Ille

,, *Ingeret hic potus iuuenis mala dicta puella.*

Elegia VI.

,, *Barbara gypſatos ferre catasta pedes.*

Ille

,, *Barbara luxatos.*

In quem verſum lege Ioſephum Scaligerum ad elegiam v. Propertij in pentametrum hunc verſum.

,, *Galati medio cum ſaliere foro.*

Lib. iij.

,, *Qui primum caram iuueni.*

Ille

,, *Qui primus caram iuueni.*

Lib. ij. Panegyrico.

,, *Mobilis Artacia.*

Ille

,, *Mobilis Atracia.*

Huius quoque fluminis meminit Catullus de Smyrna Cinnæ loquens eo verſu.

,, *Smyrna cauas Atracis penitus mittatur ad vndas.*

Ibidem

,, *Siue ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infra.*

Ille

,, *Seu ſupra terras Phœbus, ſeu ire.*

Ibidem.

,, *Vidit vt inferno Plutoni ſubdita regna.*

Ille

,, *Vidit*

„ *Vidit & inferno.*
Ibidem.
„ *Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis aceruos.*
Ille
„ *Purior eluſit ſubſtratos ignis aceruos.*

Quam lectionem non oſcitanter adtendendam cenſeo. Namq; poeta videtur intelligere de flamma innocua: qualem accidiſſe capiti Aſcanij tradit Virg. lib. ij. Aeneid.

„ *Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli*
„ *Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli*
„ *Lambere flamma comas: & circum tempora paſci.*

quale etiam flammæ innocuæ portentum, eodem poeta auctore, lib. vij. luſit circa caput Lauiniæ.
Ibidem
„ *Non ſolum tibi Pierij tribuentur honores.*
Ille meliore numero.
„ *Nec tibi Pierij ſolum tribuentur honores.*

Illa autem forma dicendi eſt animaduerſione digniſſima, Vbi poſt,, Non ſolum, poeta non ſubiungit,, Sed etiam: quæ verba a natura eius locutionis poſtulantur. Vſurpatur quoque ab alijs primæ notæ ſcriptoribus, & quidem cum magna ſententiæ efficacitate, & quaſi impetu, e pectore erumpentis ante expectatum vehementiæ: quando illud Non ſolum, quod dixi, ſiue Non modo, ſiue Non tantùm non ſequitur,, Sed etiam, aut Verum etiam. Verum probemus elocutionem hanc non carere exemplis aliorum quoq; excellentium ſcriptorum. Terentius Ecyra.

„ *Nam non ſunt ſola arbitrata hæ: ego quoq; idem*
„ *credidi.*

Cicero Philippica vltima.
„ *Non ne ſatis eſt, ab hominibus virtutis ignaris gra-*

,, *tiam benemerentibus non referri: etiam in eos, qui ſuas*
,, *curas in Reip. ſalute defigunt, crimen, inuidiaq; quæ-*
,, *ritur.*

Therentius Phormione.

,, *Non id ſat erat,*
,, *Accipere ab illo iniuriam: etiam argentum eſt vltro ob-*
,, *latum.*

Cornelius Tacitus lib. IV.

,, *Non adtingo Græcos: quorum non modo libertas, et iam*
,, *libido impunita.*

Cicero pro Flacco.

,, *Cum tabela vobis dabitur Iudices, non de Flacco dabi-*
,, *tur ſolum: dabitur de ducibus auctoribus, conſeruan-*
,, *dæ ciuitatis.*

Aretæus Cappadox medicus.

,, Καὶ τὰ δὲ οὐκ ἐς τὰ παρέοντα μόνον. καὶ ἐς τὰ μέλλοντα μάν-
,, τιες ἀτρεκέες.

Latine ſic.

,, *Atq; non ſolum in præſentibus dignoſcendis: etiam in*
,, *futuris acres diuinatores ſunt.*

Contra conſueuerunt etiam Latini pariter, & Græci, non præcedente apud hos οὐ μόνον, apud illos non ſolum, ſiue non modo, aut, non tantum ponere, ſed, & Ἀλλὰ Libanius.

,, οὕτος διὰ τὴν οἰκείαν τέχνην, ἄδειαν εἶχον ἀπιέναι ὅποι βού-
,, λονται, ἀλλὰ δὴ καὶ πρὸς πολεμίους.

Cicero lib. iij. ad Atticum.

,, *Hic mihi primum conſilium defuit: ſed etiam obfuit.*

Idem pro Rabirio Poſthumo.

,, *Credidit populis: in pluribus prouincijs eius verſata res*
,, *eſt: ſed etiam regibus.*

Sic etiam locuti ſunt Auctor Rhetor, ad Herennium, Cyprianus, & Petronius Arbiter, & Apuleius cum alibi, tum lib. x. Aſini aurei.

Digitized by Google

Idem ſtatuo, in hac locutione Tantum abeſt. Cic. ij. de Finibus.

,, *Tantum abeſt; vt ſe indicet: perficiet etiam, vt dolere*
,, *alterius improbe facto videatur.*

Idem lib. v. eiuſdem operis.

,, *Tantum abeſt, vt voluptates conſectentur: etiam cu-*
,, *ras, ſolicitudines, vigilias perferunt.*

Idem de Claris oratoribus.

,, *Tantum abfuit, vt inflammares noſtros animos: ſom-*
,, *num iſto loco vix tenebamus.*

Sic ſæpe apud hunc auctorem. Sed pulcher hic flos, & color dicendi non intellectus, multis typographis cauſa fuit, vt Parentheſeωn figuris, quæ dignitatem, & vim illius formæ dicendi obſcurant, & eneruant, includerent. Verum, vnde exceſſimus; ad noſtrum manu ſcriptum librum Tibulli reuertamur. Libro v. elegia v. vbi eſt in vulgatis codicibus.

,, *Optat idem iuuenis, quod nos: ſed tutius optat.*

Ille habet.

,, *Optat idem iuuenis, quod nos, ſed tectius optat.*

recte ille quidem, namq; ſequens ſtatim verſus: reddit ſecreti tectiq; voti cauſam, cum ſubdit.

,, *Nam pudet hæc illum dicere verba palam.*

PROPERTII VERSVS EMENDATVS. Pietas. Eruo. Antiqui eaſdem conſonantes non geminabant.

Cap. XIV.

Apud Propertium lib. iij. elegia xx. ad Tullum ſunt hi verſus.

,, *Nam quantum ferro, tantum pietate potentes.*

Digitized by Google

,, *Stamus, victrices temperat ira manus.*

Conſului codices multos, vniuerſorum eadem eſt repertâ ſcriptura. Neq: tamen illorum conſenſus facit, quin ego habeam in ſecundo verſu verbum illud ,, ira, ſuſpectum. Ratio meę dubitationis eſt cũ hoc ſenſu. Tantum abeſt, vt ira temperet fortis, & victoris ferociam, etiam incendit magis, hominemq: iam per ſe conſcientia virtutis, atq; gaudio victoriæ, quæ plerumque arrogans eſt, gloria inſoleſcentem, impotentiorem reddat. Tunc ſtimulo etiam iræ accedentis animus viri victoris incitatus omnem penitus humanitatem exuit, contra Pietas lenem, mitem, miſericordem, & ad condonandam noxam proniorem facit, ob has cauſas pro voce ,, ira ego illa legendum eſſe exiſtimo. Sic omnia recte, & ad conſilium poetæ, & ad naturam pietatis atq; humanitatis egregie reſpondebunt, eritq; hic ſenſus. Fortes quidem & victores ſumus Romani: tamen & pij ſumus & clementes, pietaſq; hæc, & clementia, quod vitij eſt in fortitudine, & in victoria, temperat. Corrupit autem locum imperitus aliquis: quem fefellit ignoratus mos antiquorum, non geminantium liquidas, itaq; legimus in antiquis calamo ſcriptis libris, & in marmoribus Milia, Vilicus, & alia ſimilia verba ſic ſcripta aut ſculpta pro millia, & villicus, ſic in hoc verſu Propertij fuit ,, Ila indoctus ille, qui deſcripſit, erratum eſſe exiſtimans ex Ila Ira fecit. Poni vero Pietas, Pius, & Pie pro humanitate, & humano, & humane exempla, in quibus hac ſignificatione accipiuntur, non deſunt.

Digitized by Google

A. PRO. O. NON AH, PROH, OH SCRIBEN. Padua, Locus Catulli defenſus.

Cap. XV.

NVlla dictio adſpiratione finiri debet. Sic A interiectio in veteribus calamo ſcriptis libris Virgilij ſine adſpiratione præcedente aut ſequente ſcribitur. Codices Tibuli ſcripti (de ijs loquor, quos ipſe vidi) adſpirant ante, vt in hoc verſu.

,, *Ha lapis eſt, ferrumq; ſuam quicumq puellam*
,, *Verberat.*

Igitur vel A ſcribendum eſt, ſine adſpiratione Virgilij more: vel præcedente adſpiratione, non autem ſequente. Et gramatici tradunt, adſpirationem finire verbum nullum. Eodem modo etiam O & Pro Interiectiones, non Oh, & Proh ſcribi debent. Sed ad Catullum veniamus, in cuius ſcriptis calamo libris ſi Padua eſt in eo verſu.

At Voluſi annales Paduam morientur ad ipſam, cauſam nullam video, cur quidquam illic noui quæramus, & vocem illam damnemus, nuſquam alibi auditam, quaſi verbum nullum aliud in latina linquo ſit ſingulare.

VOCES IACOBVS, IOANNES TRIVM ne ſyllabarum eſſe poſſint. Iulius, Iapetus, Iambus, Iaziges, Iaxametæ.

Cap. XVI.

INterrogatus à Franciſco Cicereo Mediolanienſi viro erudito, an in his vocibus Ioannes, & Iacobus ⁊ı. poſ-

ſit

ſit eſſe conſonans, ideſt, an ea nomina trium tantùm eſſe ſyllabarum queant, reſpondi, dubitare multos: non dubitaſſe tamen Iouianum Pontanum, qui Iacobum ſic poſuit, & quidem prima breui, quam vſurpationem vulgus quoq; ſibi vult concedi, quorum cauſam non vt tuear, ſed vt excuſem, adferam, quæ nunc in promptu ſunt poetarum in ſimilibus verbis Iulus, Iapetus, Iambus, atq; alijs, exempla.

Virg.

„ *Iulius a magno demiſſum nomen Iulo.*

Horatius contra.

„ *Iule ceratis ope Dædalea.*

Statius ad finem lib. x.

„ *Iapeton, aut victam ſupera ad conuexa leuari.*

Horat. contra.

„ *Audax Iapeti genus.*

Iambus triſyllabum pleriſq; Horat.

„ *Syllaba longa breui ſubiecta vocatur Iambus.*

Sulpicia apud Auſonium contra.

„ *Non trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem.*

Ouidius ij. Triſtium.

„ *Iaziges, & Colchi, Metereaq; turba, Getaq;*

Valerius Flaccus lib. vi.

„ *Iaxametas venatas alit.*

IVLII CAPITOLINI LOCVS DEFENSVS contra Lipſium.

Cap. XVII.

„ *PRofecti tamen ſunt paludati ambo Imperatores Parthis, & Marcomannis cuncta turbantibus: alijs etiam gentibus: quæ pulſæ à ſuperioribus fugerant, niſi reciperentur, bellum inferentibus.* Verba

Verba ſunt Iulij Capitolini in Marco Antonino, in quibus, quoniam Marcomanni à Parthis multum ſunt remoti, Iuſtus Lipſius pro Parthis legit Cattis, aut Quadis: aut

,, *Aperte Marcomannis cuncta turbantibus.*

Sed meo iudicio nihil fuit hìc tentandum. Nam Capitolinus tradit non cum vna gente tantùm, & in finitimis regionibus, ſed cum pluribus hoſtibus, & quidem, qui magno locorum interuallo vni ab alijs eſſent remotiſſimi, bella fuiſſe gerenda. Iudicij huius mei, atque ſententiæ comprobator eſt ipſe Capitolinus, qui his præcedentibus verbis ſcribit.

,, *Dum Parthorum bellum geritur, natum eſt Marco-*
,, *mannicum: quod diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum*
,, *eſt: vt finito Orientali bello Marcomannicum agi poſſet.*

Adiuuat ſententiam meam Euſebius, qui Olympi 193. ſic ſcribit.

,, *De Rhetis Vindelicis, Armenijs, & Pannonijs triumphat.*
,, *Quantum autem Armenia ab antedictis diſtant?*

QVÆDAM OBSERVATA IN VETVSTO carmine recens in Gallia reperto, & edito à Iuſto Lipſio.

Cap. XVIII.

IDem Iuſtus Lipſius publicauit carmen quoddam nuper in Gallia repertum: quod non longe abeſt, quin antiquam venuſtatem redoleat. In eo eſt hic verſus.

,, *Ver nouum, ver iam canorum: ver natus orbis eſt.*

claudicat hic verſus: & à reliquorum ibi poſitorum menſura, & norma aberrat, nec longe abeſt à ſolœciſmo. Ego eum ſic reconcinnarem.

,, *Ver*

„ *Ver nouum: ver iam canorum: ver natalis orbis eſt.*

Sic menſura hæc reliquorum menſuræ egregie reſpondet.

Aemulatur autem Virgilij verſus ij. Georg. hos.

„ *Non alios prima creſcentis origine mundi*
„ *Illuxiſſe dies, alium ve habuiſſe tenorem*
„ *Crediderim. Ver illud erat: ver magnus agebat*
„ *Orbis, & hiberni parcebant flatibus Euri.*

Ibidem de Venere idem auctor loquens.

„ *Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias,*
„ *Vnde Rhamnes, & Quirites, proq; prole poſterum*
„ *Romuli, matrem crearet, & nepotem Cæſarem.*

In tertio verſu Lipſius vocem „ Matrem in Patrem mutat, ſic legens.

„ *Romuli patrem crearet, & nepotem Cæſarem.*

additq; rationem, atq; exponit his verbis.

„ *Pater Cæſar Diuus Iulius eſt, nepos Auguſtus.*

& paulo poſt.

„ *Venus conciliatrix Romanorum Sabinarumq; nuptijs vt*
„ *ex his Rhamnes, & Quirites crearet: & in poſtera ſæ-*
„ *cla vtrumq; Cæſarem patrem cum nepote.*

Ego vero vocem Matrem omnino conſeruandam cenſeo, hiſtoria pro ſententia mea ſtrenue ſtante, & feliciter pugnante, quæ hæc eſt,

C. Iulius Cæſar ſororem habuit Iuliam, quæ nupta Attio Balbo Attiam filiam genuit. Hæc Attia ex C. Octauio Marito C. Octauium filium ſuſcepit, hunc, qui poſtea imperauit, & Auguſtus dictus eſt. Non ergo diui Iulij „ ideſt, C. Iulij Cæſaris nepos fuit Auguſtus, ſed nepos fuit Iuliæ ſororis C. Iulij Cæſaris.

Accipitur autem Nepos à Lipſio pro filio ſororis: ſed male. Conſeruetur igitur auctori ſua lectio, nec vllo modo vox „ Matrem in Patrem vertatur.

Digitized by Google

CORNELII TACITI LOCVS PERPENSVS, & defenſus. Imagines gentilium tantùm in pompis funerum adhiberi ſolitas.

Cap. XIX.

IDem Lipſius epiſtola iij. lib. IV. Epiſt. Quæſtionum, & in Notis ad Cornelium Tacitum lib. iij. ſuſpicatur vocem hanc Iuliorum vertendam eſſe in Liuiorum in his, quæ adponam, Taciti verbis initio libri iij. vbi de Druſi fratris Tiberij funere loquitur.

„ *Circumfuſas lecto Claudiorum, Iuliorumq; imagines:*
„ *defletum in foro: laudatum pro Roſtris.*

Ad quæ verba Lipſius ſic ſcribit.

„ *Druſus hic in Iuliam familiam ne adoptatus quidem*
„ *venit. Vnde ergo in pompa funebri imagines illi gentis*
„ *Iuliæ niſi forte, quia mater deducta in domum Auguſti.*
„ *Hæc, & talia de ſummo pectore dici poſſunt. At mihi*
„ *nondum euiluit coniectura mea, Liuiorum, cauſa dupli-*
„ *ci. Primum non præpoſuiſſet Claudios Iulijs Tacitus, id*
„ *nefas, deinde, cum à patre latæ imagines, cur omiſſæ à*
„ *matre? quæ præſertim antiquæ, & multæ?*

Ego mutandum nihil cenſeo his de cauſis. Primum non temere recedendum eſt à conſenſu veterum, & nouorum librorum: in quibus eſt „ Iuliorum, non Liuiorum. Deinde in ædibus Iuliorum Druſum mater Liuia edidit. Præterea quam carum honeſtumque habuerit Auguſtus eumdem Druſum viuum, & mortuum, docent inſignes collati in eum honores apud Tacitum initio libri primi, & alibi: & apud Dionem. Quorum verba adponere prohibet breuitatis ſtudium. Quid? quod ex verbis Dionis lib. LV. iuſta ſuſpicio naſcitur, eumdem Druſum in gentem Iuliam adoptione veniſſe? vt omni-

no hac de cauſa eius funus Iuliorum imaginibus honeſtari debuerit. Et quoniam græci libri Dionis in præſentia copia non eſt, adponam Xilandri interpretis tranſlationem.

Sic igitur ille.

„ *Germanicus Cæſar, & Ti. Claudius Nero filij Druſi in*
„ *honorem patris munus gladiatorium præbuerunt. Hoc*
„ *plebem memoria Druſi conſolatum eſt. Idq; etiam: quod*
„ *in dedicatione ædis Caſtoris, & Pollucis non Claudiani*
„ *modo (adoptatus enim in familiam Auguſti ſe Claudia-*
„ *num nuncupabat) ſed Druſi etiam nomen ei impoſuit.*

Hactenus de adoptione. Quod ad imagines gentis maternæ adtinet, quas Lipſius ornamentis funebrium pomparum, nullo citato ſuæ opinionis auctore adhiberi conſueuiſſe tradit, Plinius lib. xv. cap. ij. in contrariam ſententiam lectorem trahit ſic ſcribens.

„ *Expreſſi cera vultus ſingulis exponebantur armarijs,*
„ *vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera,*
„ *ſemper defuncto aliquo aderat familiæ eius, qui vnquam*
„ *fuerat, populus.*

& paulo poſt, ibidem.

„ *Exſtat Meſſallæ indignatio: quæ prohibet inſeri genti*
„ *Leuinorum alienam imaginem. Similis cauſa Meſſallæ*
„ *ſeni expreſſit volumina illa, quæ de familijs condidit.*
„ *Cum Scipionis Africani tranſiſſet atrium: vidiſſetque*
„ *adoptione teſtamentaria Solutionis (hoc enim ei fuerat*
„ *cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem*
„ *Scipionum nomini.*

Quod autem Tacitus Claudios Iulijs antepoſuit in enumeratione imaginum, non eſt, quod quiſquam miretur.

Recte facit Tacitus, qui ordinem ſecutus eſt. Namq; Druſus fuit natura primum Claudius: deinde adoptione Iulius.

Ado-

Digitized by Google

Adoptionem probant etiam verba Euſebij Olymp. CXCIIII. „ Auguſtus (inquit) Tiberium , & Agrippam in filios adoptat. & Olympiade CC. Tiberius Druſum conſortum regni fecit . Idem leges apud Suetonium in Auguſto , & Tiberio .

Quæ vniuerſa ſi Lipſius paulo adtentius perpendiſſet, nos hac admonendi neceſſitate, aut ſaltem occaſione liberaſſet .

Digitized by Google

Digitized by Google

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII LIBRI SECVNDI.

NON INTELLECTA HACTENVS aliquot epiſtolarum Ciceronis libri XVI. ad Tironem loca. Veterem lectionem ibi duobus in locis immeritò a doctis tentatam.

Cap. I.

QVANTVM interſit ad intelligendum pluribus in locis epiſtolas Ciceronis plurimas, noſſe quo tempore, vnde, & quo ſingulæ datæ ſint, dictum eſt alibi: facileq;& fortaſſe aliqua cum gratia cognoſcetur ex his, quæ dicturi nunc hìc ſumus. Epiſtolæ fere omnes libri XVI. ad Tironem agunt de Tironis valetudine; Vniuerſi autem, qui in illum librum ſcripſerunt, exiſtimant, de vno tantùm, & eodem morbo ibi, vbiq; tractari, in quem morbum incidit Tiro, decedente de prouincia Cilicia

Cice-

Digitized by Google

Cicerone. Sed res aliter habet. Namq; vniuerſæ eæ eiuſdem libri litteræ ſi non de pluribus, certe de vna & altera tractant valetudine, in quas diuerſo tempore Tiro incidit. Quod non animaduerſum, cauſa fuit docto viro Paulo Manucio multipliciter errandi in illarum litterarum explanatione. Nos de vtroq. Tironis morbo, illuſtrandi plura loca gratia, dicemus.

Vna valetudo, quæ poſterior fuit, accidit Tironi Cicerone de Cilicia decedente, quo tempore coactus eſt ille grauiter ægrotantem commendatum amicis Patris relinquere. De hac agitur in primis x. epiſtolis libri XVI, quæ ſcriptę fuerunt partim ſub finem anni eius, partim ſub initium ſequentis, pullulante iam initio belli ciuilis inter Pompeium, & Cæſarem. Altera valetudo ea eſt, de qua ſcribit in reliquis aliquot eiuſdem voluminis ſequentibus litteris, longeq; eſt alia ab ea, quam modo dixi.

Ex hac ægrotauit Tiro ante turbatam bellis ciuilibus rempublicam, acciditq; per ea tempora, quando Pompeio cum Cæſare in adminiſtratione Reipublicæ conueniebat, ipſo Pompeio ocioſo, & ab omni ſuſpicione diſcordiarum publicarum ſecuro. Id declarant verba xij. epiſtolæ dicti iam libri: quæ ex Formiano ſcripta fuit.

" *Pompeius erat apud me, cum hæc ſcriberem, hilare, & li-*
" *benter. Ei cupienti audire noſtra dixi, ſine te omnia*
" *mea muta eſſe.*

Hic laudo equidem acumen Sebaſtiani Conradi: cui puſilla quædam veri imago adfulſit, ſed per nebulam, & illuni (vt ille loquitur) nocte, itaq. aberrans ſtatim, de via deflectit, multas temporum inuerſiones inducens omnino repudiandas. Ibi etiam vocem ,, Pompeius immerentem ſuſpectam habet, proq. ea Pomponium ſubſtituit, cuius opinionem reliqui poſt eum ſunt ſecuti,

decepti

Digitized by Google

decepti vniuerſi hoc: quod crediderunt: de vna tantum Tironis valetudine Patrenſi toto eo libro a Cicerone ſcribi: non animaduertentes, poſteriores eius libri epiſtolas prioribus eiuſdem libri epiſtolis tempore ſcribendi antecedere: ſcilicet datas, quando Tiro Romæ, adhuc ſeruus ægrotabat, Cicerone in villis ſuis ruſticante: priores autem longo tempore poſt ſcriptas fuiſſe a Cicerone decedente de Cilicia in nauigatione & via partim, partim cum in Italia, & cum ad vrbem eſſet. Tirone pridem libertate donato, & tunc Patris ex febri cubante. Tantum vero abeſt, vt Tiro per ea tempora in Italiam venerit, vt eodem morbo preſſus etiam Patris eſſet eo tempore: quando ardente ciuili bello Pompeius relicta vrbe, & Italia Dyrrhachium copias omnes traieciſſet, Cicerone hoc teſtante epiſtola libri noni xx. ad Atticum, quæ incipit. Trebatium vi. Kalen. & lib. eiuſdem operis x. epiſtola quarta, quæ incipit. Multas a te accepi epiſtolas.

Hæc omnia non animaduerſa, vt debuit, occaſionem præbuerunt Paulo Manucio, atq; alijs grauium errorum. Nam præter quam quod Paulus putat, ſemel tantùm ægrotaſſe Tironem (de morbis intelligo, de quibus ibi loquitur Cicero) & omnibus illis epiſtolis de ea vna Patrenſi valetudine ſcriptas cenſet, etiam iudicauit (& habet ibi riuales non paucos) Tironem Cicerone tenente prouinciam Ciliciam, & ægrotantem Patris ſeruum adhuc fuiſſe.

In medicis etiam, qui ægrotanti Tironi adfuerunt, æſtuant ijdem, & hærent, vt clarum faciemus. Sed prius de ſtatu, & de priore valetudine Tironis probemus ea, quæ diximus exemplis ex eodem libro Ciceronis xvi. allatis. Illic igitur epiſtola xij. ſic ſcribit.

„ Ego vero cupio te ad me venire, ſed viam timeo, gra-
„ uiter ægrotaſti.

paulo

Digitized by Google

paulo poſt ibidem.
,, Iam ad id triduum, quod fueris in via, dum in Cuma-
,, num venis, accedent continuo ad reditum dies quin-
,, q; Ego in Formiano a d. iij. kalen. Ianuarias eſſe volo
,, ibi te vt firmum offendam, mi Tiro effice.
,, Litterulæ meæ, ſiue noſtræ tui deſiderio oblanguerunt.
,, Hac tamen epiſtola, quam Acaſtus adtulit, oculos pau-
,, lulum ſuſtulerunt. Pompeius erat apud me, cum hæc
,, ſcribebam hilare, & libenter. Ei cupienti audire,
,, noſtra dixi, omnia mea ſine te muta eſſe.
,, Tu muſis noſtris para, vt operas reddas. Noſtra ad
,, diem dictam fient, docui enim te, fides etymon, quod
,, haberet. Fac plane, vt valeas. Nos ad ſummum. Va-
,, le. xiij. kalen. Ianuarij.
Epiſtola xiij. ad eumdem Tironem tota huc eſt aduo-
canda.
,, Ægypta ad me venit pridie idus Aprilis. Is, & ſi mihi
,, nunciauit, te plane febri carere, & belle habere, ta-
,, men, quod negauit, te potuiſſe ad me ſcribere, cu-
,, ram mihi attulit: & eo magis, quod Hermia, quem
,, eodem die venire oportuerat, non venerat. Incre-
,, dibili ſum ſolicitudine de tua valetudine, qua me ſi
,, liberaris, ego te omni cura liberabo. Ingenium
,, tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi
,, tibiq; conſeruandum. Cura te etiam atq; etiam dili-
,, genter. Vale.
,, Scripta iam epiſtola Hermia venit. Accepi tuam epiſto-
,, lam vacillantibus litterulis, nec mirum, tam graui
,, morbo, Ego ad te Aegyptam miſi: quod nec inhuma-
,, nus eſt; & te mihi viſus eſt diligere; vt tecum eſſet; &
,, cum eo cocum, quo vterere, iterum vale.
Epiſtola xiv.
,, Dies promiſſorum adeſt; quem etiam repræſentabo, ſi
,, adueneris. Etiam atq; etiam vale, iij. idus Aprilis.

Quod

Quod ſequitur, initium eſt epiſtolæ Qu. Ciceronis ad M. fratrem.

,, De Tirone mi Marce, ita te, meumq; Ciceronem, &
,, meam Tulliolam, tuumq; filium videam, vt mihi gra-
,, tiſſimum feciſti: cum eum indignum illa fortuna no-
,, bis amicum, quam ſeruum eſſe maluiſti.

Ex his omnibus teſtimonijs allatis liquido apparet, non Patrenſem valetudinem intelligi, ſed vrbanam Patrenſi priorem. Apparet ſtatus Tironis: Apparet, inquam, ſeruum eo tempore fuiſſe. Apparet priores IX. litteras multo, poſt poſteriores tempore ſcriptas fuiſſe.

Ex his, quæ de valetudine Tironis vrbana, & Patrenſi ſunt diſputata, duo alij tolluntur errores eorundem: qui ſatagunt de Medico, & Mumio ad hæc verba XIV. epiſtolæ libri iam dicti XVI.

,, *Medico, mercedis quod poſset, promitti iubeto. Id ſcripſi*
,, *ad Mumium.*

Priorem errorem genuit præcepta opinio de vna tantùm Patrenſi valetudine, putant enim intelligi hìc Aſclaponem Patrenſem medicum, falſo. Nam vrbanus medicus intelligendus eſt hic non nominatus: qui Romæ ægrotanti Tironi adfuit, quod etiam ex eo apparet: quod Aſclaponi pecunia iuſſa erat dari, quod eſt in epiſtolis VI. & IX. Huic vero non nominato promitti, non dari. Manij etiam prænomen, qui eſt alius error, non ſubſtituendum fuit pro Mumio, ſiue Vmmio, ſiue quo alio modo ſcriptum ibi reperiatur, cur? quia hìc de vrbano medico, & morbo agitur, non Patrenſi: qua in vrbe degebat Manius, non Romæ. Hæc hactenus. Qui vero M. Tullius apparuerit ſcriba Ciceroni in prouincia Cilicia (nam hìc quoq; interprætes ſoliciti ſunt) facilius eſt dicere, qui non apparuerit. Tironem hominem ſtudijs ſuis adcommodiſſimum non occupaſſet Ci-

cero apparitione moleſtiarum pleniſſima. Philotimus Romæ fuit. Plura teſtimonia poſſunt adferri, ſed contentus vno reliquis ſuperſedebo. Cœlius lib. viij. epiſt. tertia ſic ſcribit.

„ *Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis adtinet, dedimus operam: vt & Philotimus quam honeſtiſſime Miloni abſenti, eiuſq; neceſſarijs ſatisfaceret: & ſecundum eius fidem, & ſedulitatem exiſtimatio tua conſeruaretur.*

M. Tullium Lauream cenſet Paulus Manucius, ſed illum in eo comitatu fuiſſe, non memini vſquam legere.

De ſcriba Tullio mentio eſt in epiſtola iv. libri v. epiſtolarum ad Atticum: quam in prouinciam proficiſcens Beneuento dedit.

„ *Ac binas quidem tuas Beneuenti accepi, quarum alteras Feſſulanus multo mane mihi dedit: alteras ſcriba Tullius.*

PIE QVID SIGNIFICET IN ORATIONE pro Cluentio. Sincerus. Suſpectus locus in Epiſt. Familiar.

Cap. II.

„ *Erat huic inimicus Oppianicus: erat, ſed tamen erat vitricus, crudelis, & huic infeſta mater: attamen mater, poſtremo nihil tamen remotum ab accuſatione, quam Cluentius, & natura, & voluntate, & inſtituta ratione vitæ. Sed cum eſſet hæc illi propoſita conditio, vt aut iuſte, pieq; accuſaret, aut acerbe, indigneq; moreretur, accuſare quoquo modo poſſet, quam illo modo emori maluit.*

Pro-

Propoſui hæc verba ex Ciceronis pro Cluentio oratione: vt acuti iudicij homines conſiderent, quo ſenſu vox illa „ Pie, de qua locuti ſumus etiam capite XIV. libri ſuperioris, ſit accipienda in cauſa ancipiti: vbi aliud pietatis, aliud ſalutis ratio ſuaderet. Ego pie expono parce, molliter, leniter remiſſe, placate, mitiſſime: hoc ſenſu. Capitis periculum accuſationem, & in accuſando acrimoniam: pietas in matrem ab accuſando deterret, & lenitatem ſuadet, tamen quoquo modo accuſare potius, quam acerbe, indigneq; mori maluit. Sic ab ſedata, & temperata ex neceſſitate, & pietate accuſatione atq; oratione, homines facile intellecturos iudicaturoſq; non animo in matrem inimico ſed conſeruandæ vitæ gratia, quam natura vniuerſo animantium generi commendat, coactum ad accuſandum deſcendiſſe. Aut pro pie impie eſt legendum ſed propono hoc, non ſtatuo. Nam quod Paulus Manucius exponit.

„ *Erga ſe ipſum, eſt enim pietas a ſe ipſo mortem depellere.* vix probare eum puto poſſe interpretationem iſtam ſuam ijs, qui ſciunt, Pietatem foras, tamquam partem Iuſtitiæ reſpicere: quam ſapientes magiſtri ideo bonum eſſe alienum ſcite dixerunt.

Lib. xiij. epiſt. Familiar. epiſt. LI. locus hic ſuſpectus eſt.

„ ***Vt M. Curium ſartum, & tectum, vt aiunt, ab omni in-***
„ ***commodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrumq;***
„ ***conſerues.***

Verba illa „ ſincerum integrumq; gloſſema fuiſſe puto in illa verba ſartum, & tectum, quod poſtea ex ora libri in ordinem opera parum diligentis, & fortaſſe parum intelligentis librarij venerit. Feſtus Pompeius auctor eſt, ſartum integrum ſignificare, vt non neceſſarium fuerit (quod prouerbio dicitur) Nauſon Nau-

Digitized by Google

crati. Præterea verbum ſincerum eſt ad fidei, ſancti-tatis, & omnino ad animi integritatem, quam ad fortunas adcomodatius.

NON OMNES VNIVS MVNICIPII, aut Coloniæ, &c. ciues, ciuitatem Romanam adepti in vna, & eadem tribu Romæ ſuffragium ferebant.

Cap. III.

CArolus Sigonius, vir de vniuerſis litteris optime meritus lib. iij. cap. iij. de antiquo iure Italiæ ingenuè pro ſua natura, & more fatetur, non adfirmare poſſe ſe, in qua tribu Romæ quæq; aut Colonia, aut Municipium, aut Præfectura, aut Fœderata ciuitas poſt Romanam ciuitatem impetratam ſuffragium tulerit. Ego virum vniuerſæ antiquitatis ſcientiſſimum ſapienter dubitare puto. Addo hoc amplius de meo: iudicare me, non vniuerſos ciues vnius Coloniæ, aut Municipij, aut Præfecturæ, aut Fœderatæ ciuitatis in vna, & eadem tribu, ſed ſingulos in ea tribu cenſos fuiſſe & ſuffragium tuliſſe, quam quiſq; arbitratu ſuo delegiſſet: vel quæ initio ciuitatis adeptæ ſingulis eſſet adſignata. In hanc opinionem adducor verbis Ciceronis ex epiſtola quinquageſima libri xiij. epiſtolarum familiarium, vt vocant.

,, *L. Cuſtidius eſt tribulis, & municeps, & familiaris*
,, *meus.*

Si enim vniuerſi vnius Municipij &c. ciues in vnam, & eamdem tribum conicicbantur, quid attinuit tribulem eum ſuum appellare, qui eſſet Municeps ſuus?

Præ-

Digitized by Google

Præterea opinionem hanc meam; ſiue libet ſuſpicionem appellare, adiuuant inſcriptiones antiquorum lapidum: qui ſunt Albæ Pompeiæ, & Haſtæ, qui lapides diuerſas tribus, eiuſdem Coloniæ aut Municipij ciuibus adtribuunt.

Haſtæ igitur ſunt lapides hi, quorum plures mea commendatione, & opera a tenebris, & ab ignoratione vindicati nuper inuenti ſunt in ſepulcreto ædis Maximæ, effoſſa in altitudinem, amplius pedum x. terra, cum ingentibus, ſed in plures partes fractis egregij veraſicoloriſq; marmoris columnis. Ex quibus, quod ad præſens argumentum faciat, ſubſidium petam ad probandum, quod propoſitum eſt.

Haſtæ

crati. Præterea verbum ſincerum eſt ad fidei, ſanctitatis, & omnino ad animi integritatem, quam ad fortunas adcomodatius.

NON OMNES VNIVS MVNICIPII, aut Coloniæ, &c. ciues, ciuitatem Romanam adepti in vna, & eadem tribu Romæ ſuffragium ferebant.

Cap. III.

CArolus Sigonius, vir de vniuerſis litteris optime meritus lib. iij. cap. iij. de antiquo iure Italiæ ingenuè pro ſua natura, & more fatetur, non adfirmare poſſe ſe, in qua tribu Romæ quæq: aut Colonia, aut Municipium, aut Præfectura, aut Fœderata ciuitas poſt Romanam ciuitatem impetratam ſuffragium tulerit. Ego virum vniuerſæ antiquitatis ſcientiſſimum ſapienter dubitare puto. Addo hoc amplius de meo: iudicare me, non vniuerſos ciues vnius Coloniæ, aut Municipij, aut Præfecturæ, aut Fœderatæ ciuitatis in vna, & eadem tribu, ſed ſingulos in ea tribu cenſos fuiſſe & ſuffragium tuliſſe, quam quiſq; arbitratu ſuo delegiſſet: vel quæ initio ciuitatis adeptæ ſingulis eſſet adſignata. In hanc opinionem adducor verbis Ciceronis ex epiſtola quinquageſima libri xiij. epiſtolarum familiarium, vt vocant.

„ *L. Cuſtidius eſt tribulis, & municeps, & familiaris*
„ *meus.*

Si enim vniuerſi vnius Municipij &c. ciues in vnam, & eamdem tribum coniciebantur, quid attinuit tribulem eum ſuum appellare, qui eſſet Municeps ſuus?

Præ-

Præterea opinionem hanc meam; ſiue libet ſuſpicionem appellare, adiuuant inſcriptiones antiquorum lapidum: qui ſunt Albæ Pompeiæ, & Haſtæ, qui lapides diuerſas tribus, eiuſdem Coloniæ aut Municipij ciuibus adtribuunt.

Haſtæ igitur ſunt lapides hi, quorum plures mea commendatione, & opera a tenebris, & ab ignoratione vindicati nuper inuenti ſunt in ſepulcreto ædis Maximæ, effoſſa in altitudinem, amplius pedum x. terra, cum ingentibus, ſed in plures partes fractis egregij verſicoloriſq; marmoris columnis. Ex quibus, quod ad præſens argumentum faciat, ſubſidium petam ad probandum, quod propoſitum eſt.

Haſtæ

Haſtæ effoſſum haud ita pridem in ædibus Virginum Orbarum.

P. VERGILIO. P. F. P. N. POL
LAVREAE. AED. II. VIR. I. D. PRAEF. FABR
IVDICII. DE. IIII. DECVRIIS. EQVITI
SELECTORVM. PVBLICIIS. PRIVATISQ
PRAEF. DRVSI. CAESARIS. GERMAN. II. VIR. QVINQ
P. VERGILIO. P. F. P. N. POL. PAVLLINO
EQVO. PVBLICO IVDICI. DE. IIII. DECV
PRAEF. FABRVM. PRAEF. CHORTIS. II. DECV
........IORVM. EXERCITVS.........
....

In ædibus Maſtiolarum.

....
CONCORDIAE
COLL. FAB. HASTENS FAB
M. VETTIVS SECVNDVS
IN. MEMORIAM
VETTIAE. CIVITATIS. SORORI

In

In hortis ædium, quæ conditæ olim a Magno Iacobo Triultio, nunc nobilis familiæ Aſinorum. Poſtea tranſlatum haud ita pridem Taurinum vecordia eorum: qui prohibere cum poſſent, debuerunt: eſt nunc in ædibus Puteorum Taurini.

T. ARRIO. T. F. TRO. TERTIO
ANN. XXI
MVCIA. T. F. MODESTA
MATER. V. F
SIBI. ET. T. ARRIO. M. F. VIRO
INVIDA. FLORENTEM. RAPVERVNT
FATA. IVENTA
NEC. LIQVID. MISERO. ME SVPER
ESSE. MEIS
FLEVIT. PRAESENTEM. MATER
FLEVERE, SODALES
ET. MATER. TEPIDO. CONDEDIT
OSSA. ROGO
QVAE. PRIVS. HOC. TITVLO
DEBVIT IPSA. LEGI
IN AGRO P XX. IN FRONTE. P XX

In

In ædibus Mattiolarum.

P. LAETILIVS. P. L. PAL. HILARVS. SPVRI
MAGISTER. MINERVALIS
NAEVIA. Ↄ. L CLVSIA. C. L
ALMYRIS TOPIA

Ecce quatuor in his monimentis Haſtæ Coloniæ (coloniam enim Ptolomæus, & Sempronius vocant) diuerſæ tribus Pollia, Fabia, Tromentina, & Palatina ſatis indicant, non vniuerſos vnius Coloniæ, & Municipij, ciues in vnam tribum fuiſſe coniectos.

Albæ quoq; Pompeiæ, in Cœnobio Diui Dominici Polliæ, extra vrbem in ædicula D. Frontalionis: & in vrbe in Cœnobio Monacharum D. Magdalenæ Camillæ, & quidem ter repetitæ tribus eſt mentio. Quorum trium lapidum inſcriptiones idem, quod diximus, probant.

Sic autem habent.

Q. CARRINAS. C. F
POL. PRIMI. PILI
AED. ✱✱. VIR.

In Diuæ Magdalenæ.

M. GEMINIVS. L. F.
CAM. VETERAN
SIBI. ET. L. GEMI
NIO. L. F. CAM
MANCIAE. PATRI
VIBIE. Q. F. SECVD
MATRI

In Diui Frontalionis.

C. FABRICIVS. L. F
CAM. AED. SIBI. ET
M. FABRICIO. L. F CAM
LIGVRI. FRATRI. AED. T. F. I
PHILETVS. ET. FVSCVS. L. F. C

Libet adponere etiam ad rem faciens lapidis epigramma, qui eſt in arce Pollentiæ ad iij. ab Alba Pompeia lapidem. Fuit olim inſigne oppidum Pollentia: nunc caſtellum eſt puſillum cum titulo tamen Comitatus.

SEX. LIVIO

C. F. CAM. SENECAE

IIIIII VIRO

M. LIVIVS. C. F.

CAM. FRATER

IIIIII VIR

FAC. CVR

Brixiæ quoq; in patria mea, mihi ſemper cum egregia & debita præſcriptione nominanda ſunt marmora; quorum aliqua Tribum Fabiam, aliqua Publiliam ciuibus Brixianis adtribuunt. Inſcriptio, quæ Fabiam habet, refertur a Sigonio, quæ Publiliam laudat, etiam eſt in libro Appiani ſic.

P. CLO.

Digitized by Google

P.CLODIVS.L.F.
PVB
NIGER
D.D

IN EODEM APPIANI LIBRO.

Apud Petrinum Sinueſſanum.

L. PAPIVS. L. F. TER
POLLIO. II. VIR. L. PAPIO
L. F. FAL. PATRI

Vbi patri, & filio duæ diuerſæ tribus adſignatæ ſunt Terentina, & Falerina.

Digitized by Google

LOGEVM: SCRIBENDO ADFVERVNT
Si vales, bene eſt. Kalendæ primæ.

Cap. IV.

Libro Ep. Fam. V. in epiſtola ad Rufum ſunt hæc verba.

,, *Nam de Luceio ita eſt actum.*

Ioſephus Scaliger ad Catulli epigramma in Mamurram legit ,, *Lucello.*

Temere facere tantùm virum ne ſuſpicor quidem, conſiderandum tamen eſt, an locum hunc, & vocem ipſam aliquid iuuet Modeſtinus iure conſultus; qui tradit rationes ciuitatum appellari λόγια.

Lib. viij. epiſtola viij. legitur ,, *ſcribendo adfuerunt*, qui loquendi modus ſignificat, teſtes fuerunt. Lampridius in Heliogabalo.

,, *Quæ* (mater) *cum veniſſet ad conſules, ſcribendo adfuit.*
,, *ideſt, Senatus conſulti faciendi teſtis.*

Idem ſcriptor interdum dicit, Ad ſcribendum. Ioſephus lib. xiij. Antiquitatum ,, *Præſente L. Manlio.* & lib. xiiij. ,, *Præſente L. Coponio.*

Scribebant autem Senatus conſulta illi ipſi, qui ſcribendo adeſſent.

Itaq; Cicero ad Catonem lib. xv. Epiſt. Familiar, ſic ſcribit.

,, *Reſq. ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſuplica-*
,, *tionis fuiſſe iucundum, quod ſcribendo adfuiſti. Hæc*
,, *enim Senatus conſulta non ignoro ab amiciſſimis eius,*
,, *cuius de bonore agitur, ſcribi ſolere.*

Lib. v. eiuſdem operis, epiſt. xiv. cur vſurpat formulam hanc? ,, *Si vales bene eſt,* quæ ſolemnis fuit ijs,

qui

qui vel ipſi, qui ſcribunt, vel ij, ad quos dantur litteræ, eſſent ſimul, cum imperio, & poteſtate, aut cum poteſtate ſolum? cum neuter magiſtratum, honorem ve vllum gereret? ſoluit dubitationem hanc Plinius Iunior lib. 1. epiſtola ad Fabium, quæ incipit ſic.

„ *Olim nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt inquis, quod*
„ *ſcribam. At hoc ipſum ſcribe. Nihil eſſe, quod ſcribas. Vel ſolùm id, vnde incipere priores ſolebant.*
„ „. *Si vales bene eſt: ego valeo.*

Quod Plinij teſtimonium probat, priuatos etiam conſueuiſſe formulam illam epiſtolis ſuis ante ponere.

EXPOSITVS COELII EPISTOLAE ad Ciceronem locus. Nonius emendatus.

Cap. V.

IN vltima epiſtola Cœlij lib. viij. ad Ciceronem ſunt verba ita diſtinguenda, vt nos nunc facimus, nam antea male.

„ *Tu porro, cum ad te, proficiſcens noctu Ariminum, veniſſem, dum mihi pacis mandata das ad Cæſarem, & mirificum ciuem agis, amici officium neglexiſti, neq; mihi conſuluiſti:*

Profectus eſt Ariminum Cœlius vna cum alijs fautoribus cauſæ Cæſaris. In eo itinere Coelius ad Ciceronem, qui Capuæ, atq; oræ maritimæ præerat, deuertit. Acceſſit quidem, & Cicero Ariminum: ſed multo poſt ad Cæſarem Iuniorem: vt eſt apud Nonium in verbo Rogare, ſic.

„ *Rogare quærere, & ſciſcitari. M. Tullius ad Cæſarem Iuniorem lib. 1. Roga ipſum: quemadmodum ego eam*

„ *Ari-*

,, *Arimini acceperim.*

Quæ verba ſunt etiam in voce ,, *Accipere*, apud eumdem Nonium, quanquam ibi pro Arimini corrupte legitur ,, *Armis*. Sed hìc auctor eget multa ope, in quam curam incumbit Fabius Bellonus iuuenis non ſpei, ſed meſſis vberrimæ, qui nondum declaratus I.C. iuris interpræs merito virtutum ab excellentiſs. Senatu Mediolanienſi, Ticini eſt conſtitutus. Vbi in nobili auditorum frequentia docet cum legum maieſtate, & grauitate, linguæ Latinæ Græcæq; ſplendorem pridem a libris iuris peritorum exſulantem coniungere.

DE LIBERTORVM NOMINIBVS

Declaratus locus epiſtolarum Familiar. lib. xiij.

Cap. VI.

SI Mithres, libertus Poſthumij fuit, cur libertatem conſecutus Prænomen, & Nomen alterius nempe C. Curtij adſciuit ſibi? Liberti enim Prænomina & Nomina patronorum ſimul cum libertate referebant plerumq; An Mithres Poſthumij libertus principio cum libertate habuit nomina patroni? poſtea hæres a C. Curtio inſtitutus cum condicione, vt nomen mutaret (plerumq. enim id iubebant, qui alienum hæredem inſtituebant: vt eſt in epiſtola viij. lib. vij. ad Atticum his verbis:

,, *Dolabellam video Liuiæ teſtamento cum duobus cohæredibus eſſe in trienſe: ſed iuberi mutare nomen.*)

relictis patroni nominibus Prænomen, & nomen C. Curtij, in cuius hæreditatem veniſſet, accepit? An C. Curtius poſt datam Mithræ libertatem tranſiuit in gentem

Digitized by Google

ſem Poſthumiam adoptione, aut adrogatione, aut hæreditate iuſſus nomen mutaret?

An Mithres Poſthumij ſeruus commendatione, & ſtudio C. Curtij libertatem a domino conſecutus Prænomen, & Nomen commendantis accepit? Interdum enim ſerui facti liberi nomina eorum ſumebant, per quos eſſent libertatem adepti. Harum vnam, aut aliam ſi qua ſit his ſimilis, ſi admittimus cauſam, nulla opus erit mutatione nominis Poſthumij in cognomen Poſthumi, quod putauit Paulus Manucius. Atq; hæc noſtra diſputatio, atq: expoſitio opportuna erit ad aliquot alia etiam harum epiſtolarum ſimilia loca.

PVDOR INVTILIS.

Cap. VII.

Planci ad Ciceronem hæc ſunt verba x. lib. epiſt. xxiij.

,, *Pudor me, qui in bello maxime eſt periculoſus, hunc ca-*
,, *ſum coegit ſubire, verebar enim, ne cui obtrectatorum*
,, *viderer, & nimium pertinaciter Lepido offenſus: &*
,, *mea patientia alere bellum.*

Pudor hic Planci Græcis δυσωπία dicitur, quæ non tantùm eſt inutilis, ſed plerumq; damnoſa. Legatur lib. 1. Officiorum Cicero: vbi de iactura opinionis, & gloriæ facienda interdum, cùm rationes reipublicæ poſcunt, facienda diſputat. Adfertq; exempla Callicratidis, & Cleombroti, quorum temeritate factum eſt, vt Lacedæmoniorum imperium graues plagas acceperit: dum ambo verentes, ne timidi cenſerentur, maluerunt iniquo loco ſe tenere, & cum paratioribus pugnare: quam parendo ſapienter monentibus locum mutare: & prælij con-

conſerendi occaſionem in opportunius tempus reicere: & neceſſario tempore facere puſillam iacturam priuatæ exiſtimationis, maximo reipublicæ ſuæ emolumento illam fortaſſe paulo poſt redempturi. At non ſic Cunctator Fabius, ab Ennio iure laudatus, qui ſolidam gloriam non in vulgi opinione, & prædicatione, ſed in ſapientia, & patriæ incolumitate locabat.

,, *Non ponebat enim rumores ante ſalutem*.

Legatur etiam Plutarchi Libellus de hac inutili verecundia.

IN EPISTOLAM I. LIB. I. epiſtolarum ad Atticum. Frater modis accipi poteſt pluribus.

Cap. VIII.

,, CAecilius auunculus tuus a P. Vario cum magna pe-
,, cunia fraudaretur, agere cœpit cum eius fratre
,, Caninio Satiro.

Verba ſunt Ciceronis ex prima libri primi ad Atticum epiſtola, in quibus quæri poteſt, quomodo Caninius Satirus fuerit P. Vario frater; qui gente fuerunt diuerſa: hic Varia, ille Caninia. Verùm ſic ſolui, & expediri dubitatio poteſt.

Aut germani quidem ambo fratres fuerunt: ſed alter tranſierit in nomen, & gentem aliam vel adoptione, vel adrogatione, vel hæreditate cum condicione: vt nomen mutaret in nomen adoptantis, aut adrogantis, aut inſtituentis hæredem.

Aut fratres uterini fuere tantùm, matre diuortio, aut poſt obitum prioris mariti alteri diuerſæ gentis nupta.

Aut ex ſororibus, vel fratre, & ſorore patrueles fuerũt.

CICERONIS LOCVS IN *Oratore perpenſus.*

Cap. IX.

,, *EX vſu dicunt, & e republica: quod in altero voca-*
,, *lis excipiebat: in altero eſſet aſperitas, niſi x. lit-*
,, *teram ſuſtuliſſes, vt Exegit, Edixit, Effecit, Extulit,*
,, *Edidit.*

Verba ſunt Ciceronis in Oratore, in quibus ego exiſtimo abundare vocem illam *Effecit*, adductus ratione hac. Cicero hic habet ſermonem de oratione, in qua x. vel ſeruatur, vel tollitur. Exegit, & Extulit x. ſeruant at Edixit, & Edidit amittunt. In voce Effecit neutrum coniungit, ſed mutatur. Hæc eſt cauſa, quamobrem verbum illud expungendum cenſeam.

Obſerua præterea, Ciceronem ſtatuere, Edico, & Edo, aliaq; horum ſimilia non ex E. ſed Ex prępoſitione componi.

Sequitur ſtatim locus alter fortaſſe corruptus, certe obſcurus.

,, *Adiuncti verbi primam litteram præpoſitio commutauit,*
,, *vt ſuffugit, ſummutauit, ſuſtulit. Quid in verbis iun-*
,, *ctis.*

Maioragius legebat, Adiuncti verbi prima littera præpoſitionem mutauit.

Sed tam audax tot verborum mutatio non placet Paulo Manucio, qui ſic legit, diuiſa prima dictione compoſita in duas ſimplices; ſic.

,, *Ad iuncti primam litteram præpoſitio commutauit.*
exponitq; ,, *commutauit*, *commutata eſt*, quemadmodum legimus, apud Virgilium.

„ *Nox humida cælo Præcipitat, pro præcipitatur.*
Sed nec ipſe duabus de cauſis ſatisfacit. Prior eſt. Si de huiuſmodi iunctis verbis intelligeret Cicero, quorſum ſtatim ſubdidiſſet, Quid in verbis iunctis.

Altera ſententia non procederet, nam ſi intelligi vult, nihil aliud ſignificare, Præpoſitionem commutatam ad primam litteram verbi iuncti, niſi in primam verbi iuncti litteram tranſire, ideſt, ſi prima littera verbi ſit M, etiam vltimam litteram præpoſitionis fieri M, quid fiet verbo „ *Suſtulit*? quod verbum eſt in exemplo Ciceronis: in quo B. in S. non in T. eſt commutatum. Itaq; ſuſpicari aliquis iure poſſit, vocem „ *Suſtulit* omnino eſſe delendam, quippeque huc ſe librariorum incuria intruſerit. Sed quemadmodum nonnulli medici interdum [bene ne, an male videant ipſi] in corpore ægrotantis humores tantùm excitant, & commouent, non diſcutiunt, & eiciunt: ſic ego hic admoneo tantùm, aut etiam conſulo: non cenſeo aut ſtatuo.

DVOS GERMANOS FRATRES *eodem Prænomine.*

Cap. X.

EXiſtimant viri docti, Q. Cæcilium Metellum Nepotem, & Q. Cæcilium Metellum Celerem fratres germanos non fuiſſe: quoniam vterq; eodem Prænomine fuit. Non temere cenſere eos iudico. Eſt tamen in Haſta Colonia in pauimento maximi ſacelli templi D. Secundi ad forum, antiqua tabula marmorea cum hac inſcriptione.

C.

C. FVLVIVS. C. L. TARCVSSA
PATER
C. C. FVLVII. FIDELIS. ET.
PACATVS. FILII
FVLVIA . C. L. EPICHARIS
MATER

Quid de Flauijs dicemus? quorum non modo pater Veſpaſianus, & duo filij Titus, & Domitianus, ſed etiam Veſpaſiani pater, & auus: frater quoq; cum filijs Prænomine Titi vniuerſi fuerunt nominati. Verùm iam ea tempeſtate mores, & litteræ ab antiqua puritate recedebant.

PRIDIE KALEN. IANVARII
Conſul prope priuatus erat.
Annuus magiſtratus.

Cap. XI.

CIceronis lib.v. ad Metellum epiſt. ſecunda ſunt hæc verba.

,, *Atq; ille, quod te audiuiſſe certo ſcio, pridie Kalen. Ianuarias, qua iniuria nemo vnquam in aliquo magiſtra-*

,, *tu improbiſſimus ciuis adfectus eſt, ea me conſulem*
,, *adfecit, cum rempub. conſeruaſſem, atq; abeuntem*
,, *magiſtratu concionis habendæ poteſtate priuauit.*

Qua ſpecie iuris Metellus ſibi licere exiſtimauit in conſulem tantam iniuriam audere? ſuſpicor (fieri poteſt, vt fallar) diem pridie Kalen. Ianuarias, ideſt vltimum conſulatus diem fuiſſe tamquam vacuitatem conſulatus, & quaſi interregnum, vt Cicero eo die fuerit prope priuatus, & quaſi [vt ſic dicam] ſine conſulatu conſul. Propterea Metellus Tribunus plebis iudicauit, minore inuidia ſibi licere eo die iniuriam cum ignominia Ciceroni imponere. Alioqui tam inſignem in maximum magiſtratum audaciam, tacitam a Senatu populoq; Romano ferre non debuit. Suborta eſt autem mihi ſuſpicio hæc ex verbis Digeſtorum, quæ apponam.

,, *Lex 6 ff. de ferijs.*
,, *Vlpianus lib. lxij. ad edictum.*
,, *Pridie Kalen. Ianuarias magiſtratus nec ius dicere, ſed*
,, *nec ſui poteſtatem facere conſueuerunt.*

Mos porro iurandi in concione pridie Kalen. Ianuarij tranſiuit ſublata libertate ad Imperatores. Dicis videlicet gratia. Quo Plinius Iunior reſpiciens in Panegyrico ad Traianum inquit.

,, *Itaq; abiturus conſulatu iuraſti, te nihil contra leges fe-*
,, *ciſſe.*

occaſionem huius obſeruationis dedit mihi Octauianus Giglijnus patricius Alexandrinus I.C. excellentiſs. meæ diſciplinæ gratiſſimus Alumnus.

FESTI

FESTI LOCVS ADIVTVS.

Cap. XII.

MIratur vir doctus, cur Feſtus faciens verba de ſeptem montibus Romæ enumeret octo his verbis.
,, *Septimontio, vt ait Antiſtius Labeo, hiſce montibus*
,, *feriæ. Palatio cui ſacrificium, quod fit, Palatuar*
,, *dicitur. Veliæ: cui item ſacrificium. Fagutali, Sa-*
,, *buræ, Germalo, Oppio, Cœlio monti, Ciſpio monti.*
Locus eſt omnino corruptus, totum tentare ſine ope veteris alicuius melioris libri inſanire eſt. Sed quod attinet ad numerum montium, conſtabit ille; ſi vbi ſcriptum eſt *Veliæ, cui item ſacrificium, Fagutali, Saburræ* & reliq: ſic legamus.
,, *Veliæ, cui item ſacrificium Fagutal.*

Recte. Nam vt Palatio Palatuar ſacrificium fuit, ſic Fagutal Veliæ, quam rem alibi etiam idem Feſtus tradit. Varroni quoq; lib. IV. eſt Sacellum ſiue locus Iouis Fagutalis: vbi ſacrificium fiebat, Fagutal. Auſim etiam, in ijſdem verbis Feſti, vbi legitur *Veliæ cui item*
,, *ſacrificium Fagutal*, tollere vocem *Veliæ*: & reponere,
,, *Eſquiliæ*. Fuit enim Fagutal in Eſquilijs auctore
,, P. Victore, & Varrone lib. IV. Non me latet Marlianum lib. V. cap. XIX. ſcribere, Sacrificium nomine Fagutal fieri ſolitum eſſe in Viminali. Sed idem Marlianus eodem capite dixerat, *Viminalem a Varrone inter Eſ-*
,, *quilias connumerari.*

Digitized by Google

STATIVS PRÆNOMEN, INTERDVM Nomen, & Cognomen. Volcatij Sedigiti verſus emendatus.

Cap. XIII.

STatius modo Prænomen, modo Nomen, modo Cognomen fuit. Prænominis teſtimonium exſtat Aquis Statiellis in antiquo marmore ædium Iuliani Eccleſiæ.

L. METTIO. L. F
L. ATTIO. ST. F. RVBRIA
VARIENO. C. F. SECVDA
FILIO. VIRO. SIBI. V. F

Taurini

Digitized by Google

Taurini, in turre templi Antoniani Sancti Delmatij.

T. AEBVTIVS
SECVNDVS
SIBI. ET
ST. AEBVTIO
OPTATO. PATRON
ST. AEBVTIO. SEC
P. C

Ibidem in ædibus Hieronymi Agathiæ.

DOMITIO. M. F
ST. MARCELLO
CACTIA. VXOR

Meminit etiam Liuius lib. IX. Statij Cælij imperatoris ſamnitium. Valerius quoq; Probus Statium inter Prænomina enumerat. Gentile vero fuiſſe etiam nomen ſatis

Digitized by Google

ſatis probant marmora aliquot in libro Petri Appiani in quibus eſt mentio C. Statij Fauſti. C.Statij Primigenij: C. Statij Neureti. Statij Saturnini. Eſt etiam apud Plinium lib. IX. cap. XV. Statius Seboſus. Fuluius quoq; Vrſinus in lib. de familijs hac doctrina diſſerit.

Panuinium innuit. De cognomine vero ſatis ſit referre verba Agellij lib. IV. cap. XIX. Quod etiam eo libentius facio: quod a nonnullis non omnia verba, a quibuſdam etiam fide non integra apponuntur, ea ſic habent.

„ *Et cur, inquiunt, ita eſt: vt tu ſis, quam equus curatior?*
„ *Quoniam (inquit) ego me curo; equum Statius. Viſum*
„ *parum reuerens eſſe reſponſum, relatuſq; in ærarios, vt*
„ *mos eſt. Statius autem ſeruile nomen fuit. Pleriq; apud*
„ *veteres ſerui eo nomine fuerunt. Cæcilius quoq; ille co-*
„ *mediarum poeta inclytus, ſeruus fuit, & propterea no-*
„ *men habuit Statius, ſed poſtea verſum eſt quaſi in co-*
„ *gnomentum, appellatuſq. eſt Cæcilius Statius.*

Recte Agellius, nam ſeruorum nomina, cum libertate erant donati, poſtremo loco ponebantur. Opportune autem iuuandus eſt corruptus apud Agellium Sedigiti Volcatij verſus lib. XV. cap. XXIV.

„ *Cæcilio palmam ſtatuo de comico.*

Nonnulli habita tantum ratione verſus, claudicantem defectu temporis, & ſyllabæ ſic fulciunt.

„ *Cæcilio palmam ſtatuo dandam comico.*

ſed tanta, & tam audax mutatio non placet. Aldus Manucius amicus meus peritam arte, & conſuetudine medendi manum feliciter adhibuit. Ille cum aliquot ab hinc annis Genua, Venetias reuerteretur, & de recta via nonnihil deflectens, vt me paternum amicum, quem tamen de facie nondum norat, viſeret, Alexandriam venit, perhumaniterq; pro ſua liberali natura, & probitate domi me ſalutauit. Accepi lætans, & amplexus, vt debui, hominem, blande tamen, & molliter

adcu-

accuſatum atq; increpitum: quod non recta ad Mattium, pro paterna amicitia, & pro merito ſuo [boni enim ad bonorum vt conuiuium, ſic hoſpitium non vocati accedunt] deuertiſſet, pro peccatoq; ſtatim impoſita eſt a me multa: vt apud me cenaret, & eſſet, quamdiu Alexandriæ moraretur. Renuenti initio verecunde, & excuſanti, apage, inquam, delicias cum putidiuſcula iſta modeſtia, & pudore. Non alio prætio redimes culpam, quæ admiſſa eſt: cum de porta ad ianuam noſtram recta non veniſti, ſic condicionem accepit cum exceptione tamen, ne aſymbolus ſederet. Feſtiue, ego inquam, atq; vt lubebit: modo ſymbola ſit muſica. Ergo appoſita menſa, cum ego: heus vos κατὰ χεῖρας ὕδωρ: excipiens ille: At ego prius ſymbolam, & ſimul prolato verſu Sedigiti, vitium in eo indicat, & tollit, ſic illum reſtituens.

„ *Cæcilio palmam Statio dem comico.*
Probam, ἦν δέγω, proba moneta ſymbolam,
Iudice me, ita medius fidius amet bene.
Vt ſi ſecus quis ſentiat male ſentiat.

Noſtri ſunt hi verſus.

Antequam autem ab eiuſdem Volcatij epigrammate diſcedamus, reſtituamus ibi duobus verſibus legitimam menſuram.

„ *Eum me iudice errorem diſſoluam tibi.*

ſi iudice me legas non me iudice, conſtabit verſus. Ea vero forma dicendi.

„ *Eum errorem me iudice diſſoluam tibi*,

rara quidem eſt: vſurpata tamen cum ab alijs, tum a Cicerone ad Atticum lib. x.

„ *Obſignata iam epiſtola ſuperiore, non placuit ei dari, cui*
„ *conſtitueram.*

Cæſar belli Gallici lib. v.

„ *Quo percuſſo, & exanimato, hunc ſcutis protegunt hoſtes.*

vbi legitur „ *hos*„ legamus „ *illos*, vel *iſtos*.

in hoc Porro verſu.

,, *In ſexto conſequitur hos Terentius.*

pro *hos Terentius*, lege, *iſtos*, vel *illos Terentius*.

,, *In ſexto conſequitur illos Terentius.*

vel, quod multo blandius arridet mihi, addito vno maxime proprio, & hìc accommodato verbo.

,, *In ſexto conſequitur loco hos Terentius*

Quod autem nonnulli poſſint ſuſpicari, parum eſſe conſultum primis duabus ſyllabis in verbo ,, *Licinius*, in illis verſibus.

,, *Si quid quarto detur, dabitur Licinio.*

ſciat ille vtraſq; ſyllabas cadere in arbitrium ſcribentis carmen. Papinius Statius lib. IV. Thebaid.

,, *Si ſtagna Licinia reſtant.*

Horat. lib.ij.carmin.

,, *Me dulcis domina muſa Licinia.*

& iterum ibidem.

,, *Permutare velis crine Licinia.*

Idem.

,, *Rectius viues Licini, neq; altum*

,, *Semper vrgendo*

& in epiſt. ad Piſones.

,, *Tonſori Licino commiſeris.*

PLINII LOCA DVO EMENDATA

Cap. XIV.

EX ipſo Plinio Plinij locum inuenimus lib. XXXVI. cap. IX. vbi de obeliſcis agit.

,, *Naues duas* (inquit) *in latitudinem patulas pedalibus*
,, *ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem*
,, *menſuram ponderis oneratas, ita vt ſubirent obeliſ-*

,, *cum*

,, *cum pendentem extremitatibus ſuis in ripis vtrinq; po-*
,, *ſtea egeſtis laterculis adleuatas naues excepiſſe onus*
,, *ſtatutum.*

Lege addita poſt illa verba ,, *pedalibus ex eodem lapide*, voce laterculis: ſic.

,, *Naues duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem la-*
,, *pide laterculis, ad rationem geminati per duplicem*
,, *menſuram ponderis oneratas.*

ſequitur enim in eadem periodo paulo poſt,

,, *poſtea egeſtis laterculis adleuatas naues.*

in quibus his verbis poſtremis vox hæc ,, *naues*, ſuperuacua eſt: & ideo delenda, namq; cum iam dixerit ante ,, *Naues duas*, ea vox non fuit repetenda.

Eodem capite, vbi legitur

,, *Omnibus, quæ vmquam in mari viſa ſunt.*

Scribe ,, *viſæ ſunt*, naues ſcilicet.

Sequenti in capite ſunt hæc verba.

,, *Tertius Romæ in Vaticano Cai, & Neronis principum cir-*
,, *co ex omnibus vnus omnino fractus eſt in molitione,*
,, *quem fecerat Seſoſtris filius Numcoreus.*

Hic eſt ille Obeliſcus: quem iacentem, & neglectum dignus immortali memoria Xiſtus V. Pontifex Max. erexit ad limina D. Petri, adhuc totus integer, & nulla in parte læſus: nedum fractus ætate Plinij fuerit. Quæ obeliſci integritas admonuit Philippum Pigafettam diligentem narratorem erectionis huius obeliſci, vt conſuleret veteres Vaticanæ bibliothecæ ſcriptos calamo Plinij libros, in quorum vno diſerte ſic inuenit ſcriptum atq; ita omnino locus ad illius exemplum eſt reſtituendus.

,, *Tertius Romæ in Vaticano Cai, & Neronis Principum*
,, *factus imitatione eius, quem fecerat Seſoſtris filius*
,, *Numcoreus.*

EIVSDEM PLINII locus emendatus.

Cap. XV.

HActenus non eſſe animaduerſum inſigne vitium in verbo Plinij lib. viij. capite xliij. ad finem, iure omnes admirari poſſunt, ſunt autem verba hæc.

„ *Aſino moriente viſo celerrime id genus deficit.*

Inepta, & contra naturæ rationem ſcripturæ huius eſt lectio. Primum quis vmquam teſtetur, id vel ſemel accidiſſe? Deinde genus vllum non interit. Ego & ex ſympathia, communi non aſino ſolùm, ſed homini etiam, & multis alijs animantibus: quæ viſo compare meiere, meiunt & ipſa: & ex Aphrodiſæi problemate xxxv. ſuam Plinio integritatem ſic reſtituo.

„ *Aſino meiente viſo, cæterum genus idem facit.*

Arbitror, fore neminem; qui non fateatur ſit; parua paucarum litterarum iactura, & mutatione ſuccurſum eſſe fœde laborantibus Plinij verbis. Aphrodiſæi verba Latine ſic habent.

„ *Meiente aſello cæteri item meiunt.*

EIVSDEM PLINII declaratus locus.

Cap. XVI.

LIbro iij. cap. xvij. inquit Plinius.

„ *Vercellæ Libycorum ex Salys ortæ Nouaria ex Ver-*
„ *tomacoris Vocontiorum hodieq; pago, non, vt Cato*

„ exi-

,, *exiſtimat, Ligurum, ex quibus Laui, & Marici con-*
,, *didere Ticinum non procul a Pado: ſicut Boij trans*
,, *Alpes profecti laudem Pompeiam.*

In his Plinij verbis vox illa relatiua ,, *ex quibus*, non refert propinquiorem dictionem ,, *Ligurum*: vt perperam putauit Georgius Merula (ſi tamen primus ille huius ſententiæ auctor fuit) & multi alij etiam, qui nunc ſcribunt, Merulæ errorem ſecurius ſecuti; ſed reſpicit ad, *Vertomacorum*, vel potius *Vocontiorum*, hoc ſenſu. Ex quibus Vertomacoris, ſiue Vocontijs Læui, & Marici condidere Ticinum: ſicut Boij (Galli hi quoq; ex eadem Gallia profecti) Laudem Pompeiam: Inſubres Mediolanum. Porro Plinius Boios trans Alpes dixit: vt diſcerneret a Boijs Italicis: qui ex eadem gente multo ante Ciſalpes incolebant. Qui diligenter locum Plinij perpendent, ſine dubio mecum facient. Sed Merula, qui in huiuſmodi coniecturis temerario iudicio ſæpe præceps ruit, non ſolùm credidit, Læuos, & Maricos iſtos fuiſſe Ligures in ea parte, vbi nunc eſt Alexandria, non intellecto loco Plinij: ſed etiam (rem riſu excipiendam) non ſemel ſtatuit, Maricos iſtos incoluiſſe loca: vbi eſt Marencum: qui eſt nunc viculus deſertus, ac ruricularum, & plerumq; inquilinorum ſtatio, ad ſecundum ab Alexandria lapidem Dertonam euntibus. Eamdem quoq; hiſtoriam Liuius lib. v. tradit his verbis.

,, *Poſt hos Saluij, qui præter antiquam gentem Lauos, Li-*
,, *gures incolentes citra Ticinum amnem expulere. Poe-*
,, *nino deinde Boij, Lingoneſq; tranſgreſſi, cum iam in-*
,, *ter Padum atq. Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus*
,, *traiecto non Etruſcos modo, ſed etiam Vmbros agro*
,, *pellunt.*

DVO

DVO XIPHILINI loca animaduerſa.

Dap. XVII.

Xiphilinus, qui Dionem in compendium contraxit, fallitur: cum ſcribit: Vitellium ex propinquis Othonis, & Veſpaſiani occidiſſe neminem; Namq;ex Suetonio in Vitellio, & ex Ioſepho lib. v. de bello Iudaico conſtat, Sabinum Veſpaſiani fratrem ad Vitellium adductum iuſſu eius necatum fuiſſe.

Idem ſcribit, Pertinacem Imperatorem Afrum natione fuiſſe: qui Ligus fuit Alba Pompeia oriundus, quæ vrbs eſt in ea Liguriæ parte, quæ ad Ligures Epanterios pertinet ad ripam Tanari ſita. Sed hominem duxit in fraudem vel Imperator Seuerus: qui aliquot poſt annos imperauit adſumpto ſibi nomine Pertinacis, (hic enim vere Afer fuit): vel vox græca, quæ apud Dionem λιγυς, ideſt Ligus fuit. Ille properans, & ſecurus animi λιβυς eſſe putauit. Itaq; Afrum vertit. In Alba vero Pompeia duæ fuerunt gentes Pertinacium, Iulia, & Heluia; inſigni errore eorum, qui apud Spartianum, Aelium ſcribunt. Qui enim Romæ Imperauit, fuit P. Heluius Pertinax. Iuliæ gentis exſtat adhuc Albæ Pompeiæ in ædibus Scotiarum monimentum in marmore ſculptum hoc.

CN.

CN. IVLIO
PERTINACI
AED. QVEST
PRAE. FABR
CN. DIDIVS
HERMES
FILIO. PIISSIMO
LDDD

TERENTII LOCVS ANIMADVERSVS Prolubium.

Cap. XVIII.

IN fine Adelphorum Terentij legitur.

„ *Quod proluuium? quæ iſtæc ſubita eſt largitas?*

Ego ex Donati docti hominis interpræatione, qui προθυμίαν exponit, non proluuium, ſed prolubium lego, intelligoq; non prodigam profuſionem, ſed nimiam animi voluntatem, & libidinem largendi. Neq. à Proluendo, ſed à Prolubendo (liceat enim ſic nunc loqui) deduco. Quod ſi Proluuium retineamus, erit eadem verbi ſignificatio, more ſcribendi antiquorum; apud quos in multis vocibus B. & V. inuicem ſibi cedebant. Itaq; in antiquis inſcriptionibus legimus „ *Dannuuium,*

&

Digitized by Google

&*Veneuenti*: pro Danubium, & Beneuenti, quemadmodum contra, Bixit pro Vixit: & Suebico bello, pro Sueuico ſcripſerunt. Sic apud Apuleium lib. x. Aſini aurei.

„*Et vnguento fragrantiſſimo proluuium libidinis ſuſci-*
„ *taram.*

Hæc poſtea ab alijs quoq; obſeruata eſſe animaduerti.

A. ſignificat Non. Auſonius declaratus.

Cap. VIX.

VErſus ille Auſonij

„ *Vna fuit tantum, qua reſpondere Lacones.*
„ *Littera, & irato regi placuere negantes.*

multos habet expoſitores, & coniectores: ſed nemo adhuc, quod ſciam collimauit recte. Alij enim pro „ *littera* reponunt *Syllaba*, quoniam τὸ ὄυ negatiua vox, ſit ſyllaba, non vna littera tantùm. Alij ſeruant „ *littera*: ſed litteram pro ſyllaba accipiunt. Ego &„ *littera* retineo: & iudico, Auſonium, cum littera dixit, non τὸ ὄυ ſed τὸ ἀ. intellexiſſe: quæ eſt vox recuſantis & negantis. Huius interpretationis me commonuit Suidas in φιλοξένου γραμμάτιον. Hic Philoxenus Cytherius fuit qui acceptis a Dionyſio litteris, quibus ille hominem adſe inuitabat, nihil quidem per litteras reſpondit: ſed libellum miſit nihil aliud ſcriptum habentem, niſi ſæpius repetitum ἀ. Inde prouerbium „ *Philoxeni libellus.* Quod prouerbium & recuſandi obſtinatam conſtantiam & breuitatem Laconicam ſignificat.

al. conlineauit.

DE

DE TRISMEGISTO. AESCVLAPII locus animaduerſus. De antiquitate linguæ Græcæ.

Cap. XX.

MErcurij plures fuerunt. Auctores id docent multi. Vni ex illis antiqui cognomen poſuerunt Triſmegiſto: ideſt Ter maximo. Cauſam cognominis tradunt alij aliam. Suidas in voce Ἑρμῆς, cenſet: quod de Trinitate Dei noſtri, Dei veri, & de tribus Trinitatis perſonis locutus eſt: & quidem primus, vt nonnulli tradiderunt, fortaſſe non male. Sed id paulo poſt videbimus. Nunc quid Suidas dicat, audiamus.

,, Ἑρμῆς ὁ Τρισμέγιστος. οὗτος ἦν αἰγύπτιος σοφός. ἤκμαζε δὲ πρὸ
,, τοῦ Φαραώ. ἐκέκλητο δὲ τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος
,, ἐφθέγξατο εἰπών, ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα οὕτως. ἦν
,, φῶς νόερον πρὸ φωτὸς νοεροῦ. καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινός,
,, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦ, ἢ τούτου ἑνότης καὶ πνεῦμα πάντα περιέ-
,, χον. ἐκτὸς τούτου οὐ θεός, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τίς ἄλλη.
,, πάντων γὰρ κύριος καὶ πατὴρ, καὶ θεός, καὶ πάντα τὰ ὑπ'
,, αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν καὶ
,, γόνιμος, καὶ δημιουργικὸς ἐν γονίμῳ φύσει: πᾶς ὢν, καὶ γο-
,, νίμῳ ὕδατι, ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. Καὶ ταῦτα εἰρηκὼς
,, ηὔξατο λέγων. ὁρκίζω σε οὐρανὲ θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον.
,, ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα πάντα
,, κόσμον ἐστηρίξατο. ὁρκίζω κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ
,, τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα. ἵλεως ἵλεως ἔσο.

Cum Suida facit etiam Georgius Cedrenus in compendio hiſtoriarum ſic ſcribens, cum de Seſoſtre rege Aegypti loquitur.

,, Επὶ τουτου Ερμην φασιν ἐν αἰγύπτῳ θαύμασον ἄνδρα γνωσθῆναι,
,, κὴ φοβερὸν ἐπὶ σιφία, ὃς ἔφρασε, τρεῖς μεγίσας εἶι αὐδυνάμεις τοῦ δημιουργοῦ τῶν ὅλως θεοῦ, μιαν θεότητα εἶναι. διο,
,, κὴ τρισμέγισος Ερμῆς κατωνομᾶσαι.

Libenter autem retulimus verba a Suida relata: quoniam in libro, qui nunc circumfertur, Mercurij Triſmegiſti, non ſic poſita eadem, & continuata ſunt, licet ſententia non diſcrepent. Hinc conicere poſſumus, multa alia in eodem libro deſiderari, quam rem etiam fragmenta quædam comprobant, quæ ſunt apud Stobeum, quæ in hoc libro non ſunt, ſed ad rem. A'ij Triſmegiſtum appellatum tradunt, quod maximus rex, quod maximus philoſophus, quod maximus ſacerdos fuerit. Falli hos puto adductus ad hoc putandum ab hiſtoria. Diodorus namq; ſiculus regem non fuiſſe aperte teſtatur libro j. & ij. Verba ex primo latine hæc ſunt, vbi de rege Oſiride loquitur.

,, *Tradunt autem Oſiridem, Aegypti regno conſtituto, rerumq; omnium cura Iſidi vxori permiſſa, tradidiſſe ei Mercurium: cuius conſilio, quoniam prudentia videretur excellere, inter omnes vteretur.*

& paulo poſt.

,, *Ego ſum Iſis Aegypti regina a Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluat. Ego ſum vxor Oſiridis. Ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Ori regis mater.*

& quæ ſequuntur. Quod epigramma etiam inſculptum eſt in columna Calletiæ Vrbis Hiſpaniæ Tarraconenſis. Idem Diodorus lib. ij.

,, *At vero ſacerdotes, diſciplinarum, artiumq; repertorem Mercurium fuiſſe tradunt. Eorum vero, quæ ad vitam ſpectant, Reges.*

Beroſus quoq; & Manæthon in ſuis chronologijs vllum fuiſſe Aegyptijs regem nomine Mercurium non tradunt.

tradunt. Lactantius ex præſtantia ingenij, & virtutum nomen hoc eſſe conſecutum ſcribit lib. 1. de Falſa religione ſic his verbis.

,, *Inſtructiſſimus omni genere doctrinæ adeo, vt e multarum rerum, & artium ſcientia Triſmegiſto nomen imponerent.*

Idem libro de Ira Dei.

,, *Idem teſtatur Hermes: quem Cicero ait in numero Deorum apud Aegyptios haberi: eum ſcilicet: qui ob virtutem, multarumq; artium ſcientiam Triſmegiſtus nominatus.*

De huiuſmodi cum ternario numero compoſitione nominum memini alias a nobis alibi in hanc ſententiam fuiſſe diſputatum.

Litterarum Aegyptiarum vſus fuit etiam ætate Gordiani Auguſti. Cuius ſepulcrum (vt eſt in libro Appiani inter epigrammata Vrbis Romæ) inſcriptum fuit uariarum linguarum litteris, Græcis ſcilicet, Latinis, Perſicis, Iudaicis, & Aegyptijs. Qui autem credunt Mercurium ſcripſiſſe prius quidem ſua, ideſt Aegyptia lingua, deinde etiam Græca, ſomnia ſomniant anilia.

Quæri hìc poteſt, qua lingua Triſmegiſtus myſteria tanta atq; tam ſublimia ſcripſerit, & expoſuerit. Tradunt omnes, ſua. Quæ vero ſua fuerit Aegyptijs lingua in controuerſia eſt. Cenſent nonnulli Hieroglyphicas litteras fuiſſe, ſed id a vero abeſt, nullum enim in hoc Triſmegiſti, quem habemus, libro exſtat ſacrarum litterarum veſtigium. Ego ſuam Aegyptijs linguam fuiſſe illam Arameam ab illis ſecum ex Armenia in Aegyptum portatam duce Cham, quem aliter etiam Chem, Cameſenum, & Zoroaſtrum appellatum ſcribunt. Quo a patre Noe, ſiue Noa, qui Ogyges alijs, alijs etiam Ianus dicitur, cum magno ſociorum numero ad inco-

lendum illam prouinciam miſſus fuit, vt apud Beroſum legitur.

Qui autem credunt, Mercurium ſcripſiſſe primum ſua, ideſt Aegyptia lingua, deinde etiam Græca, quo in numero eſt Marſilius Ficinus in Pymandrum Triſmegiſti, valde errant. Tantum abeſt, vt id verùm ſit (de Græca intelligo) vt Aegyptij exiſtimarint, ſuas doctrinas græca lingua nullo modo poſſe recte exprimi. Cuius rei quod locupletius teſtimonium citabimus, quam ipſius Mercurij, cuius verba ſunt relata ab Aeſculapio Mercurij diſcipulo initio libri Definitionum? ſic enim inſcribit opuſculum ſuum ad Hammonem Aegypti regem, quem etiam monet, atq; hortatur, ne græcis tranſlationibus contaminari, & quaſi profanari maieſtatem ſcriptorum Triſmegiſti patiatur.

„ Ἑρμῆς μὲν γὰρ (inquit Aeſculapius) ὁ ἐμὸς διδάσκαλος
„ πολλάκις μοι διαλεγόμενος, καὶ ἰδίᾳ, καὶ τοῦ Τὰτ παρόντος
„ ἔλεγεν, ὅτι δόξει τοῖς ἐντυγχάνουσι μου τοῖς βιβλίοις ἁπλου-
„ στάτη εἶναι ἡ σύνταξις, καὶ σαφής, ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἀσα-
„ φὴς οὖσα, καὶ κεκρυμμένον τὸν νοῦν τῶν λόγων ἔχουσα.
„ Καὶ ἔτι ἀσαφεστάτη τῶν Ἑλλήνων ὕστερον βουληθέντων τὴν
„ ἡμετέραν διάλεκτον εἰς τὴν ἰδίαν μεθερμηνεῦσαι. ὅπερ ἔσται
„ γεγραμμένων μεγίστη διαστροφή τε, καὶ ἀσάφεια. ὁ δὲ λόγος τῇ
„ πατρῴᾳ διαλέκτῳ ἑρμηνευόμενος ἔχει σαφῆ τὸν τῶν λόγων
„ νοῦν. Καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ τῆς φωνῆς ποιὸν, καὶ ἡ τῶν Αἰγυπ-
„ τίων ὀνομάτων δύναμις ἐν ἑαυτῇ ἔχει τὴν ἐνέργειαν τῶν
„ λεγομένων.
„ Ὅσον οὖν δυνατόν ἐστι σοι βασιλεῦ (πάντα δὲ δύνασαι) τὸν
„ διατήρησον ἀνερμήνευτον; ἵνα μήτε τῶν Ἑλλήνων ὑπερήφανος
„ φράσις καὶ ἐκλελυμένη ἐξίτηλον ποιήσῃ τὸ σεμνὸν καὶ στιβαρὸν,
„ καὶ τὴν ἐνεργητικὴν τῶν ὀνομάτων φράσιν.
„ Ἕλληνες γὰρ ὦ βασιλεῦ λόγους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων ἐνεργη-
„ τικούς. Καὶ αὕτη ἐστὶν Ἑλλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος. ἡμεῖς
„ δὲ οὐ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μεγίσταις τῶν ἔργων.

In

In fine loci huius duæ ſunt maculæ, cognitæ quidem a nonnullis, & tentatæ, ſed non feliciter elutæ, & purgatæ. Etenim pro κενοὺς, quam vocem viderunt hìc locum non habere, repoſuerunt καινοὺς, & vbi eſt φωναῖς μεγίσταις, μεγίστας legunt. Ego κενοὺς conſeruo: & pro μεγίσταις detracta media ſyllaba μέσταις repono, ſic ſua gratia vtriq; loco vindicabitur. Ita igitur lego.

„ Ἕλληνες γὰρ ὦ βασιλεῦ λόγους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων ἐνεργητικούς. καὶ αὕτη ἐστὶν Ἑλλήνων φιλοσοφία, λόγων ψόφος. ἡμεῖς δὲ οὐ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μέσταις τῶν ἔργων.

ideſt

„ *Græci enim, o Rex, verba habent (rerum) inania, compoſita ad oſtentationem, eſtq; hæc Græcorum Philoſophia, verborum ſtrepitus. At nos non verbis, ſed vocibus rerum plenis vtimur.*

Ex his, quæ retulimus, euidenter apparet, nec regem fuiſſe Trimegiſtum Mercurium, nec Græco idiomate myſteria ea conſcripſiſſe, ſed ſuo: id eſt, vt ego conicio, Aramæo. Neq; vero quiſquam ſuſpicetur, hæc a me ſcripta ideo fuiſſe, quod de dignitate Græcæ linguæ, cui honorem habeo, quidquam derogatum velim. Sciant omnes, iudicare me, ab omnibus Græcarum litterarum ſtudioſis magnam eſſe habendam gratiam Aeſculapio: qui niſi ſit, inſignem fortaſſe illæ iacturam faciant dignitatis, quam ex antiquitate (vt alia præſtantiora merita ſileam) ſunt conſecutæ. Etenim nonnulli ex antiquis ſcriptoribus adfirmare non dubitauerunt, litteras Græcas per belli Troiani tempora, ſi non deſideratas, certe inchoatas & rudes: quippe quæ a Cadmo ex Phœnicia in Græciam centeſimo, alijs centeſimo quadrageſimo primo, plus minus, ante euerſam Troiam anno adlatæ ſint. Vt eorum opinionem prætercam: qui recentiorem faciunt. Cum tamen ex hoc

Aeſcu-

Aeſculapij teſtimonio, litterarum Græcarum vſum in honore, multo ante Troiam conditam fuiſſe videamus. Siquidem hic Aeſculapius floruit ſub Aegypto Danai fratre, & rege Aegypti: quem ipſe Aeſculapius Hammonem vocat, & cui librum ſuum Definitionum inſcribit. Huius regni anno vndecimo Dardanus Dardaniam condidit: quæ poſtea Troia eſt dicta. Hac tempeſtate florebat Triſmegiſti filius Tat: quo tempore Moſes auctore Euſebio, in Deſerto genti Hebræorum præerat, vt neceſſe ſit, Triſmegiſtum τοῦ Tat patrem ætate anteceſſiſſe Moſen. Quod ideo dictum eſt, ne quis miretur id, quod ſupra eſt narratum, cenſere aliquos, Triſmegiſtum ante Moſen ſcripſiſſe. De Pharaone, quem Suidas nominat, & qui a Beroſo Chencres appellatur, non eſt hic dicendi locus, ſed occaſio admonet, vt de Danai,& Aegypti fratrum varijs appellationibus dicamus. Notiſſimi, cantatiſſimiq; ſunt Græcis perinde atq; Latinis monimentis Aegyptus, & Danaus fratres: prole Aegyptus L.filiorum: Danaus L.filiarum & ſcelere, ac pœnis Danaidum, quæ patrueles fratres, & ſponſos, vna excepta Hypermeſtra; quæ ſponſum ſuum ſeruauit incolumen; prima nocte iuſſu patris Danai interemerunt. Aegyptus Aegypti rex (prouincia enim a domino nomen inuenit) is eſt: quem Aeſculapius, vt ſupradictum eſt, Hammonem vocat. Beroſus in fine ſuæ Chronologiæ, & Euſebius Rameſen cognomine Aegyptum nuncupant. Ioſephus vocat Sethoſim libro primo contra Apionem. Frater Armaus, ſiue etiam Armeus cognomine Danaus ab ijſdem Beroſo & Euſebio nominatur. Tangendam hic putaui breuiter hanc nominum varietatem: ne quis in horum nomenclatura auctorum, quos nominaui eorum aliquos putet errare: aut eorum libros eſſe corruptos,& reliquos ex vno eſſe emendandos,ſua cuiq; nomina ſunt relinquenda,& ſeruanda.

Digitized by Google

DE GENITIVIS NOMINVM propriorum in ius vna ſyllaba ſinientium Nominatiuos. Compoſita a Iacio, vt Abicio, vno i. ſcribenda. Emendati verſus Ennij, & Plauti. Actij verſus apud Cicer. reſtitutus.

Cap. XXI.

NEmo non nouit, propria nomina flexus ſecundi, finientia nominatiuum in ius duarum ſyllabarum in duo ij genitiuos finire; vocatiuos vero vna ſyllaba minores eſſe. Iulius, Iulij, Iuli. Sed quid ſentiemus in nominibus illis proprijs, quorum nominatiui in ius vnicam ſyllabam exeunt? qualia ſunt Appuleius, Atteius, Auruncuieius, Caius, Cicercius, Cocceius, Fonteius, Petreius, Partumeius, Pompeius, Sauſeius, Tarpeius, Vargunteius, Veius, Vulteius? Quid, inquam hic ſtatuemus? Cuiuſmodi illis Genitiuos, Vocatiuos, & reliquos caſus dabimus? Ego etſi vix quemquam inuenias (excipio inter aliquot alios doctos viros eos, quibus in purgando Feſti Pompei libro ratio rectam ſcripturam monſtrauit) qui horum nominum genitiuos duobus ij non ſcribat, & ſcribendos cenſeat: tamen ego contra iudico, exiſtimoq; genitiuos iſtos formari a Nominatiuis abiecta non tota vltima ſyllaba, ius, ſed vs tantùm, remanente i cum eadem poteſtate conſonantis, quam in Nominatiuo habuit, ſic continget, vt Nominatiui ſyllabarum numero non vincantur ab obliquis, quam ratio-

tionem ſeruant etiam reliqua latina eiuſdem declinationis nomina, exceptis, vt ante dictum eſt, Vocatiuis Nominatiuorum in eius duarum ſyllabarum deſinentium, quibus vna ſyllaba eſt detracta; Iulius, Iulij, Iuli. Atq. res poſtulat, vt antequam longius progrediamur, probemus exemplis poetarum, ius ſyllabam in ſupra citatis nominatiuis vnam tantùm eſſe, non duas, ne quem forte in fraudem ducat mos Græcorum ſcribentium ea nomina vna ſyllaba, quam nos facimus, longiora. Πομπήιος, ταρπήοις.

Horatius igitur lib. ij. Satira v.

,, *Cocceius, Capitoq; ſimul Fonteius ad vnguem*
,, *Factus homo.*

Lucanus lib. v.

,, *Aut hodie Pompeius erit miſerabile nomen?*

Idem lib. viij.

,, *Nec Pompeius erit.*

Reliqui quoq: caſus Nominatiuorum ſunt æmuli.

Horatius lib. 1. epiſt. ad Mæcenatem.

,, *It, redit, & narrat, Fonteium nomine Menam.*

Lucanus lib. vi.

,, *Hunc, vt fama loci Pompeio protulit, alta.*

Propertius lib. iv. epiſt. iv.

,, *Tarpeium nemus, & Tarpeia turpe ſepulcrum.*

In quo verſu etiam notandum eſt, deriuata ſyllabis primigenia non ſuperare.

Sic etiam Lucan. lib. iij.

,, *Tunc rupes Tarpeia ſonat.*

Virgil. lib. viij.

,, *In ſummo Cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis.*

Ouidius ij. Ponti.

,, *Protinus inde domus nobis Tarpeia petatur.*

Sed ad Genitiuos reuertamur: quos vt vno i. terminari, & ſyllabis eſſe Nominatiuis pares diceremus, ea ratio

Digitized by Google

ratio mouit, quæ docet: Genitiuos Latinorum nominum in numero ſyllabarum conuenire cum Datiuis, Accuſatiuis, & Ablatiuis: ſi quidem illa certam regulam aliquam ſequuntur: ne quis forte obiciat nomina illa, quæ propterea etiam a nonnullis antiquis Grammaticis ad pronomina relegantur. Vnus, Totus, Solus, & reliqua ab ijſdem Grammaticis adnotata. Deinde præſto poetæ ſunt: qui dubitationi nullum relinquunt locum.

Lucanus lib. ij.

„ *Hunc neq; Pompei Brutum, neq; Cæſaris hoſtem.*

Idem lib. vi.

„ *Quem prior adfatur Pompei ignaua propago.*

Idem lib. vij.

„ *Impia concurrunt Pompei, & Cæſaris arma.*

Idem lib. viij.

„ *Placet hoc Fortuna ſepulcrum.*
„ *Dicere Pompei; quo condi maluit illum.*

Ibidem.

„ *Haud procul eſt ima Pompei nomen arena.*

Ibidem.

„ *Nos Cato da veniam, Pompei duxit in arma.*

Horatius lib. ij. Satira v.

„ *Hinc nos Coccei recipit pleniſſima villa.*

Atq; hæc ad Genitiuos, Vocatiuos quoq; eoſdem eſſe cum Genitiuis docebunt, quæ nunc in mentem veniunt ſequentia exempla.

Ouidius lib. v. elegia 1. Ponti.

„ *Accipe Pompei deductum carmen ab illo.*

Lucilius lib. xxx. apud Nonium in Incilo.

„ *Nunc Cai quoniam incilans nos lædi viciſſim.*

Martialis lib. ij.

„ *Quod debes Cai, redde inquit Phœbus, & illinc.*

Dicet aliquis. Recte hactenus res habet, ſed reſtat ſcru-

Digitized by Google

pulus, quem excuti vellim. Si vno i ſcribantur Genitiui iſti, atq; Vocatiui, quid fiet præcedente vocali: quam vocalis ſequens ſolet breuem facere? Reſpondetur. Conſeruat illa in his ſua tempora. Græci probant: qui illam per *ι*. ſcribunt. Præterea ipſum i, licet relinquatur ſolum, tamen eamdem ſeruat vim, quam habuit in Nominatiuis, reliquiſq;caſibus;Neq. ſolũ contingit hoc in horũ nominũ caſibus, ſed in alijs quoq;aliquot vocibus idẽ vſuuenit:præſertim in verbo Iacio: inquo compoſito *πι*.ſolũ remanẽs præpoſitionis vltimã antecedẽtis vocalẽ,cũ poetis eſt libitũ,longã præſtat:vt in illo Virg.verſu.

,, *Reice ne maculis &c.*

Quaſi vero in quibuſdam Genitiuis,& Datiuis quinctæ declinationis huic vocali eamdem poteſtatem non tribuamus: cum Aciei, Rabiei dicimus. Quid? apud Lucretium nonne in ei ab Is Pronomine, in Rei a Res, & Fidei penultimam ſemper longam ope ſolius i, vocalis legimus? ſingularum aliquot ab ipſo poeta apponam exempla:cum plura citari poſſent.

,, *Nunc iacere indu manus via, qua munita fidei.*

Idem lib. ij.

,, *Tempus inane poteſt vacuum ſubſiſtere rei.*

Eodem libro.

,, *Corpora iactari vnius genitalia rei.*

Eodem libro.

,, *Nec facile indu venas cibus omnis diditur ei.*

Idem lib.v.

,, *Nam primum quidquid fulgoris deperit ei.*

Sic verſus ille apud Ciceronem lib.de Senectute.

,, *Ille vir haud magna cum re ſed plenu fidei.*

Quid? Latinos poetas, cum ae diphtongum, in fine caſuum primæ declinationis volunt reſoluere in duas ſyllabas, quæ alia cauſa coegit ad a i diphthongum Græcam confugere, cum Aulai dicunt, Ferai,Naturai, Viai?

Viai? vt alia multa Lucretio familiaria ſileam. Nimirum eam vocali huic eſſe vim norant, quæ adquirere temporis acceſſionem vocalibus, & ſyllabis breuibus præcedentibus poſſet, vt in Virgilij duobus verſibus accidit: qui nunc opportune in mentem venerunt.

,, *Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.*

,, *Populat ingentem farris aceruum.*

ſic enim legendum eſt, non Populatq; ingentem farris aceruum.

Idem ter fecit Cicero in paucis ſuis verſibus: qui ſunt in lib. de Diuinatione.

,, *Subigit ipſa feris transfigens vngibus anguem.*

,, *Abicit efflantem, & laceratum adfligit in vndas.*

,, *Omnis cura viris, vter eſſet Induperator.*

Auſonius in Alcione.

,, *Falſum conuicit ilico haruſpicium.*

Tandem ergo in his compoſitis a verbo Iacio.

,, *Abicio, Adicio, Deicio, Eicio, Obicio, Proicio, Reicio,*

,, *Subicio,*

Obices, & Subices admirari deſignant graues viri orthographiæ noſtræ, noſtræ dico? immo antiquorũ conſiliũ: qui præter eas, quas diximus, rationes, nitimur auctoritate veterum magni nominis Grammaticorum Velij, Feſti (Feſtum cum cito, Verrium quoq; cito) Seruij Bedæ, atq; aliorum, nitimur teſtimonio veterum calamo ſcriptorum librorum. Marmora quoq; antiqua nos iuuant: quibus teſtimonium ad nos nullum venit incorruptius. Gloſſarium vetus numquam aliter habet in omnibus illis verbis. Ac ne forte ambitioſe, & falſo Grammaticorum teſtimonijs, & nominibus abuti videar, duo Seruij loca optime ad firmandã meã ſententiã facientia libitum eſt apponere. Reliquorum teſtimonia cum Seruio idem ſentientium quilibet ſibi ex eorũ libris petat. Seruius igitur ad eum ex IV. Aeneidos libro verſũ.

 ,, *His*

,, *His germana malis oneras, atq;obicis hoſti,*

Sic ſcribit.

,, *Ob naturaliter breuis eſt, ſicut Re, & Ab, ſed plerumq;*
,, *producuntur hac ratione in Obicio, Reicio, Adicio: quia*
,, *habent vocalem ſequentem: quæ per declinationem poteſt*
,, *in conſonantis formam tranſire, vt Obieci, Reieci, Adie-*
,, *ci. Ergo etiam antequam tranſeat, interdum fungitur*
,, *officio conſonantis, & præcedentem longam facit.*

Idem in lib. x. ad eum verſum.

,, *Atq;oculos Rutulorum reicit aruis.*

Sic ait.

,, *Reicit. Re naturaliter breuis eſt: & pro longa poſuit,*
,, *ſic alibi.*
,, *Reice, ne maculis infuſcent vellera fuſcis.*
,, *Quod licet poſſit excuſari: quia cum facit Reieci, inter*
,, *duas vocales, vocales i poſita producit ſuperiorem: vt*
,, *dicamus, eam longam eſſe ſpe: quæ per declinationem*
,, *longa futura eſt: tamen, quia in hac re argumentum ma-*
,, *gis eſt, quam ratio, dicamus Ectaſim factam: quæ poetis*
,, *plerumq; conceditur.*

Sed ad rem. Igitur ſtantibus adiumentis, quæ attulimus, genitiui hi, de quibus agimus, vno i tantùm ſcribendi ſunt. Vocatiui etiam, vt probatum eſt, pares ſunt genitiuis. Quamquam hos Vocatiuos interdum per συνίζησιν contrahi in pauciores ſyllabas non me latet. Sic facit Horatius lib. ij. Carm. oda vij.

,, *Pompi meorum prime ſodalium.*

pro Pompei.

Idem lib. 1. epiſt. vij.

,, *Durus ait Vulti nimis, attentuſq. videris.*

pro Vultei. Quoniam autem in hunc ordinem redegimus prænomen ,, *Caius*, libet admonere, illud modo duarum, modo trium ſyllabarum legi. Martialis.

,, *Egit Atheſtinus Cauſas, & Caius vterq;*

Auſo-

Auſonius.

,, *Quis tu? Caius ait, vis ne? & reliqua.*

Sic paulo poſt ibidem.

,, *Tum Caius: melius nil Eumone.*

Martialis lib. I.. trium ſyllabarum facit.

,, *Non mauis, quam ter Catus eſſe tuus.*

Lucillius lib. XI. apud Nonium in ,, *Damnare.*

,, *Caſſiu' Caius hic operariu', quem Cephalenem.*

Idem ferme accidit, cum in alijs ſimilibus, tum in voce. ,, *Boius* Silius lib. IV.

,, *Boiorum nuper populus turbauerat armis.*

Idem paulo poſt.

,, *Vnde Boiorum ſociata examina denſant.*

Quod additurus ſum, non eſt a ſuperiore argumento alienum. Maius (menſis nomen) Mai genitiuum facit priore ſyllaba remanente longa. Sic Nais Naidis, Lais Laidis: Thais Thaidis, in quibus omnibus τὸ ἰῶτα producit præcedentem vocalem.

Propertius lib. ij. elegia XXI.

,, *Suppoſita excipiens Nai Caduca manus.*

Quo in verſu ante male legebatur. Naica dona manu. Idem obſeruandum eſt in ,, *Laius* trium ſyllabarum apud Statium, & reliquos.

Nobiles etiam Grammatici, libriq; calamo ſcripti veteres, in primis Virgilij, & Gloſſarium vetus ſcribunt ſemper Di, & Dis, Grai, & Grais, non Dij, & Dijs: nec Graij, & Graijs.

Aquis Statiellorum eſt vetus marmor cum hac inſcriptione,

DIS
MANIBVS
SEPTICIAE
SVRAE
L. PETRONIVS
MELIOR

Etiam obſeruatum eſt in vetere Vaticanæ bibliothecæ libro ſcripto Tibulli verbum hoc, *Idem* Nominatiuo plurali, non ,, *ÿdem* ſcriptum eſſe. Verùm quid Grammaticos, & manum librariorum laudo? Audiamus Ciceronem in Oratore ſic loquentem.

,, *Nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur*
,, *Indicant horationes illæ ipſæ horridulæ Catonis: indicant*
,, *omnes poetæ præter eos: qui vt verſum facerent, ſæpe hia-*
,, *bant, vt Nauius. Vos, qui accolitis Iſtrum fluuium,*
,, *atq. Algidum.*

& ibidem.

,, *Quam numquam nobis Grai, atq. barbari.*

Ibidem aliquot poſt verſus.

,, *Idem campus habet, inquit Ennius, &*
,, *In templis isdem probauit. At eiſdem erat verius, nec*
,, *tamen eiſdem erat opimius, male ſonabat ÿſdem.*

Agellius de hac re agens lib. xv. cap. xvij. confundit ſonum vocalium cum quantitate ſyllabarum. Cicero in Oratore ad Brutum, & alibi dilucidius, & diſtinctius

eſt

Digitized by Google

eſt locutus. Egregie etiam a doctiſſimis viris Iulio Cæſare Scaligero, Lipſio, & [ſi memoria non me fallit) Caſteluetro de eadem hac ratione eſt diſputatum. Qui omnes proprijs rerum vocabulis eruditè, & perſpicuè docent, quantum a quantitate ſyllabarum vocalium ſonus, & pronunciatio differat. Sed ad ſuperius allata verba.

Quod Agellius tradit, in Obijcio, Conijcio, Inijcio, Obijces, Subijces, & Proijcio Præpoſitiones produci, quod.

ſecunda * littera in his verbis per duo ij, non per vnum ſcribenda eſt, ſatis ſupra videmur ſententiam iſtam diſcuſſiſſe: tamen addamus aliorum quoq; poetarum exempla: quorum alij corripiunt, alij præcedentem præpoſitionem. **al. ſyllaba.*

Silius Italicus lib. IV. corripit hoc verſu.

,, *Et fidos certant obices adoleſcere ſilua.*

Virgilius producit, vt ſupra allatis exemplis patuit, & demonſtratur verſibus his ſequentibus.

,, *Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra*, &

,, *Obijcibus ruptis*

&

,, *Obijce ſaxi.*

Sic facit Ennius in tragœdia, quæ Achilles inſcribitur verſu hoc allato ab Agellio.

,, *Ergo deum ſublimes ſubijces humidas.*

quo in verſu innouandum nihil eſſe cenſeo. Si tamen, & de ſyllabæ quantitate intelligit ipſe Agellius, & verſum ab Ennio auctore fideliter deſcripſit, Adhibeo autem hanc exceptionem; quoniam ijdem verſus (ſunt enim duo) aliter ab Agellio, aliter a Nonio, aliter a Feſto citantur. Agellius ſic.

,, *Ennius in Tragœdia, qua Achilles inſcribitur, Subijces*
,, *pro aere alto ponit: qui cælo ſubiectus eſt, in his verſibus.*

,, *Ergo*

,, *Ergo dum ſublimes ſubijces horridus.*
,, *Vnde oritur imber ſonitu ſæuo, & ſtrepitu.*

Nonius vero in ſignificatione vocabuli facit cum Agellio: in ratione verſus diſſentit, ſic enim habent eius verba.

,, *Subijces noue poſitum non a Subijciendo.*

(ſeruo ego hic ſcripturam cum duobus ij, quæ eſt in meo libro, cum tamen credam, auctorem vnico i, ſcripſiſſe.

,, *Sed altitudine.*
,, Per *ego Deum ſublimes, ſubijces, humidas.*
,, *Vnde oritur imber.*

Feſtus ab vtroq; Agellio, & Nonio & in explanatione vocis ,, *Subijces*, & in lectione verſus abit longe diuerſus: apud quem nunc ſic legitur totus locus.

,, *Subijces Ennius in Achille pro ſubiecto poſuit, cum dicit.*
,, *Nubes per ego Deum ſubices humidas.*
,, *Vnde oritur imber ſonitu aerio ſpiritu.*

In marginis area eſt.

,, *Inde oritur ſonitu ſæuo ſpiritu.*

Quoniam autem Ennij verſus a tribus auctoribus Feſto, Agellio, & Nonio non concordi ſententia legitur, Gabriel Faernus eruditus vir iudicauit, vocem ,, *Nubes*, de ſuo additam a Feſto; Ego tamen, Nonij explanationem non reiciens, libenter aut vocem illam a Faerno damnatam retineam: & verſum probem, qui eſt hic.

,, *Nubes per ego Deum ſubices humidas.*

aut loco Deùm ſubſtituam vocem ,, *Sublimes*, hoc modo.

,, *Nubes per ego ſublimes ſubices, humidas.*

& ſic lectus ſublime quoddam, & tragicum verſus ſpirabit. Porro, humidus ne, an humidas in eo verſu legatur, parui refert; Non enim minus recte Nubes humi-

das,

das, quam Imbrem humidum dicimus.

Quod ad alterum verſum attinet, admonet me Feſti lectio, fore verſum integrum, & elegantem apud Agellium, ſi pro ,, *ſtrepitu*, quæ vox eſt in Agellio, reponatur ,, *ſpiritu*. Scilicet, ne Trochæus inſit in Trimetro Iambico. Sicq; ſcribatur.

,, *Nubes per ego ſublimes, ſubices, humidas:*
,, *Vnde oritur imber ſonitu ſæuo, & ſpiritu.*

vel ſic.

,, *Per ego Deum ſublimes, ſubices: humidus:*
,, *Vnde oritur imber ſæuo ſonitu, & ſpiritu:*

Actij poetæ verſus huic perſimilis adfertur a Cicerone lib. ij. de Naturà Deorum: quem non eſt ſuperuacuum hìc adiungere.

,, *Fremebunda ex alto ingenti ſonitu, & friritu.*

Vbi Nizolius legi ſcribit aliter, Fremitu. Sed hoc pacto verſus Iambicus hoſtem ſuum Trochæum haberet. Priſcianus lib. de Comicis metris legit ,, *Spiritu.* recte, ſicq; rationi carminis eſt conſultum. Germani in ſua editione ſeruant ,, *Friritu.*

Porro in verſu, quem Agellius ex Epidico Plauti citat, pro ,, *pallium* legendum eſt *palliolum*, vt verſus, recte incedat, aliter claudicaret.

FRANC. CICERCIVS, RHETORVM antiquor, apud Mediolanienſes publicus interpres.

HEus, Lector, inquit, quiſquis es, modo in litteras bene animatus ſis. Hoc ipſum de rebus non vulgaribus σαίνταγκα, caue, putes ἀδέσποτον eſſe: ſed ſcias, ab Io. Mario Matio Brixiano, V.C. aliquot amicorum rogatu nuper fuiſſe conſcriptum: a Matio, inquam illo

polyſtiore, qui olim Alexandriæ Statiellæ, nunc Mediolani in Coleggio Diui Simonis, quondam Tægior, liberalitate inſtituto, ſumma cum bonorum omnium laude litteras Græcas, & latinas docet. Cuius quidem hominis animus cum ad ſeruiendum commodis, vtilitatiq; ſtudioſorum ſemper fuerit intentus; tam multa edidit, doctiſſimi cuiuſq; hominis lectione digniſſima, quam multa vnum de nobis habere puto neminem. Hoc te ſcire volebam, amice Lector. Vale. Mediolani, anno ∞ DXCV. Kal. Maij.

De vi duarum conſonantium M, & D, Propter a.

Cap. XXII.

DVas liquidas, duas Mutas, & Mutam ſequente Liquida non ſemper producere antecedentem ſyllabam breuem probant ea, quæ adferemus poetarum ſequentia exempla.

Ouid. lib. xiij. Metamorph.

,, *Biſtonijs habitata viris Polymneſtoris illic.*

Propertius.

,, *Et ſcelus accepto Thracis Polymneſtoris auro.*

Silius lib. viij.

,, *Ecce inter primos Teramneo a ſanguine Clauſus.*

Muſæus.

,, Δὴ τότε Λεανδρὸς περιθήμενος ἐλπίδι νύμφης.

Ennius apud Varronem lib. viij de lingua Latina.

,, *Subulo finitimas propter adſtabat aquas.*

Quo in verſu nonnulli docti viri legunt.

,, *Propter a ſtabat aquas.*

Vt

Vt ſit antiquo more dictum.

,, *Propterea.*

Pro noſtra vſitata præpoſitione Propter. Cuius excellentis viri acumen hìc valde probarem, niſi reluctetur natura vltimę ſyllabę Præpoſitionis,& Aduerbij,, *Propterea*: quæ longa eſt, vt in,, *Supera apud Ciceronem ex Arato.*

,, *Tornu' draco ſerpit, ſupter ſuperaq; retorquens.*

Sic Lucretius lib. I.

,, *Id quod iam ſupera tibi paulo oſtendimus ante.*

Verum redeamus ad propoſitam, & ad inchoatam cauſam. Horat.

,, *Forma captiua dominum Tecmeſſa.*

Petronius Arbiter.

,, *Et bacis redimita Daphne, tremulaq; Cupreſſi.*

Poſſem ex Græcis poetis non minus paradoxa exempla adferre. Sed petant ex illis obſeruando, qui volunt. Quæ ſequuntur additamenta non admodum ab hoc argumento diuerſa ſunt. M. interdum abicitur ſequente conſonante, remanente tamen vocale præcedente. Lucret. lib. ij.

,, *Lanigera pecudes, & equorum duellica proles.*

Quamquam ad vitandam nouitatem hanc doctiſs. Scaliger in voce hac quatuor ſyllabarum,, *Duellica*, duas primas ſyllabas in vnam contrahit, tamen Lucilij verſus, quem proferam ex lib. vij. Satirarum, vt eſt apud Nonium in,, *Fulgit, nullo modo hanc poteſt Eclipſim effugere.*

,, *Primum fulgit vbi caldum, & fornaceum ferrum.*

Sic illud Ennij apud Apuleium in oratione pro ſe ipſo.

,, *Quid? Scarum præterij cerebrum Iouis pæne ſupremi.*

quem tamen verſum video a nonnullis ακεφαλον ſcribi. D. quoque, & T. idem patiuntur. Lucilius apud Ciceronem

ceronem lib. ij. de Finibus.

,, *Lælius præclare, & recte Sophos, illudq. vere.*

Idem apud Agellium lib. xviij. cap. viij.

,, *Quo me habeam pacto, tametſi non quæris, docebo.*

Niſi forte hic quis malit in ,, *Tametſi . M. cum ſua præcedente vocali abicere, quod minus probo.*

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII

LIB. III.

Cap. I.

SVNT, qui Supinis, Sumptum, Emptum, Comptum, & alijs eiuſdem notæ vocibus cum ab eis deriuatis adimendam eſſe p, litteram putent. Ego contra cenſeo, motus cauſis, quæ ſequuntur.

Valerius Probus in libro de Notis Emptum,& Emptorem cum P,ſcribit. In tabula aerea antiquiſſima, quæ Reipub. temporibus inciſa fuit, quæq; edita eſt à Fuluio Vrſino, Emptum, Redemptum, Emptor, Exemptum, Emptio, eodem modo, quo dico ego, legitur. Marmora quoq; quædam vetuſta ſic habent. Nec aliter eſt in Gloſſario vetere. Quod ſi Grammatica eſt ſcientia loquendi ex vſu (neq; vero aliter ſcribimus, ac loquimur) Vſus autem eſt conſenſus bonorum felicis linguæ, profecto loquendum, & ſcribendum eſt, vt boni, felicis linguæ temporibus fecerunt. Quomodo autem locuti ſint illi,& ſcripſerint, Grammatici antiqui, libri auctorum veteres, tabulæq; aereæ, & marmoreæ fideliter teſtantur.

IOCVS,

Digitized by Google

IOCVS, VENVS, CVPIDO.
Omnipotens aecoris. Horatij loca duo illuſtrata.

Cap. 11.

AD verſus, quos apponemus ſecundæ Odes Horatij libri primi hos,

„ *Siue tu mauis Erycina ridens,*
„ *Quam Iocus circum volat, & Cupido.*

belle facit pictura relata ab auctore Epigrammatum Orbis, quam rei ante oculos ponendæ gratia hic expreſſam pingi curauimus.



MO-

Digitized by Google

MORAVIAE PROVINCIAE GERMANIAE MAG.

Epigramma repertum à Conrado Celte in Gemma ſignatoria, aureæ cruci inſertum in monaſterio Ritiſch iuxta Olmuntz. menſe Iulio Anno Domini M. D. IIII.



Oda v. lib. eiuſdem:

›› *Suſpendiße potenti*

›› *Veſtimenta maris deo*:

Cum his verbis Horatij facit nummus argenteus M. Agrippæ Coſ. III. in cuius altera parte eſt Neptunus cum his verbis. HIC OMNIPOTENS ÆCORIS.

PHRA-

Digitized by Google

PHRAARTES IRRETORTVS OCVLVS Diem frangere. Diffindere meridie. Horatij locus illuſtratus.

Cap. III.

QVoniam interpretes non planè explicant eam hiſtoriæ partem, quam tangit Horatius eo verſu lib. ij. Oda ij.

,, *Redditum Cyri ſolio Phraarten.*

viſum eſt breuiter admonere, vnde integra res tota peti poſſit. De hoc igitur Phraarte, quem alij auctores Græci perinde, ac Latini varie ſcribunt: ſed ſua cuique eſt ſcriptura relinquenda: quomodo ille patrem interemerit, & ſe regem conſtituerit: vtq; à populo ob impium, ac tetrum facinus regno ſit deiectus: iterumq; Scytharum auxilio regnum receperit, & cum Auguſto pacem æquis condicionibus fecerit: timenſq; à filio talionem, ne ſcilicet ab eo pelleretur, vt ipſe parentem eiecerat, filium ad Auguſtum vſq; in Hiſpaniam ſimulatione legationis, aut officij relegauerit ab ſe. Lege Plutarchum in Craſſo ad finem, & in Antonio: Iuſtinum lib. xlij. Strabonem lib. vj. & Dionem lib. xlviiij.

Ibidem apud eumdem Horat.

,, *Quiſquis ingentes oculo irretorto*
,, *Spectat aceruos.*

Lege lxxv. caput noſtrarum Adnotationum pridem editarum. Nam Lambinus magno conatu ibi agit nihil.

In oden vij. eiuſdem libri.

,, *Cum quo morantem ſæpe diem mero*
,, *Fregi*

Frangere diem mero eſt de meridie, aut etiam ante meridiem

ridiem non expectata legitima cenæ hora epulari. Varro lib. 1. cap. 11. de Re ruſtica Diffindere dicit his verbis.
,, *Ego hic, vbi nox, & dies modice redit, & abit, tamen*
,, *æſtiuo die, ſi non diffinderem meo insititio ſomno meri-*
,, *die, viuere non poſſem.*

In oden XVI. lib. I.
,, *O matre pulchra filia pulchrior.*

Imitatur Characis poetæ verſum à Suida relatum in voce χάραξ.

QVI FVERIT QVINCTILIVS APVD Horatium. Varus cognomen. Poſſeſsiua, Patronymica à Romanis nominibus.

Cap. IV.

Horatius Oda XXIV. lib. I. conſolatur Virgilium in morte Quinctilij communis amici. Nec conſtat, qui fuerit hic Quinctilius, quod fuerint plures eo nomine tunc Romæ Quinctilij. Quæramus nos. Duo fuere Quinctilij inſignes amici Virgilij, P. Quinctilius Varus cognomine, vir conſularis, de quo poeta intelligit Ecloga nona, his verſibus.
,, *Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.*
,, *Vare tuum nomen ſuperet modo Mantua nobis,*
,, *Mantua, væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ,*
,, *Cantantes ſublime ferent ad ſidera Cygni.*

De hoc intelligi hic apud Horatium nullo modo poteſt. Etenim mores Quinctilij, de quo intelligit Horatius, longè diſſimiles fuere moribus Quinctilij Vari conſularis, qui fama fuit parum ſecunda ob rapinas, & ſocordiam, concordantibus omnibus auctoribus, qui de adminiſtratis ab eo prouincijs ſcripſere.

Paterculus de hoc loquens,

,, *Præterea declarauit Syria: quam pauper diuitem ingreſſus*
,, *diues pauperem reliquit.*

Eiuſdem etiam rapinis effectum eſt, vt à Germanis totus exercitus eius trucidaretur, fato mirabili trium Quinctiliorum.

,, *Tribus (inquit idem Paterculus) Quinctilijs Varis ac-*
,, *cidit, auo, patri, & filio: vt ſibi ferro vitam adimerent.*
,, *Duci plus animi ad moriendum, quam ad pugnandum fuit.*
,, *Quippe paterni, auitiq; exempli ſucceſſor ſe ipſe tranſfixit.*

Præterea Virgilius xxvij. annis ante Varianam cladem obijt, auctoribus Donato, Euſebio, & ijs, qui Faſtos conſcripſerunt.

Alter fuit Quinctilius Vari, & ipſe cognomine. Id colligo ex commentarijs vtriuſq; Acronis, & Porphirionis corruptis in verſum illum Epiſtolæ ad Piſones de Poetica.

,, *Quinctilio ſi quid recitares, corrige ſordes*
,, *Hoc aiebat.*
,, *Hic Quinctilius (inquiunt Acron, &* Porphirio*) erat Va-*
,, *rus poeta Cremonenſis amicus Virgilij.*

in quorum tamen verbis Varius male legitur pro Varus. Varius enim gentile nomen eſt, non cognomen. Hic eſt ille Quinctilius, quem hìc deflet Horatius. De cuius Prænomine comperti habeo nihil. L. Varius fuit Orator, poeta Epicus, & Tragicus, ſcripſit etiam Eclogas. Hæc diſcimus ex Horatio, & eius interpretibus, & Virgilio. Hunc eum fuiſſe credo, cui cum Plotio Tucca post obitum Virgilij mandatæ ſunt ab Auguſto partes recognoſcendi certis conditionibus Aeneidem ab auctore relictam, morte interueniente, non recognitam. Quamquam pro vario multi male Varum ſcribunt. Addam corollarium.

Conſueuere res inſignes à gentilibus ducum nominibus,

bus,non à cognominibus appellationem ſortiri. Itaq; legimus ,, *Foſſas Marianas*: *Caſtra Corneliana*: & alia eodem modo. Attamen clades, quam Quinctilius Varus accipit, a cognomine Variana eſt appellata. Credo, quod cognomine quam nomine eſſet natior. Sic Foſſæ Druſianæ Cornelio Tacito lib. Annal.ij. Sic Lepidianæ feriæ Ciceroni, lib. ad Atticum vi. Idem obſeruatum eſt in Patronymicis: Appiades à Prænomine: Scipiades à Cognomine: quod hic Cognomine, ille Prænomine frequentius appellabatur. Memmiades vero apud Lucretium eſt à Nomine, quoniam ei cognomen, vel nullum fuit: vel parum celebre. Varum prætereà fuiſſe cognomen aliquot quoq; aliarum Gentium notum eſt ex Ligariana Ciceronis, ex Plutarchi Catone, Dione, Oroſio, & Faſtis.

NEFAS MARE AVIDVM Paphiæ Veneris, & templi forma. Neceſsitas Serua.

Cap. V.

Nefas in eo Horatij verſu Odæ xxiv. lib. 1.

,, *Quidquid corrigere eſt nefas.*

expono ego οὐ θέμις. Suidas in Ἀλλ' οὐ θέμις. alij interpretantur ἀδύνατον, vtrumq; recte. Sed prior expoſitio magis placet.

Oda xxviij.

,, *Exitio eſt auidis mare nautis.*

Acron videtur legere,,*Exitio eſt auidum mare nautis*, ſcilicet eo modo, quo auidum Orcum legimus, vtraq; lectio optima, ſed Acroniana figuratior.

Oda xxx.

,, *O Venus regina Gnidi, Paphiq;*

Templi Paphiæ Veneris ſitum,& formam Deæ (neq; enim alibi ſic exprimebatur, & colibatur) lege cum aliquot alijs paradoxis hiſtorijs ſiue fabulis Cornelium Tacitum lib. xviij.

Oda xxxv.

,, *Te ſemper anteit ſaua Neceſſitas.*

Lambinus aſſeuerat in libris vetuſtis legi,, *Saua.* non ,, *Sæua.* At Pierius lib. xlviij. capite de Clauo, teſtatur, ſe in libris antiquiſſimis obſeruaſſe ſcriptum eſſe,, *Serua.* quam ſcripturam ego ſic probo, vt omnino retinendam cenſeam. Neceſſitatem enim antiqui Fortunæ ſeruam finxere, & quidem πρόπολον. Ideo Horatius vim & notionem græci vocabuli προπόλου expreſſurus verbis Latinis dicit, Seruam Fortunæ Neceſſitatem anteire.

GYGES, ET GIGAS PRIOREM HABENT ſyllabam communem. Horatij quædam loca non mutanda. Lambinum falli. Moneſes. Plutarchum ab Horatio diſſentire. Parthorum Rex. Cotiſo Dacorum Rex.

Cap. VI.

Lambinus ferre non poteſt, Gyges apud Horatium legi priore breui. Itaq; non ſolum in hoc poeta, ſed vbicumq; apud alios ſic inueniatur, cenſet loca eſſe corrupta: & pro ea voce Gyam reponendum iudicat. Verum exempla poetarum, quæ adferemus, falli eum docebunt. Suntq; hæc breuis ſyllabæ exempla.

Ouidius.

,, *Centimanumq; Gygen, ſemibouemq; virum.*

ſic enim libri veteres habent, vbi bis repetita copula-

tiua

tiua coniunctio venuſtiorem verſum facit.

Idem elegia prima ſecundi Amorum.

,, *Centimanumq; Gygen, & ſatis oris erat.*

Seneca Hercule Oetæo.

,, *Qui vaſtus Briareus: qui tumidus Gyges.*

Automedon, ſiue Anacreon lib. ij. Epigrammatum Græcorum.

,, Ου μοι μέλει γύγεω.

Gregorius Theſſalonicenſis.

,, Θέλει γύγεω τὰ ϰ τά.

Longæ vero ſyllabæ exempla ſunt, quæ ſequuntur Virgilius.

,, *Succiſo poplite Gygen.*

Horatius Oda v. lib. ij.

,, *Luna mari, Gnidius ve Gyges.*

Idem oda vij. lib. iij.

,, *Gygen, ille notis actus ad Oricum.*

Alphæus lib. I. epigrammatum Græcorum.

Ο' υκ ολβο ν πολύχρυσον, ἐπα Γύγης.

Propertius lib. iij.

,, *Lydia Gygeo facta puella lacu.*

Vt iam mirandum non ſit, Horatium quoq: vocis eiuſdem menſuram ad commodum ſuorum carminum aptaſſe. Quaſi deſint exempla poetarum: qui in eodem verbo eamdem vocalem modo productam, modo correptam collocarint.

Sedigiti Volcatij licentiam, atq: Horatij ſupra retulimus in verbo ,, *Licinius*. Itaq; ſi quis ſibi interdum parum conſtat in quantitate alicuius ſyllabæ, aut ſi duo plures ve inter ſe diſcordent, mirum cuiquam non debet videri.

Lib.iij. Oda vi. Horatius de Moneſe duce Parthorum loquens abit diuerſus a Plutarcho, qui in Antonio tradit, Antonium multum ſecretis nuncijs a Moneſe adiu-

adiutum fuiſſe. Horatius autem ſcribit, Romanos clades a Moneſe accepiſſe his verſibus.

,, *Iam bis Moneſes, & Pacori manus*
,, *Non auſpicatos contudit impetus.*

Oda viij. lib. iij.

,, *Occidit Daci Cotiſonis agmen:*
,, *Medus infeſtis ſibi luctuoſis*
,, *Diffidet armis.*

De Cotiſone Dacorum rege a Cornelio Lentulo Auguſti legato in Pannonia ſuperato Paterculus, Florus, & Eutropius. Medos autem, ideſt Parthos tunc inter ſe dicit diſſidentes: quod pulſo Phraarthe a populo, vt ſupradiximus, Tyridates rex creatus fuerat, qui tamen, Phraarthe a Scythis reſtituto Romam ad Auguſtum cum filio Phraarthis indiligentiùs cuſtodito confugit.

PVRPVRA CANDIDA apud Horatium. Lambini error. Acuta belli.

Cap. VII.

ODA prima lib. iij. non Veneri canitur. Itaq; inſcriptio mutanda, & Q. Fabio Paulo Maximo attribuenda. Cui in conſulatu collega fuit M. Antonius Iulus M. Antonij Triumviri filius Africanus, ad quem ſequens ſtatim Oda ſcribitur. In hac oda ad Q. Fabium ſunt hi verſus.

,, *Tempeſtiuius in domo*
,, *Pauli purpureis ales oloribus*
,, *Comiſſabere Maximi.*

Lambini audacia hîc decipiat neminem, qui non dubitauit

Digitized by Google

bitauit vocem ,, *purpureis* in marmoreis vertere: quoniam latuit hominem, eſſe etiam genus purpuræ candidæ, quod iam pridem ab Hermolao Barbaro traditum eſt. Hoc non fefellit olim Plutarchum, qui in Alexandro candidæ purpuræ meminit: nec C. Pedonem Albinouanum, in cuius carmine ad Mæcenatem eſt hic verſus.

,, *Brachia purpurea candidiora niue.*

Cautior fuit in eius verbi ſignificatione explicanda Porphirio, qui purpureis pulchis interpretatur. Qua in ſignificatione etiam Virgilius dixit.

,, *Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.*

Sed idem Lambinus in Muſtaceo Lauream quærens, in eum verſum Horatij oda IV. libri quarti,

,, *Expediunt per acuta belli.*

verba multa impendit, vt doceat, legendum eſſe, vt legitur ,, *per acuta belli*, *non acuta bella*: quaſi Porphirio non multis ſæculis ante admonuerit, legendum eſſe ,, *acuta belli*: non *acuta bella*. Acuta autem belli ego eſſe exiſtimo, non quæ ſcribit Lambinus, ſed momenta, & occaſiones, vt poeta reſpiciat ad nouaculam: quam manu geſtari ab Occaſione Dea eleganter fingit Poſidippus lib. IV. Epigrammatum Græcorum. Et quis neſcit, momenta, vel minima in bello ſemper [ne plerumq; dicam] inclinationes habere inſignes? & vel lætos captata, & adrepta: vel triſtes neglecta exitus ferre? Itaq; probe in hanc ſententiam idem Poſidippus.

,, Χειὶ δε δεξιτέρῃ τὶ φέρεις ξυρὸν; ἀνδράσι δεῖγμα,
,, Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

Legantur etiam prouerbia in acie nouaculæ, & noſce tempus.

ARBI-

ARBITRIA. IVSTA. FVNERA. *Exequiæ. Ciceronis locus declaratus.*

Cap. VIII.

INterpræetes Horatij exponunt.
,, *Arbitria fecerit, iudicarit, & ſententiam tulerit,* ad eum verſum Odæ vij. lib. IV.
,, *Cum ſemel occideris: & de te ſplendida Minos.*
,, *Fecerit arbitria.*

Ego non memini legere ,, *Facere arbitria*, aut ,, *Facere ſententiam pro iudicare*; cum tamen Facere præiudicium frequenti ſit in vſu. Contra, cum Facere funus, Facere Iuſta, Facere Iuſta funerum, Facere Iuſta funera, Conficere Iuſta, & Soluere Iuſta funeri latine optime dicatur; quibus modis Cic. atq. alij vſi ſint, videor facere poſſe ſine ſuſpicione temeritatis, ſi hic apud Horatium ſuſpicer fecerit arbitria nihil aliud ſignificare, quam ſepulturæ mandatus ſis, & ſplendida iuſta mortuo ſint perſoluta; ideſt cum obieris. Et ſi enim triſtem ſententiam Minois ſequitur mors, tamen verbum hoc, *Splendida non ad iudicia*, ſed ad funerum magnificentiam egregie eſt accommodatum. Cicero etiam alicubi ſumptuoſa dicit Hic autem Ciceronis verba in oratione poſt reditum ad Senatum æmulatur feliciſſime ſine dubio Horatius. Verba Ciceronis hæc ſunt.

,, *Nondum palam factum erat concidiſſe Rempub. cum tibi arbitria funeris ſoluebantur.*

Ecce quod Cicero ait. ,, *Concidiſſe Rempub.*, Horatius ,, *Cum ſemel occideris*, dicit, & quod idem Cicero

,, *Ar-*

Digitized by Google

„ *Arbitria funeris ſoluebantur*, Horatius explicat.

„ *Et de te ſplendida Minos Fecerit arbitria.*

Aliud exemplum Ciceronis eſt ſuperiori ſimile in oratione pro domo ſua.

„ *Vidi prætextatos inimicos nondum morte complorata*
„ *arbitria funeri petentes.*

& in Piſonem.

„ *Eodem in templo arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ*
„ *funeris abſtuliſti.*

Exempla autem earum, quas dixi, figurarum non appono: quoniam ſine vllo negocio quiſq; ſibi petere poteſt ex Nizolijs. Confectis Iuſtis funebribus dixit Cæſar lib. vj. de bello Gallico.

Quod addam ſuperpondij loco erit.

In verbis illis Ciceronis.

„ *Non palam factum erat concidiſſe Rempub. cum tibi*
„ *arbitria funeris ſoluebantur.*

Hoc in loco Ciceronis verbum illud „ *ſoluebantur*, venuſtam habet dilogiam. Nam proprie Soluere arbitria funeris eſt funus facere, curare funus faciendum ſoluere Iuſta funeri, Iuſta facere: & ſiquæ aliæ ſunt formulæ huiuſmodi. At hic alio, ſed tamen coniuncto ſenſu accipi debet, hoc pacto interpretando. Qui ſumptus fieri, & qui honor haberi ſolet mortuis, ille habitus, & perſolutus eſt tibi, perſolutus, inquam (hic enim eſt διλογία) ideſt, pro mercede ruinæ meæ & euerſæ Reipublicæ, atq; oppreſſæ prouincia tibi decreta eſt.

Digitized by Google

HORATII VETVS LECTIO retenta, plures eiuſdem loci illuſtrati. Luxere.

Cap. IX.

ODA prima Epodon Horatij ſunt hi verſus.

„ *Vt adſidens inplumibus pullis auis*
„ *Serpentium adlapſus timet:*
„ *Magis relictis, non vt, adſit, auxilij.*
„ *Latura plus, præſentibus.*

Legunt hic aliqui „ *Minus relictis*, ſed peſſima eſt iſtorum lectio. Ordo & ſenſus verſuum hic eſt. Mater auis pullis inplumibus timet quidem adſidens: magis tamen timet relictis, non quod plus auxilij adlatura ſit auicula ſcilicet imbecilla, ſi adſit.

Oda tertia eiuſdem libri.

„ *O dura meſſorum ilia:*
„ *Quid hoc veneni ſæuit in præcordijs?*

Ex interpretibus nemo ſatis hinc ſe explicat in ordine verſus poſtremi. Lambinus, & Cruquius ſenſum adſecuti verba duo ingerunt in explicando minime omnino neceſſaria, ſic exponentes. Quid eſt hoc veneni, quod ſæuit in præcordijs? Ego mihi perſuadeo, verbum illud „ *hoc* parelcon eſſe, abundat enim, more ſcilicet antiquis ſcriptoribus vſitato, præſertim in eiuſmodi Pronominibus, vt patebit exemplis.

Cicero lib. 1. Epiſt. ad Lentulum.

„ *Quem ipſum cum video, prorſus eum omni ſuſpicione*
„ *libero.*

quibus in verbis abundant duæ voces „ *Ipſum*, & *Eum*. Plautus.

„ *Hunc*

,, *Hunc clamydatum, quem vides, ei iratus eſt Mars.*

Terentius Heautont.

,, *Hanc ſecum huc adduxit ea, quæ eſt ad uxorem tuam.*

Oda VI. eiuſdem libri.

Quin huc inanes, ſi potes, vertis minas.

Cruquius legit ,, *verte*, ſed male, haberet enim Iambicus verſus.

Trochæum a iambico verſu excluſum.

Oda XVI. eiuſdem libri.

Ruinam futuræ aliquando vrbis Romæ præſagit nolens Horatius, nec falſus fuit vates: cum deteſtans ciuilia bella ſic queritur.

,, *Feriſq; rurſus occupabitur ſolum.*

,, *Barbarus, heu, cineres inſiſtet victor: & vrbem*

,, *Eques ſonante verberabit vngula.*

Hæc calamitates contigerunt anno a Domino noſtro IESV CHRISTO nato quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, vrbe a Totila capta, direpta, & tota prope funditus euerſa. Auctores ſunt Marcellinus Comes, & Otho Friſingenſis.

Oda xvij. eiuſdem libri.

Quod teſtatus ſum alibi, idem hìc quoq; repeto: ſuam veterem ſcripturam auctoribus eſſe conſeruandam: etiã ſi meliorem poſſis ſubſtituere. Id ideo dico: quoniam Lambinus ad odam xvij. Epodon, vbi libri omnes antiqui habent, ,, *Vnxere* in hoc verſu.

,, *Vnxere matres Iliæ addictum feris.*

,, *Alitibus atq; canibus homicidam Hectorem,*

legendum longa diſputatione adſerit ,, *Luxere*. Sed prædicet, & præcipiat alijs Lambinus iſta. Mihi certe non perſuadebit. Mortem Hectoris luxere & ſtatim eo interempto, & toto eo tempore, quo eius cadauer ab Achille eſt retentum. Vnxere autem, poſtea quam inpotentem iram domuit exoratus Achilles, & pla-

cetus: patriq; redemptum conceſſit. Itaq; ſubdit ſtatim poeta.

„ *Poſtquam relictis mœnibus Rex procidit,*
„ *Heu, peruicacis ad pedes Achillei.*

Conſilium poetæ Lambinus non eſt aſſecutus. Studet enim Horatius probare exemplis, nullum dolorem, nullamq; iracundiam tantam vmquam fuiſſe in quoquam, vt non aliquando animus flexus ad æquitatem redierit: finemq; fecerit dolori, & furori, ſententia igitur eſt: Etiam Achilles, quamquam ira prope inexpiabili exardeſceret, aliquando tandem tamen illam conculcauit, & placatus eſt: cadauerq; Hectoris reddidit, vt commendari ſepulcro poſſet. Id enim ſignificat verbum hoc „ *Vnxere*. Tunc enim vngendi, & iuſta cætera ſoluendi facultatem habuerunt Iliæ matronæ, cum Achilles ira ſopita, & depoſita cadauer reddidit. Concluditq; Horatius, & ait, exemplo illius etiam Canidiam debere tandem odio modum, finemq; ponere. Quod ſi aliquo in libro legeretur „ *Luxere* (quod tamen nemo aſſerit) eamdem tamen illi ſententiam tribuerem, quam dixi, loco iſti: agnoſceremq; ibi eum ſenſum in quo accepit Cicero: cum interrogatus, quid agerent coniurati, reſpondit, Vixerunt.

QVID APVD HORATIVM ſignificent Noua, & ficta verba Parce, Adſpergere.

Cap. X.

IN epiſtolam de Poetica ad Piſones poſt tot excellentium virorum lucubrationes fortaſſe temerarium ſit quidquam audere amplius aliquem: Attamen quid agas?

agas? Nec omnes omnia vident, & norunt: & pridem ſic viuitur: Scripturimuſq; pleriq; omnes ad inſaniam, & pruritus morbi huius his vnguibus eſt ſcabendus. Præterea hæc epiſtola eſt pictura prætereuntes omnes ſpectans: ideſt, vniuerſis præbens amplum multarum, & ſæpe diuerſarum atq; inter ſe contrariarum coniecturarum, & formarum argumentum. Proponamus nos quoq; quibuſdam in locis eius epiſtolæ opinionem noſtram, relicturi omnino doctioribus illius iudicium.

,, *Et noua fictaq; nuper habebunt verba fidem, ſi*
,, *Græco fonte cadant parce detorta.*

Parce detorta non habent eam vim, quæ parcitatem (vt vtar verbo Senecæ), & raritatem ſignificent, ſed monent, nouata verba tunc probatum iri, & placitura: ſi de Græco aliquo verbo ſint non penitus, ideſt etymologia integra ſeruata, ſed ſi aliquantulum ſit deflexum, diſceſſumq; à principijs verbi ſua naturaliq; in vicinam, aut cognatam ſignificationem, veluti dicamus, illa non eſſe à fonte, ſed quaſi per diuidicula aliò deducta, & detorta. Ecce, quem Græci λυτῆρ dicunt, ſi ſolutorem vertiſſent noſtri, nihil à fonte Græco eſſet diſceſſum. Itaq; egregie, & perite Liberum vertentes detorſerunt non nihil à fonte, & deflexerunt, diſceſſuſq; iſte pauculus reddit verbum, figura ipſa etiam adiuuante, gratius, & venuſtius. Detorquere autem ſignificare id, quod dico, probant multa multorum exempla, ſed vno contenti erimus Ciceronis de Vniuerſitate.

,, *Eumq;, qui erat eiuſdem detorſit à latere in dextram*
,, *partem.*

Græci quoq; auctore Polluce lib. vij. cap. xI. πλύνειν, καὶ πλύνεσθαι dicunt pro λοιδορεῖν. Horatius quanta cum Venere dixit Adſpergere? eo verſu vI. Satiræ lib. primi?

,, *Quauis adſpergere cunctos,*

,, *Præ-*

,, *Præter eum, qui præbet aquam?*

Porro verba illa.

,, *Noua ficta q;*

Το αὐτὸ ἐστιν, Sic, *natum, inuentumq;* hoc verſu.

,, *Sic animis natum, inuentumq; poema iuuandis.*

Sic Cicero non ſemel dixit *Nouamus, & facimus*: *Formamus, & fingimus*: ſine vlla varietate ſenſus.

DE IMMITATIONE HORATIUM decipi. De Epopœia, & Tragœdia.

Cap. XI.

VNum ex tribus immitandum poetæ præcipit Ariſtoteles.

Vel qualia erant, aut ſunt.

Vel qualia dicuntur, & videntur.

Vel qualia eſſe oportet.

Horatius tria hæc Ariſtotelis præcepta adſtrinxit in Epiſtola de Poetica cum ſic ſcribit.

,, *Aut famam ſequere: aut ſibi conuenientia finge.*

quibus in verbis priora duo Ariſtotelis præcepta Horatius vno nomine Famæ compræhendit: ſcilicet, Qualia erant, aut ſunt, & Qualia dicuntur, & videntur. Quodque Ariſtoteles vocat,

,, *Qualia oportet*, Horatius vertit.

,, *Aut conuenientia finge.*

Ibidem.

,, *Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes*

,, *Perſonam formare nouam, ſeruetur ad imum,*

,, *Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.*

Cum Ariſtoteles, & Strabo lib. ij. doceant, argumentum

Digitized by Google

tum fabulæ ſumendum eſſe ex hiſtoria, ideſt ex re, quæ fuit, aut eſt, aut etiam ex re, quæ dicatur, & videatur, & ſit vulgi opinione recepta: cumq; Epici, & Tragici viam hanc vniuerſi triuerint, videtur Horatius iuſta repræhenſione carere non poſſe, quando concedit cuiq: facultatem fingendi ſibi argumentum rei, & perſonæ nouæ, inexpertæ, quæ hactenus non fuerit, & de qua ſit opinio nulla. Noui quidam interpretes exiſtimant, Horatium de Perſona tantùm ſentire, ſed verba poetæ aperti mendacij eos arguunt, nam diſtinctè diſerteq: Horatius de vtroq: præcipit. De re, cum dicit,

„ *Si quid inexpertum ſcenæ committis.*

De perſona cum addit,

„ *Et audes perſonam formare nouam.*

& paulo poſt.

„ *Rectius Iliacum carmen deducis in actus,*

„ *Quam ſi proferres ignota, indictaq; primus.*

vt omnino negari non poſſit, quin Horatius de vtriſq: Re, & Perſona præcipiat. Atq;, quod ad Perſonam adtinet, concedo, Perſonam nouam fingi à poeta poſſe: ſed quæ non ſit princeps perſona fabulæ. Vt in Aiace Maſtigophoro Sophoclis, principes perſonæ ſunt Aiax, & Vlyſſes, in Electra eiuſdem, Oreſtes, & Electra. Has perſonas non finxit poeta, ſed ex hiſtoria eſt mutuatus, propterea mutari non poſſunt. Reliquas perſonas fingere ex libidine poeta poteſt, vt Mineruæ, & Pædagogi. Sed laxata ab Horatio nouis poetis licentia de Perſona, & Re ignota, indicta, noua, & à nouo poeta excogitata, cuius nulla hiſtoria, nulla fama, & nulla opinio extat, traxit in fraudem Arbeccæ auctorem ætate noſtra Fracaſtoriumq:& nonnullos alios, qui in ſuis poematis commenti ſunt fabulas ſine vllius hiſtoriæ, aut famæ vulgaris, aut opinionis fundamento. Etſi autem Horatius hic de Tragœdia tantùm, tractat, quod apparet ſatis,

cum

Digitized by Google

cum Scenæ, & Actus meminit, tamen idem præceptum etiam ad Epopœiam pertinet.

PROICIO SERMO PEDESTRIS

Perpenſus locus in epiſtola Horatij de Poetica.

Cap. XII.

,, ET *Tragicus plerumq; dolet ſermone pedeſtri*
,, *Telephus, & Peleus.*

Non incommode ordinari hæc poſſent verba: ſi Theſeus, & Peleus antecedant verbum ,, *dolet*: non autem cum ſequente verbo ,, *proicit iungatur*, hoc modo. Et tragicus Telephus, & Peleus plerumq; dolet ſermone pedeſtri, totumq: locum ſic interpungas.

,, *Interdum tamen, & vocem comœdia tollit:*
,, *Iratuſq: Chremes tumido dilitigat ore.*
,, *Et tragicus plerumq: dolet ſermone pedeſtri*
,, *Telephus, & Peleus: cum pauper, & exul vterq:*
,, *Proicit ampullas, & ſeſquipedalia verba,*
,, *Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querella,*

Nam quemadmodum de Comœdia loquens Horatius, poſteaquam de Comœdia mentionem fecit, ſtatim comicarum perſonarum nomina ſubiungit ſic dicens,

,, *Interdum tamen, & vocem Comœdia tollit:*
,, *Iratuſq; Chremes tumido dilitigat ore.*

Sic de Tragœdia agens poſt Tragœdiæ mentionem debuit Tragicarum perſonarum teſtimonium adferre, quod continget, ſi verba ordinentur, vt diximus, ſed hoc propono, non ſtatuo.

Quod autem interprætes veteres, & noui exponunt ,, *Proicit, abicit, & deponit*, eo modo, quo Virgilius dixit,

Pro-

„ *Proice tela manu ſanguis meus*,

Omnino rectè ſentiunt, non tamen negandum fuit, quod faciunt, Proicere interdum eſſe proferre, & promere, alioqui peccaſſet Virgilius, cum lib. v. dixit.

„ *In medium geminos immani pondere Caſtus*

„ *Proicit*.

quod Donatus quoq; ſentit, qui interpraetatur

Protulit.

Pedeſtris autem ſermo cum alibi proſam orationem etiam apud Horatium ſignificet, tamen hic pro humili, demiſſo, & abiecto, atq; ſupplici eſt accipiendus.

CYCLICVS AN STASIMVS *Paruæ Iliadis auctor fuerit. Euſebij locus adnotatus. Leſcoleſinus.*

Cap. XIII.

„ NEc ſic incipies, vt ſcriptor Cyclicus olim,

„ *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

De Cyclo poemate, & Cyclico poeta ſuperuacaneum eſt quidquam addere ad ea, quæ ſupra nos diximus, & quæ obſeruauit in Catullianis commentarijs Ioſephus Scaliger vir is, in quo ſingularis eruditio certat cum nobiliſſimi generis ſplendore. Vnum ibi in diſquiſitionem adduci fortaſſe poteſt, Si Staſimum Paruæ Iliadis auctorem facimus, quod ille ſentit, Iliadis autem Paruæ primus verſus hic fuit.

„ ἴλιον ἀείδω, καὶ δαρδανίην ἐϋπωλον,

quid excogitabimus, vt perſuaderi nobis æquo animo patiamur, poetam illum, quem Horatius Cyclicum appellat à vitio immenſi, & numquam finiti, & eodem ſemper recurrenti: poematis (eſt enim ἐν τῷ κύκλῳ, vt

initium nullum, ſic finis nullus) Staſimum fuiſſe? cum à Græco, quem citauimus, primo Paruæ Iliadis verſu longè diuerſiſſimus ſit hic Cyclici poetæ verſus ab Horatio ſic latine redditus?

„ *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

Quid eſt etiam, quod Euſebius lib. IV. Olympiadis XXX. Leſcoſelinum quemdam eadem ætate cum Alcmæone, auctorem adnotat Paruæ Iliadis? An Leſcoſelinum (ſic enim diſerte in meo manu in Pergamenis ſcripto libro ſcribitur) Staſimum appellatum eſſe cognomine dicemus à nugis? λέσχαι enim id ſignificat.

LOCVS HORATII EADEM epiſtola non rectè ab interpretibus declaratus. Fabulæ conſtitutio. Indignatio. *Cap. XIV.*

„ *FIcta voluptatis cauſa ſint proxima veris.*
„ *Nec quodcumq volet, poſcet ſibi fabula credi.*
„ *Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.*

Credunt interpræetes poetæ, tradi ab Horatio hic præceptum,

„ *Non eſſe* (verba ſunt interpræetum) *in fabulis fingen-*
„ *dum ex Lamiæ aluo viuum puerum extrahi, quem paulo*
„ *ante ſua ingluuie deuorauerit.*

ſed falluntur. Immo, niſi huiuſmodi miracula fingeret poeta, poeſis fundamentum maximum conuelleretur. Quoniam fabula conſtituitur ab optimis poetis ex argumento earum etiam rerum, quæ fieri non poſſunt, dummodo fama, & vulgi opinione ſint receptæ.

„ προαιρεῖσθαι δεῖ (inquit Ariſtoteles) ἀδύνατα, καὶ εἰκότα
„ μᾶλλον, ἢ δυνατὰ, καὶ ἀπίθανα.

quo in loco poſuit Ariſtoteles εἰκότα pro πίθανα. vt non multo

multo poſt ab eodem auctore docemur ſic repetente.

,, *πρὸς τε γὰρ τὴν ποίησιν αἱ ρετώτερον πίθανον ἀδύνατον, ἢ ἀπί-*
,, *θανον, καὶ δύνατον.*

Docet ergo Horatius, poetæ non eſſe enixius laborandum, poſtulandum ve, vt fabulam ſpectatores verum eſſe credant, quod obtinere conati nonnulli mali poetæ oculis ſpectatorum interdum facinora, & flagitia ſubiciebant malo exemplo, & euentu etiam infelici, abhorret enim animus, atq; oculi celeres, & fidi ad animum nuncij à ſpectando atrocia, & facinoroſa. Itaq; hanc rem omnino non tentandam paulo ſupra probat his verſibus.

,, *Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur:*
,, *Segnius irritant animos demiſſa per aures,*
,, *Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ*
,, *Ipſe ſibi tradit ſpectator. Non tamen intus*
,, *Digna geri promes in ſcenam, multaq; tolles*
,, *Ex oculis: quæ mox narret facundia præſens.*
,, *Nec pueros coram populo Medea trucidet.*
,, *Aut humana coquat exta nefarius Atreus.*
,, *Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.*
,, *Quodcumq; oſtendis mihi ſic, incredulus odi.*

Ibidem.

,, *Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Choerilus ille.*
,, *Quem bis terq; bonum cum riſu miror: & idem*
,, *Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus:*
,, *Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.*

Quidquid dicant poſt Petrum Victorium Iaſon, Lambinus, & alij, perſto ego in ſententia: quam in libro mearum Adnotationum pridem declaraui cum approbatione excellentium virorum: qui librum illum meum legerunt. Omnino Indignor verbum Horatij, refertur ad felicem caſum Choerili, indigni tamen felicitate illa, quaſi dicat poeta, Admiror, & rideo felicem illum, vt interſeris iactum, æquo tamen animo ferre non poſſum,

excandeſco, doleo, & indignor, ſortem eam, & fortunam contigiſſe ea felicitate indigno. Quis autem neſcit, Indignationem eſſe ægritudinem naſcentem in animis hominum: quando non merenti, & indigno boni aliquid contingit? iſta: De Riſu porro, atq; Admiratione ſi quiſcupiunt legere ſcitu ad hanc cauſam opportuna, adeant Vincentium Madium ciuem meum, Fracaſtorium, & aliquot alios: qui ætate noſtra docte, & ſapienter de vtriſq; ſcripſerunt.

HORATIVM NON RECTE diſſentire a Cicerone. Pythia Canere. Pliniÿ locus emendatus.

Cap. XV.

IN eadem epiſtola Horatius ſic ſcribit.

,, *Mediocribus eſſe poetis*

,, *Non homines, non Di, non conceſſere columnæ.*

At longe aliter ſentit Cicero, cuius iudicium multis partibus iuſtius Deorum, hominum, ac columnarum interdicto antepono. Ciceronis verba hæc ſunt in Oratore ad Brutum.

,, *An in poetis niſi Homero ſoli locus eſt, vt de Græcis lo-*
,, *quar? aut Archilocho? aut Sophocli? aut Pindaro, &*
,, *non horum ſecundis? aut etiam infra ſecundos?*

Ibidem.

,, *Inuitum qui ſeruat, idem facit Occidenti.*

Seneca Thebaid. ex hoc Horatij verſu belle ludendi occaſionem nactus ſic argutantem inducit Oedipum.

,, *Nolentem, in æquo eſt, & qui properantem impedit.*
,, *Occidere eſt vetare cupientem mori.*
,, *Nec tamen in æquo eſt, alterum grauius reor.*

,, Malo

Digitized by Google

,, *Malo imperari, quam eripi mortem mihi.*
Ibidem.

Cæcutiunt interpretes in expoſitione hemiſtichij huius.

,, *Qui Pythia cantat.*

ego expono, qui in Pythijs cantat. Sic Plin. lib. xxxv. cap. xv.

,, *Alchimachus Dioxippum, qui Pancratio Olympia citra*
,, *pulueris iactum, quod vocant aconiti: coniti Nemea.*

Vbi tamen libri vulgati habent,, *Olympiæ*, male, nam & ratio ſic, & vſus poſtulat: & ſtatim ſequitur.

,, *Coniti Nemea.*

Apuleius quoq; ſic locutus eſt in libro de Dogmate Platonis, ſic ſcribens.

,, *Tantoſq; progreſſus exercitatio contulit ei, vt Pythia,*
,, *Iſthmia de lucta certauerit.*

Huiuſmodi vero formulæ apud Lucianum non ſemel leguntur. Horatius quoq; epiſtola prima, libri primi.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax.
,, *Magna coronari contemnat Olympia? cui ſpes,*
,, *Cui ſit condicio dulcis ſine puluere palma?*

Legantur quoq; quæ in hos verſus paulo poſt ſum dicturus.

IN EADEM EPIST. SENES

δυσελπιδες. λεκιτοπωλης.

Cap. XVI.

,, *SPE longus, auiduſq futuri.*
exponunt, alij.
,, *Spem longiorem habet viuendi.*

alij,

alij,

,, *Sperat, ſe adhuc victurum.*

alij,

,, *Sibi ſpem longi temporis proponit.*

concors eſt omnium iſtorum interpraetatio, quam ne probem faciunt verba hæc in eodem verſu ,, *auiduſq; futuri*. Quæ verba non ſpem, ſed cupiditatem longioris vitæ indicant. Igitur, expono ,, *ſpe longus* δύσελπις Longus enim hic eſt in eo ſenſu, in quo accipitur a Terentio Andria.

,, *Sed longum eſt vos expectare, dum exeant.*

& Cicero lib. vij. Epiſt. ad Marium.

,, *Hæc tecum coram malueram, ſed quia longius fiebat,*
,, *volui per litteras eadem.*

& Cæſar lib. vj. belli Gallici.

,, *Longum eſſe perterritis Romanis Germanorum auxilia*
,, *expectare.*

Senectutis autem hoc quoq; vitium eſt, vt lenta ſit ad ſperandum, longe enim ab ea abeſt ſpes. *Aluntur ſenes* (inquit Ariſtoteles lib. ij. Rhetor.) *memoria magis, quam ſpe*, φιλόζωος eſt ſenex, Itaq. Horatius recte dicit, ,, *auiduſq; futuri* ſed aliud eſt longiorem vitam optare, aliud ſperare.

IN EADEM EPIST. MALE EXPOſitum verſum poetæ. λεκιθοπώλης.

Niti. Centum.

As.

OFfenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res.

In huius verſus expoſitione Grifolus, & Iaſon Nores præter ridicula cætera, turpiſſime etiam confundunt

Ordi-

Ordines,& Genus, cum explanant his verbis.

,, *Equites, & Patricij, & Res, ideſt, qui ſunt diuites,*
,, *nec eos modo, qui cenſum habent equeſtrem, vel patri-*
,, *cium, ſed omnes locupletes intelligi: quorum ſolet eſſe*
,, *magna inter ciues potentia.*

Miſere (inquam) labuntur. Nam ſi de Gentibus voluerunt intelligere, dicendum fuit ,, *Patricij, & Plebei*. Si de Ordinibus, Senatores, Equites, & Plebs Sed de hac doctrina conſulendi ſunt libri doctiſſimi, & mei, dum vixit, amantiſſimi Caroli Sigonij.

Ibidem.

Nec ſi quid fracti Ciceris probat, aut nucis emptor. ideſt: λεκιθοπώλης, quod eſt, leguminum venditor: de vilibus perſonis, quarum ſi eſt venditor vilis, ergo & emptor, ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα. legatur Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto.

Ibidem.

,, *Nitiq. cothurno.*

Niti hic eſt Incedere. Pacuuius Periboea apud Nonium.

,, *Ardua per loca agreſti, & trepidante gradu nititur.*

Virgilius.

,, *Preſſit humi nitens.*

Varro Pranſo parato.

,, *Fertur biſulcis vnguibus nitens humi.*

Ibidem.

,, *Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo.*
,, *Muſa loqui, præter laudem, nullius auaris.*

Ouidius in hanc ſententiam.

,, *Petitur ſacris niſi tantum fama poetis..*

Cæteri mortales, qui arant, nauigant, ædificant pretium ſpectant.

Solos poetas manes beant Lauri, atq; ederæ.

FOR-

Digitized by Google

FORTISSIMA TYNDARIDARUM.

Ambubaiæ. Io. Bacchæ. Labeone inſanior. Aqua cur viliſſima. Ingenuus.

Cap. XVII.

LIbri primi Sermonum Horatij Satira prima ſunt hi verſus.

,, *At hunc liberta ſecuri*
,, *Diuiſit medium fortiſſima Tyndaridarum.*

Quot docti viri in horum expoſitione verſuum laborauerunt? vniuerſiq; parum feliciter? Fortaſſe non abſurdum fuerit coniungere vocem Tyndaridarum non cum ,, *fortiſſima*, (id enim natura ſuperlatiui non patitur,) ſed cum ,, *Securi* vt ſit. Liberta fortiſſima hunc medium diuiſit ſecuri Tyndaridarum, ideſt, imitata Clytemneſtræ Tyndari filiæ facinus, quæ ſecuri in caput illiſa maritum interemit. Nec obſtat, quod maſculino genere compræhendit Clytemneſtram. Immo ſic ratio poſtulat. Nam quemadmodum diceremus: Filij Tyndari Pollux, Caſtor, Helena, Clytemneſtra, Phœbe: ita hoc loco maſculinum genus fœmininum compræhendit. Frequens eſt auctoribus figura hæc.

Terent. Eunucho.

,, *Vterq; mater, & pater*
,, *Quaſi dedita opera domi.*

Vix enim vmquam Femineo generi Maſculinum cedit. Vix dixi: quoniam commodum venit in mentem illud Ciceronis epiſtola xxv. libri x. ad Furnium.

,, *Iſtamq. operam tuam, nauitatem, animum in Rempub.*

,, *cele-*

Digitized by Google

„ *celerritati Pratura anteferendam cenſet.*

Auſonius imitatus Horatium patronymico maſculino comprahendit fœmininum de Niobe loquens.

„ *Thebarum regina fui. Sipyleia cautes*

„ *Quæ modo ſum læſi numina Latoidum.*

eſt enim ibi Latoidum contractum pro Latoidarum.

Non eſt vero alienum a ſuperiore argumento admonere, quod Athenæus ſcriptum reliquit, de Ouo Lædæ. Ouum appellatam fuiſſe aulam: in qua Læda liberos peperit. Hinc fabulæ origo.

Paulo ſupra in ea, quam nominauimus, Satira, adnotandus eſt Datiuus verbo „ *Refert*, additus in eo verſu.

„ *Vel dic: quid referat intra*

„ *Naturæ fines viuenti.*

Quod exemplum fortaſſe eſt ſingulare.

Balatrones, & Ambubaiæ vocabula ſunt initio Satiræ ſecundæ libri primi Horatij. Otho Friſingenſis lib. v. cap. xiij. Balatrones exponit Scurras, & Moriones. Alij Balatronem proprium nomen fuiſſe cujuſdam inſignis ſcurræ tradunt.

Ambubaiæ vocem eſſe Syriacam dicunt ſignificantem Tibicinas. Quo in ſenſu fortaſſe Ambubaiæ illæ apud Suetonium in Nerone ſunt accipiendæ.

Satira tertia lib. 1. legendum eſſe, Io. Bacchæ, non autem Io. Bacche, vltimæ ſyllabæ ratio admonere Lambinum potuit. Fuit autem vox Baccharum ſe inuicem cohortantium.

Ibidem,

„ *In Cruce ſuffigat Labeone inſanior ipſo.*

De huius Labeonis procaciſſima linguæ libertate in Auguſtum, qui maledicta malefactis cumulate poterat retundere, legatur Dio lib. LIV.

Ibidem poeta viliſſimam aquam appellat, cum dicit,

Digitized by Google

,, *Venit villiſſima rerum*
,, *Hic aqua.*

non quod contemptui ſit, & neglectui, ſed quod obuia, multa, abundans, & nulla impenſa parabilis. Sic Virgilius de Pomis, & Faſelis.

,, *Vilibus aut onerat pomis.*
,, *Vilemq faſelum.*

Ingenuus Satira ſexta eiuſdem libri in his verſibus.

,, *Cum referre negas, quali ſit quiſq parente*
,, *Natus, dum ingenuus.*

non refertur ad Libertinum, vt cenſet Lambinus: ſed ſignificat probum, verecundum, & iuſtum. Sic Cic. lib. v. epiſt. Familiarium.

,, *Verum enim ſcribam: teneriore mihi animo videbare: ſicut omnes fere: qui vita ingenua in beata, & libera ciuitate viximus.*

Rectius igitur Acron ſentit: qui exponit ſic.

,, *Ingenuus autem ad moris probitatem pertinet.*

SATIRA FVERIT NE TOTA ROMAnorum, Satiram nullam ſoluta oratione ſcriptam. Rudior Latina vox non eſt.

Cap. XVIII.

Controuerſia eſt inter veteres ſcriptores, fuerit ne Satira tota Romanorum: quoniam aliqui eamdem etiam Græcis vindicant. Horatius, Quinctilianus, & Acron Latinorum partes fouent. Diogenes Laertius, & Diomedes Gramaticus ab vſu Satiræ Græcos non excludunt. Singulorum verba audiamus. Ponemus autem

Digitized by Google

autem prius teſtimonia eorum, qui Latinis Satiræ inuentionem, & vſum tribuunt, deinde addemus eorum auctoritates, qui Græcorum etiam fuiſſe crediderunt.

Horatius Satira x. libri primi.

„ *Hoc erat experto fruſtra Varrone Atacino,*
„ *Atq. quibuſdam alijs, melius quod ſcribere poſſem*
„ *Inuentore minor. Neq. ego illi detrahere auſim.*
„ *Hærentem capiti multa cum laude coronam.*
„ *At dixi, fluere hunc lutulentum.*

Idem Satira j. lib. ij.

„ *Quid? cum eſt Lucillius auſus*
„ *Primus in hunc operis componere carmina morem.*

Fabius lib. x. cap. 1.

„ *Satira quidem tota noſtra eſt, & in qua primus inſignem*
„ *laudem adeptus eſt Lucillius, qui quoſdam ita deditos*
„ *ſibi adhuc habet amatores, vt eum non eiuſdem modo*
„ *operæ auctoribus, ſed omnibus poetis præferre non du-*
„ *bitent.*

Plinius ſecundus in epiſtola ad librum Naturalis hiſtoriæ.

„ *Quod ſi hoc Lucillius, qui primus condidit Styli na-*
„ *ſum.*

Acron ad illum verſum Horatij in epiſt. de Poetica ad Piſones, & *Græcis intacti Carminis auctor*, ſic inquit.

„ *Hoc ideo dictum: quia primus Satiram Græcis inta-*
„ *ctam verſibus hexametris ſcripsit. Etiam Græcis au-*
„ *ctor operis eſt:*

Atq. hi ſunt, qui totam Latinorum eſſe Satiram volunt. Nunc proferamus teſtimonia illorum, qui Græcis non ignotam fuiſſe eamdem tradiderunt.

Diogenes Laertius lib. ij. Menedemo.

„ *Ea omnia memorat Lycophron in Satira: quam inſcripſit*
„ *Menedemus.*

Idem IX. Timone.

„ *Nam & poemata conſcripſit, & verſus, Tragadias,*
„ *& Satiras, & Comadias xxx.*

Idem lib. v. Demetrio.

„ *Demetrium alium Satiricum recenſet.*

Idem lib. iij. Platone.

„ *Erat autem quartum poema Satiricum.*

Apuleius IV. Floridorum.

„ *Canit enim Empedocles carmina; plato dialogos; So-*
„ *crates hymnos: Epicarmus modos: Xenophon hiſtor-*
„ *rias, Xenocrates Satiras.*

Diomedes Gramaticus.

„ *Poematos Dramatici genera ſunt quatuor apud Græces*
„ *Tragædica: Comica: Satirica: Mimica.*

Idem paulo poſt verbis, quæ referam, in quibus vitij eſt ſine dubio aliquid.

„ Satira eſt carmen apud Romanos nunc quidem, apud
„ Græcos maledicum: & ad carpendum hominum vi-
„ tia Archeæ Comœdiæ caractere compoſitum, quale
„ ſcripſerunt Lucillius, Horatius, & Perſius.

Neq; vero dederim pedeſtri ſtyllo ante Lucillium fuiſſe illam apud Romanos conſcriptam, ne forte veteres Horatij interpretes aliquem decipiant: qui harum ineptiarum ſunt auctores. Omnino Græcis (ſi quidem illi Satiram habuerunt) & Latinis metro illa adſtricta fuit. Primum Satira poema eſt. Id docent Horatius, & Diomedes. Deinde nullum habemus ſolutæ orationis exemplum. Nam illud Ennij exemplum, quod exſtat apud Nonium in Obſtringillare.

„ *Reſtitant, occurrunt, obſtant, Obſtringillant, obagitant.*

eſt Brachycatalecticum metrum Iambicum (ſi modo ea omnia verba vno verſu ſunt comprædendenda) cui ſupra Trimetri verſus naturam pes vnus ſuperabundat, ſic enim appellat Diomedes verſus vno pede longiores. E-

tiam Menippeas Satiras ſuas Varro carmine condidit: vario quidem, ſed tamen carmine, cuiuſmodi exempla multa apud veteres Grammaticos, præcipue Nonium Marcellum (quamquam pleraq; incuria librariorum corruptis numeris) leguntur, ex quo pauca quædam citare eſt operæ pretium. Ille igitur in voce Merum, ex Menippea τοῦ πατρὸς παιδίον περὶ παιδοποιίας.

„ *Ac liberos parare cui neceſſe ſit*,

In verbo Seplaſium.

„ *Varro* ἀνθρωπικῆς περὶ γενεθλιακῆς.

„ *Doti dato inſulam Chiam, agrum Cæcubum.*

„ *Seplaſia Capuæ, Macellum Romuli*

In Coagulum.

„ *Varro. Eſt modus matulæ* περὶ μέθης.

„ *Vino nihil iucundius quidquam bibit.*

„ *Hoc ægritudinem ad medendum inuenerunt.*

„ *Hoc hilaritatis dulce ſeminarium.*

„ *Hoc continet coagulum conuiuia.*

In cogere, ex Varronis Satira Eumenidibus.

„ *Furando tamen, ac morbo ſtimulatur eodem.*

„ *Ex ſe ſe ipſe aliquid quærat, cogatq; peculi.*

In Tempeſtas.

„ *Varro Eudæmonibus.*

„ *Interea tonuit bene tempeſtate ſerena.*

Lucillius quoq; vario genere carminis Satiras ſcripſit, vt lib. xx xxi. Satirarum apud Nonium in Ignominia.

„ *Delicijs maculam, atq; ignominiam imponere.*

In Munes.

„ *Lucillius lib. xxvi.*

„ *munifici,*

„ * *Comeſq; amicis noſtris* * *videmur viri.*

In Rudus.

„ *Lucillius lib. xj. Satirarum.*

„ *Viam ſtruendum, & iniciendum huc adgerem.*

„ Et

,, *Et id genus Rudus.*

In Tollere.

,, *Lucill. lib. xxv.*

,, *At cui, quem febris una, una ἀπεψία.*

,, *Vni, inquam, Cyathus unus potuit tollere.*

In Tricæ, & Tricones.

,, Lucill. *Satira prima lib. xj.*

,, *Nec mihi amatore hoc opus, nec tricone vadato.*

,, *Idem*

,, *Lucius Cotta ſenex Craſſi pater huius παρῴδου.*

,, *Magnus trico fuit, nummarius, ſoluere nulli.*

In Cernuus.

,, Lucill. *Satirarum lib. iij.*

,, C*ernuus extemplo plantas conueſtit honeſto.*

Ibidem.

,, Lucill. *Satirarum lib. xxvij.*

,, *Modo ſurſum, modo deorſum, tamquam collus cernui.*

Brachycatalecticus eſt verſus.

In Tolutim.

,, L*ucill. Satirar. lib. viij.*

,, *Si omne iter euadit, ſtadiumq; adeliue tolutim.*

&

,, *Velle tolutim hic ſemper incœpturus videtur.*

In Capulum.

Lucill. Satirar. lib. ij.

,, *Quem cum vidiſſet Hortenſius, Poſtumiuſq;*

,, C*æteri item in capulo hunc non eſſe, aliumq; cubare.*

LVCI-

LVCILLIVM NON PRIMVM Romanæ Satiræ ſcriptorem fuiſſe, ſed Ennium.

Cap. XIX.

HOratio patronos acres, ac defenſores hic quæro in cauſa, vt mihi videtur, conclamata. Ait ille, Lucillium fuiſſe Satiræ primum inuentorem Romæ. Et tamen idem paulo poſt alium Satiræ auctorem prædicat. Audiantur eius verſus ex Satira x. lib. 1.

,, *Hoc erat experto fruſtra Varrone Atacino,*
,, *Atq; quibuſdam alijs, melius quod dicere poſſem*
,, *Inuentore minor. Neq; enim illi detrahere auſim*
,, *Hærentem capiti multa cum laude coronam.*
,, *At dixi fluere hunc lutulentum.*

Satira 1. lib. ij.

,, *Millia, me pedibus delectat claudere verba*
,, *Lucilli ritu noſtro melioris vtroq;*

Paulo poſt ibidem.

,, *Quid? cum eſt Lucillius auſus*
,, *Primus in hunc operis componere carmina morem?*

Clare his omnibus locis primum ſatiræ inuentorem Lucillum prædicat.

At in eadem x. ſatira lib. 1. alium, non nominando, auctorem ſatiræ ante Lucillium dicit, cum ſic ſcribit.

,, *Fuerit Lucillus, inquam,*
,, *Comes, & vrbanus, fuerit limatior idem,*
,, *Quam rudis, & Græcis intacti carminis auctor*
,, *Quamq; poetarum ſeniorum turba.*

Ecce hic alium à Lucillio, Satiræ auctorem fuiſſe ſcribit. Quo in loco excuſem libenter, ſi queam, Poe-

tam, quod ſubſidium quando præſtare non queam; admirari interea licet ſecuritatem tot doctorum virorum: qui poſita multa opera in eo explanando hic multum faciunt. Lambinus tamen ſatagit, acumenq; ſuum piſtillo acutius in eo loco explicando oſtendit ſic ſcribens.

,, *Fuerit Limatior idem Quam*] *Hunc locum, quem ſcio*
,, *difficilem, & impeditum haberi, ſic expedio, atq; explico.*
,, *Demus* (inquit Horatius) *Lucillium limatiorem fuiſſe,*
,, *quam auctorem Satiræ Græcis intacta eſſe oporteat, quod*
,, *idem fere valet, ac ſi dicat. Demus Lucillium fuiſſe li-*
,, *matiorem, quam eſſe debuerit. Atq; ita nomen Rudis in*
,, *patrio caſu accipio: & cum voce Carminis coniungo. Nam*
,, *quod alij Recti caſus faciant, hoc modo. Fuerit limatior*
,, *idem, quam rudis: ideſt, fuerit limatior potius, quam ru-*
,, *dis, & impolitus, hoc illi non rectè. Sic enim eſſet locu-*
,, *tus Horatius, Fuerit limatior, quam rudior.*

Probandæq; formæ eius dicendi multa aggerit exempla: quod facere in re omnibus nota non oportuit. Qua tamen in parte bis, ac fortaſſe ſæpius peccat. Primum adhibet vocem auribus Latinis inauditam ,, *Rudior*. vt non fuerit Horatius docendus non Latine loqui. Deinde non perpetuum eſſe præceptum illud, quod dicit: Limatior, quam rudior, ſatis docet Columella [eo enim nunc ſolo auctore contenti erimus] in procemio libri xij. ſic ſcribens.

,, *Idcirco reddit timidiorem, quam virilem.*

Terminus etiam poſterior comparationis diuerſus eſſe debet à re, aut perſona comparata, quæ ratio ſeruatur à poeta, cum ſubdit.

,, *Quam rudis, & Græcis intacti carminis auctor:*
,, *Quamq; poetarum ſeniorum turba.*

ideſt Limatior auctore carminis rudis, & intacti Græcis. Dicet hic aliquis: quemnam tu cenſes fuiſſe eum: quem

Hora-

Horatius in illo loco auctorem rudis, & intacti Græcis carminis dicit? Rem breuiter expedio. Ennius ille fuit. Anteceſſiſſe autem ætate Ennium Lucillio, quilibet diſcere ex Euſebio poteſt. Scripſiſſe vero eumdem Satiram, probatur teſtimonio Porphirionis, qui ad illum Horatij verſum „ *Fruſtra Varrone Atacino*, ſic ſcribit.

„ *Item Ennium: qui quatuor libros Satirarum reliquit.*

Agellius quoq; lib. xviij. cap. ij. idem teſtatur, ſic ſcribens.

„ Quorum prima fuit enarratio horum verſuum; qui ſunt
„ in Satiris Q. Ennij, vno multipliciter verbo concin-
„ niter implicati, quorum exemplum hoc eſt.
„ *Nam qui lepide poſtulat alterum fruſtrari,*
„ *Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit, fruſtra eſſe.*
„ *Nam qui ſe ſe fruſtrari, quem fruſtra ſentit,*
„ *Qui fruſtratur, is fruſtra eſt: ſi non ille eſt fruſtra.*

Nonius in Obſtringillare, quod etiam ſupra poſuimus.

„ *Reſtitant, occurrunt, obſtant, obſtringillant, oba-*
„ *gitant.*

Nomen, & locum antiqui ſcriptoris, qui hic egregie faceret, non memini. Eius vicem ſubibit Petrus Crinitus, ſic in lib. de Poetis de Ennio loquens.

„ *Satirarum libros ſcripſit quadratis verſibus: qui in*
„ *magno pretio habiti ſunt.*

ACER INTACTVS.

Cap. XX.

„ *SVnt quibus in Satira videar nimis acer; & vltra*
„ *Legem tendere opus.*

Acer hic initio primæ Satiræ ſecundi ilbri, non eſt in

Digitized by Google

repræhendendis, atq; inſectandis hominum vitijs nimis vehemens, nimis ſæuus, & aſper, vt exponunt nonnulli: ſed altus, robuſtus, neruoſus, elatus, grandis, vehemens in Satira ſcribenda. Cuius ſtylum eſſe oportet humiliorem: quippe qui proxime accedere debeat ad ſtylum antiquæ comœdiæ: cuius locum ſubijt apud latinos Satira. Hanc eſſe veram hic verbi huius ſententiam, ſatis declarant ſtatim ſequentia hæc carmina.

,, *Sine neruis altera quidquid*
,, *Compoſuiſſe putat, ſimileſq. meorum*
,, *Mille die verſus deduci poſſe.*

Acer igitur & vires, & neruos carminis referri debet, non ad acrimoniam atq; mordacitatem. Immo Horatius in Satira adeo fuit multis partibus Lucillio mitior & temperantior: ſtylo vero adeo leni, & demiſſo, vt nonnulli olim, & tempeſtate noſtra doctiſſimi viri auſi ſint, iure an iniuria? hunc præſtantiſſimum poetam Iuuenali, ſi Dis placet, poſt habere.

Diuus Thomas. Iul. Caſ. Scaligen.

Ibidem.

,, *Cum ſibi quiſq. timet, quamuis intactus, & odit.*

Quoniam læſi, & tacti homines dolent accepto iam malo, non timent: timor enim eſt damni venturi: propterea moueor, vt hoc loco Intactus interpræter Innocens, Integer: quiq; vere non queat tangi: & de quo iuſte detrahere nullus poſſet. Lucretius Intactilis diceret.

MALIS

Digitized by Google

MALIS ALIENIS RIDERE Triplex.

Cap. XXI.

CVm latine dicatur in ius vocare, aut rapere; non autem In iura, ego verſum illum Horatij Satira iij. lib. ij. qui nunc ſic legitur.

,, *Cum rapias in iura malis ridentem alienis.*

Sic reſtituendum cenſeo.

,, *Cum rapias in ius malis ridentem alienis.*

Quid autem ſit malis, ſiue maxillis alienis ridere, Conſulatur prouerbium in Appendice.

Ibidem

,, *Sume tibi decies: tibi tantumdem: tibi triplex.*

Triplex, hìc pro ter tantùm eſt. Sic locutus eſt Liuius lib. vj.

,, *Multiplex, quam pro numero damnum,*

Aemilius Prolus in Themiſtocle.

,, *Decemplicem numerum hoſtium profligauit.*

MVRIBVS VITA BREVIS. Verniliter. Incoquere. Remittere muriam, fucum, labem.

Cap. XXII.

CVr Satira vj. lib. ij. Horatius dixit, murium breue eſſe æuum eo verſu?

,, *Viue memor, quam ſis aui breuis*

Digitized by Google

Qui de natura huius animaculi ſcripſere, tradunt adeo fœcundos, crebroſq; eſſe muris partus, vt niſi natura breuem ei vitæ terminum ſtatuiſſet, copia eſſet futura frugibus, cæteriſq; commodis hominum damnoſa. Græci μινυθαδίους dicunt.

Ibidem.

,, *Continuatq; dapes. Nec non vernaliter ipſis*
,, *Fungitur officijs, prælambens omne, quod adfert.*

Verniliter ego dicendum puto: Sicut a Scurra Scurriliter. Eſt autem hoc loco Verniliter furaciter, vel guloſe. Sequitur enim ,, *Prælambens omne, quod adfert.* Hoc genus hominum ſæpe prius deguſtatas, deminutas, prærosas, & ſemeſas a ſe eſcas dominis apponunt. Quod vitium egregie apud Terentium Adelphis depingit Syrus ſic dicens.

,, *Ego iam proſpiciam mihi.*
,, *Nunc iam adibo: atq; vnumquodq; quod quidem erit*
,, *belliſſimum,*
,, *Carpam, & Cyathos ſorbillans paulatim, hunc pro-*
,, *ducam diem.*

Satira vij. eiuſdem libri:

,, *Duceris, vt neruis alienis mobile lignum.*

Neq; Acronis placet interpraetatio, neq; Lambini: qui de Neuroſpaſtis intelligit. Ego accipio de Trochleis, Ergatis ipſis, atq; alijs eiuſmodi tractorijs machinis. Hæ machinæ trahunt quidem molem aliquam: ſed eædem machinæ mouentur, impelluntur, aut trahuntur extrinſecus alia vi.

Satira viij. eiuſdem lib. vj.

,, *Erucas virides, Inulaſq; ego primus amaras*
,, *Monſtraui incoquere, illotos Curtillus Echinos,*
,, *Vt melius, muria: quam teſta marina remittit.*

Senſus horum verſuum ſatis per ſe erat apertus, niſi Lambinus pilum in oui teſta, quod aiunt: quærens,

nouam,

nouam, ideſt à ſe excogitatam, inuitam tamen, & reluctantem lectionem, vnde etiam non belle ſe explicat, intruderet. Reluctantem dixi: quoniam verbo Incoquere vtimur plerumq; cum loquimur de rebus, quæ in liquore iureve aliquo alio coquuntur, cui ſignificationi fidem faciunt (ne alia aliunde huc congeram) exempla: quæ ipſe Lambinus ex Virgilio, atq; Horatio adfert, vt ſatis inde appareat, naturam repudiare formam hanc dicendi. Erucas Inulis incoquere. Sua igitur vera, & vetuſta, & a poſteritate accepta lectio verſibus conſeruetur, quorum hic eſt ordo atq; ſententia. Ego primus monſtraui incoquere muria, quam teſta marina remittit. Erucas virides, Inulaſq; amaras. Curtillus monſtrauit, eadem incoquere muria Echinos illotos, vt melius, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: melius eſſe incoquere muria illotos, quam lotos Echinos. Muria autem, quā teſta marina remittit, eſt liquor, qui ex teſta marina multo inſperſa, & macerata ſale liquatus effluit. Id enim in his condituris ſignificat verbum Remitto. Hoc verum eſſe diligentiſſimus, & maxime proprietatis amans Columella probat lib. xij. cap. ix. cum ſic ſcribit.

„ *Caules Lactucæ ab imo depurgatos eatenus, qua tenera*
„ *folia videbuntur, in alueo ſalire oportet: diemq; vnum*
„ *& noctem ſinere, dum muriam remittant, deinde mu-*
„ *ria eluere.*

Alio, ſed oppido quam ſignificanter, & appoſito ſenſu accipitur a Plinio, cum tincturam ſcribit fucum remittere, quod contingit, cum de indole (vt ſic dicam) & ſplendore accepti tinctura coloris deperit vetuſtate, vel vſu aliquid, & quaſi eluitur.

„ *Buccinum* (inquit lib. xi. cap. xxiix.) *per ſe damnatur,*
„ *quoniam fucum remittit.*

Aliter etiam Horat. epiſt. v. lib. ij.

„ *Sed veluti tractata notam labemq. remittunt*

„ Atra-

,, *Atramenta, fere ſcriptores carmine fœdo*
,, *Splendida facta linunt.*

ideſt polluunt: & nigronem, aut aliam maculam adlinunt.

PAGANALIA. DECLARATVR HORATII locus. Frater. Olympia Coronari.

Cap. XXIII.

,, *QVis circum pagos, & circum compita pugnax*
,, *Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,*
,, *Cui ſit condicio dulcis ſine puluere palma?*

Horum trium verſuum Horatij ex epiſt. 1. lib. 1. hæc eſt ſententia. Quis ſi ſperet, ſine puluere & ſudore magna Olympia ideſt in magnis Olympijs victor ſecurus incommodi, & periculi coronari, non id malit: quam cum labore, & diſcrimine in vilibus Paganaliorum ludis pugil humilem inde laudem quærere? De Paganalibus ludis puerorum legere eſt apud Suetonium in Auguſto.

,, *Spectauit autem (inquit) ſtudioſiſſime pugiles, & maxime latinos, non legitimos, atq. ordinarios modo, quos*
,, *etiam committere cum Græcis ſolebat: ſed & cateruarios oppidanos inter anguſtias vicorum pugnantes temere, ac ſine arte.*

Varro lib. v. de lingua Latina.

,, *Feria non populi modo, ſed montanorum: vt Paganalia, quæ ſunt alicuius pagi.*

Quod attinet ad illam formam dicendi Coronari Olympia, legantur, quæ diximus ad verſum illum in epiſtola ad Piſones.

,, *Qui Pythia cantat.*

In

Digitized by Google

In epiſtola iij. ad Iulium Florum.

,, *Viuitis indigni fraternum rumpere fœdus.*

Quomodo fraternum? An amorem tantùm intelligit, quantus eſt fratrum inter ſe? An fuere Iulius, & Munacius fratres germani: ſed altero in alterius gentis adoptionem tradito? An fratres vterini tantùm fuerunt.

Ep. vij. ad Mæcenatem.

,, *Qui ſemel adſpexit, quantum dimiſſa petitis*

,, *Præſtent, mature redeat, repetaſq; priora.*

,, *Metiri ſe quemq. ſuo modulo, ac pede, verum eſt.*

γνώμαι duæ ſunt. Verba autem ſunt poetæ, non Philippi: vt putantes nonnulli ſententiam veram non ſunt adſecuti. Legendum autem eſſe ſemel, vt nos reſtituimus, non ſimul, ſententia ſatis probat. Et qui aliter tradiderunt, longè à vero aberrant, vno in loco duos graues errores admittentes.

MEDIVM VITIORVM QVID SIT. Teſquor.

Cap. XXIV.

,, *VIrtus eſt medium vitiorum, vtrinq; reductum.*

Verſus eſt Horatij ex epiſt. xix. lib. 1. ad quem verſum proba eſt veterum, & nouorum interprætum expoſitio. Attamen, quid? ſi virtutem medium interprætemur: quæ de extremis duobus contrarijs vitijs participans, & ex defectu aliquam, & ex exceſſu aliquam item partem accipiens, temperatam ex vtriuſq; illis extremis vitijs miſturam efficiat? Certe ſic ſentit Suidas in voce μέσον pluribus verbis acute diſputans, quomodo virtutes morum ſint Medium.

Epiſt. xx.

,, Quid,

Digitized by Google

,, *Quid? ſi quis vultu ferus, & pede nudo,*
,, *Exiguaq; toga ſimulet textore Catonem,*
,, *Virtutem ne repræſentet, moreſq; Catonis?*

In ſecundo verſu aliqui legunt Tecto Ore, ex hiſtoria, quam narrat Plinius Iunior lib. iij. in quadam epiſt. ad Catillium ſeuerum his verbis.

,, Erunt officia antelucana; in quæ incidere impune ne ,, Catoni quidem licuit. Quem tamen C. Cæſar ita re- ,, præhendit, vt laudet. Deſcribit enim eos, quibus ob- ,, uius fuerit, cum caput ebrij retexiſſent, erubuiſſe. De- ,, inde adicit. Putares, non ab illis Catonem, ſed illos à ,, Catone depræhenſos. Potuit ne plus auctoritatis tribui ,, Catoni, quam ſi ebrius quoq; tam venerabilis erat?

Verum audax nimis eſt hæc licentia ſine auctoritate alicuius veteris libri. Deinde accommodare eam hiſtoriam verſui, & ſententiæ Horatij, eſt vtriq; ſcriptori vim facere, tum ratio bene loquendi hanc lectionem penitus reſpuit. Quis enim dicat, aut ferat modum hunc dicendi Catonem tecto ore exiguæ togæ abijſſe? Alij nulla reddita ratione reponunt Tectore, quæ lectio debet eſſe eadem cum ſuperiore Tect'ore.

Acron omnino videtur legiſſe Textore, cum ſic exponit; qualem fecerit textor. Non deſunt, qui Geſtore legant. Iuſtus Lipſius vir doctus lib. primo Electorum cap. xiij. teſtatur ſe in vetere ſcripto libro reperiſſe ſcriptum Teſquore, neq; aliud addit. Quæ lectio videtur bis à Porphirione comprobari. Primum, cum in eiuſdem verſus expoſitione ſic inquit.

,, *Metonymia, id quod fit, pro eo, qui facit.*

deinde, quando tertium à ſuperioribus verſum exponens hunc,

,, *Decipit exemplar vitijs imitabile,*

ſic ſcribit.

,, *Vt ille: qui Catonem imitari ſe putat, ſi triſtis, ac ſor-*
,, *didatus incedat.*

ſatis

ſatis manifeſte Porphirio exprimit notionem verbi Teſquor, cum Triſtis, & Sordidatus dicit. Teſqua namq; ſiue Teſca (ſic enim ſcribitur apud Varronem) loca ſunt inculta, deſerta, aſpera, difficilia, horrida, & ſenta. Inde verbum hoc Horatius, vel formauit ipſe nouum, qualia aliquot alia apud ipſum non ante auribus latinis audita leguntur: vel ab antiquiore auctore mutuatus commodum hic illi locum tribuit, quod verbum Squalorem, ſordes horrorem ſignificat, & ſitum. De verbo Teſqua meminerunt Acron, & Porphirio in epiſtola libri primi decimaquarta. Item Varro, & Feſtus Pompeius. De vtro autem Catone Maiore ne, an Vticenſe ſit intelligendum, parum refert: vtriuſq; enim par fuit natura, & mores pares. Quamquam, vt hic de poſteriore accipiam, faciunt verba Suetonij à nobis ſupra citata. Libet tamen etiam adiungere aliquot ex Plutarcho teſtimonia: quæ confirmant ea, quæ ab Horatio de Catone ſcribuntur. Iſte igitur in eius vita diuerſis in locis ſic ſcribit.

„ Ferunt autem ſtatim à pueritia conſtantiam, & ſeue-
„ ritatem Catonis conſpicuam fuiſſe. Vim namq; habe-
„ bat vltra ætatem eius incœptam. Adulatoribus aſper:
„ terrentibus aduerſus: tardus ad riſum: vt perraro vul-
„ tum remitteret, ad iram non facile labens: ſed cum in
„ eam deuenerat, implacabilis.

&

„ *In cæteris, quæ ad victum pertinebant: durus, & ſeue-*
„ *rus erat.*

&

„ *Seueritatem, rigoremq; bonitate, & gratia immotam ad-*
„ *amauit,*

&

„ *Interdũ vero nudis pedibus (hoc arguit mendacij Acro-*
„ *nem, qui Catonem negat nudis pedibus ſolitum incedere)*

„ *& abſq; tunica in publicum prodibat.*

&

„ *Sæpe nudis pedibus, & ſine toga ad roſtra venire.*

&

„ *Poſt prandium rurſus, vt ſolebat, ſine calceis, & tu-*
„ *nica in forum veniens vna cum familiaribus ambula-*
„ *bat.*

&

„ *Cato autem torue ipſum proſpiciens.*

DOSSENNVS. QVANDO PRIMVM *Romani barbam alere deſierunt. Ducere aera.*

Cap. XXV.

MIror Lambinum tantopere ſatagere in nomine Doſſennus (ſic enim ſcribendum eſt, non Dorſennus) ad epiſtolam primam lib. ij. eiuſdem Horatij ad Mæcenatem. Fuit hic Doſſennus Poeta Comicus inter antiquiores relatus. Eſt eius mentio apud Senecam, & Feſtum Pompeium in voce Temetum. Citat quoq; Plinius ſecundus lib. xɪv. cap. xiij. aliquot huius Fabij Doſſenni non illepidos verſus. Eſt apud me nummus argenteus cum effigie Poetæ barbata. Quod indicat fuiſſe eum ante Superiorem Africanum. Qui primus Romæ incoepit barbam non alere, qui mos ad Imperatorem Hadrianum durauit. Hic namq; vt vulneris in facie cicatricem tegeret, non radendæ barbæ morem induxit. Habet nummus ſub effigie inſcriptionem hanc DOSSEN. a tergo quadriiugem currum. Subtus eſt BRI. prioribus litteris contuſis, vt cognoſci non poſſint. Suſpicari poſſint nonnulli Britannos indicari: moueriq;

ad

Digitized by Google

ad id credendum: quod in prima parte currus, ſuperimpoſita eſt quaſi caſula, aut turris cum feneſtris: vnde pugnarent eſſedarij.

Sed ea tempeſtate nondum Romanis cognita erat Brittania, certe intacta.

Ibidem.

,, *Spectaret populum ludis attentius ipſis.*
,, *Vt ſibi præbentem mimo ſpectacula plura.*

Sententia verſuum horum eſt. Spectaret Democritus attentius quam ludos, & mimos ipſos, populum. Caperetq; maiorem voluptatem ſpectans dementiam, & leuitatem populi, quam ex ludis, & Mimis ipſis. Hic omnes interpretes ridiculi ſunt.

Ibidem.

,, *Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem*
,, *Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra*
,, *Fortis Alexandri vultum ſimulantia.*

Pluribus verbis diſputat hic Lambinus: & pro Duceret legendum putat Funderet, aut Cuderet. Ego nihil mutandum cenſeo. Dicit enim Horatius Ducere æra pro ducere æreas imagines Fortis Alexandri vultum ſimulantes. Quid etiam, ſi ære accipiamus pro ex ære? Certe Apuleius ſcribit Floridorum primo.

,, Sed in primis illud præclarum Alexandri, quod imaginem ſuam, quo certius poſteris proderetur, noluit multis artificibus vulgo contaminari. Sed edixit vniuerſo orbi ſuo, ne quis effigiem Regis temere adſimilaret ære, colore, cælamine. Quin ſæpe ſolus eam Polycletus ære duceret. Solus apelles coloribus delinearet: ſolus Pyrgoteles Cælamine excuderet.

Ibidem.

,, *Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt.*
,, *Dilecti tibi Virgilius, Variuſq; poeta.*

Multa cum dantis laude Mæcenatis ſcilicet. Laudatur Mæcenas non ſolùm quia liberalis, ſed quia cum iudicio dabat, bonis ſcilicet & merentibus. Notus eſt ille verſus.

„ *Beneficium dando accipit, qui digno dedit.*

Magna ſcilicet laus ſequitur digno dantem. Longe grauior gratiorq; eſt ſententia hæc, quam ſi [quod alij faciunt] intelligas, atq; exponas. Abeunt donati, & laudati.

CICVTA σικῦα *DE CLYSTERIBVS*

Cicuta non ſemper perimit. De pronunciandis diphtonghis. Duas continuatas liquidas in vna ſyllaba non collocari.

Cap. XXVI.

QVæ intemperiæ adegerunt virum doctum Lambinum exponentem verſus hos Horatij:

„ *Sed quod non deſit habentem*

„ *Quæ poterunt vmquam ſatis expurgare cicutæ?*

Quid inquam, impulit hominem pro cicutæ, legere Sicuæ, ſiue Sicyæ? Audacia eſt, ne temeritatem dicam, adulterinam vocem, auribus latinis non auditam occupare alienam ſedem: & per indignam vim atq; iniuriam nulla ne leui quidem vmbra iuris, vt ſic loquar de legitima poſſeſſione ab omnibus antiquis & recentibus libris, & a conſenſu interpretum vniuerſorum huic loco addictà deicere veterem dominam? Sed rem perpendamus, σικύαν, & σικῦαν Græci dicunt ſi, σικῦαν latine voluit ſcribere, ſeruanda fuit integra diphthongus abuſiua

abuſiua: vt̃ mediæ ſyllabæ conſuleretur; quæ producta eſt, quod faciunt, qui Ἀρπυῖας Harpyias ſcribunt, non Arpuas. Si a σικύας deducit Sicuas, in eamdem fraudem incidit. Media enim, quæ eſſe in verſu Horatij longa debet, in σικύα breuis omnino eſt; quod probat in ſimili ſtirpe vocalis eadem in verſu, qui eſt apud Athenæum.

,, τὸν σίκυον τρώγουσα γλυκὺν τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

alter etiam apud Suidam in voce Πρω, prouerbij nomine prolatus.

,, Ἀρχομένων σικύων, καὶ ληγουσῶν κολοκυντῶν.

Item ille a Scholiaſte Ariſtophanis in Acharn. & a Suida ex quodam epigrammate adlatus.

,, Καὶ σίκυον χνοάεντα, τὸν ἐν φύλλοις πεδοκοίταν.

Atq; quod ait Lambinus Cicutam non adhiberi a medicis ad purgandum, neq: Cicutam vim vllam purgandi habere, vt fortaſſe non mentiatur, certe mendacium dicit. Si quidem aliqua eſt Plinij auctoritas, qui lib. xxvj. cap. xiv. Cicutam inter purgantia numerat ſic ſcribens.

,, *Cum ceroto apoſtemata, & vlcera tetra folia Mandra-*
,, *goræ recentia: radix vulnera cum melle aut oleo: Ci-*
,, *cuta cum ſeligine miſta mero: Aizoum Herpetas quoq;*
,, *& Nomas, ac putreſcentia: ſicut Erigoron verminoſa:*
,, *recentia autem vulnera Aſtragali radix, vt vetera,*
,, *quoq; vlcera, purgat Hipociſthis vtraq;*

Quod autem Cucurbitis medicinalibus purgandi verbum attribuit idem Lambinus, ego obſeruaui veteres ſcriptores plerumq: aliter loqui. Quin verbum illud expurgare ad euacuationes maxime pertinet, quæ deiectione alui ſuperioris, & inferioris fiunt, quod non item ad ſanguinem exſugendum per cucurbitas ſatis recte dicitur. Quippe ille (vt opportunitates omittam alias harum cucurbitarum ab Hippocrate expoſitas) ſi

tumenti

tumenti qualibet de offenſione, parti, aut ſi cuti conſideratæ clementerq; ſcarificatæ acie nouaculæ imponuntur, & quaſi adglutinantur vi flammulæ in ſtupa accenſæ, potius quam purgare, dicentur ſanguine leuare: euacuare: educere: adtrahære: extrahere: eruere: & exſugere ſanguinem. Nam, quæ integræ parti ad humores, atq; ad reiectionem ſanguinis, & ad profluuium menſtruorum coercendum maiores plerumq; cucurbitæ adhibentur, fere dicuntur ſiſtere. Hæc vera eſſe omnia, fatebuntur, quicumq; medicorum libros conſulerit, & Plinium, vbicumq; in hac ſententia ſcribit de Mandragora, Elleboro, Cucurbitiſq; his medicinalibus.

Quod idem Lambinus ſcribit, Cicutam immoderato frigore enecare, id negat nemo: loqui tamen cum aliqua correctione debuit, quoniam tantùm abeſt, vt tota Cicuta venenum ſit, vt etiam menſis adhibeatur. Audiamus Plinium lib. xxv. cap. xiij. ſic loquentem.

„ *Cicuta venenum eſt, publice Athenienſium pœna inuiſa:*
„ *ad multa tamen vſus non omittendi, ſemen habet noxium:*
„ *Caulis autem, & viridis eſtur à pleriſq; & in patinis.*

Apuleius in oratione pro ſe priore.

„ *Vt ſi belleborum, vel Cicutam, vel ſuccum papaueris*
„ *emiſſem, item alia eiuſmodi: quorum moderatus vſus ſa-*
„ *lutaris: ſed commiſtio, vel quantitas noxia eſt*

Ad quos autem vſus ſit opportuna, legatur Plinius idem pluribus in locis, breuitatis enim cauſa huc ea non congerenda, exiſtimaui. Dioſcorides quoq; de eius ſucco ſcribens lib. iv. quantum ei tribuit?

„ Εςι δὲ πολύχρηςον ἐις τὴν ὑγιας χρῆσιν ξηρανθὲν.

Columella etiam lib. vij. cap. v. Cicutæ ſuccum viridis ad tollendam ouium ſcabriciem opportunum eſſe tradit.

Ex his igitur omnibus rationibus cenſeo, Horatium

hoc

hoc loco nomine Cicutæ potionem intelligere ex Cicuta, temperata fortaſſe etiam miſtura aliorum medicamentorum: Cuiuſmodi ad varios vſus complura legere eſt apud Plinium, vt dixi, atq; alios. At Cicuta venenum eſt, quaſi pleraq: medicamenta purgantia, peregrina præſertim, niſi ſint ſcienter præparata, & macerata, domitaq; ſocietate clementiorum medicamentorum, noxia, perniciosaq; non ſint, quippe quæ natura ſua extergent, exterunt, & rodunt. Itaq; Homerus φάρμακα dixit κακά. Sapienterq; Plato in Timæo ad finem fugitandas monet purgationes omnes non neceſſarias.

„ τρίτον δὲ εἶδος κινήσεως σφόδρα ποτὲ ἀναγκαζομένῳ χρήσι-
„ μον. ἄλλως δὲ οὐδαμῶς τῷ νοῦν ἔχοντι προσδεκτέον τὸ τῆς
„ φαρμακευτικῆς καθάρσεως γιγνόμενον ἰατρικόν. τὰ γὰρ νοσή-
„ ματα, ὅσα μὴ μεγάλους ἔχει κινδύνους, οὐκ ἐρεθιστέον φαρ-
„ μακείαις.

Quid? ſi Cicutam hìc apud Horatium accipiamus omnino pro veneno? interprætemurq;? Non omnes Cicutæ, non omnia Aconita, non omnia toxica mihi poterunt etiam enecando eripere, quin „ *Melius dormire putem, quam ſcribere verſus?* Fuit, cum aliquando putarim nomine Cicutæ poetam intelligere Crunos, ſiue Siphones (ſic enim Columella lib. IX. cap. XIV. vocat) ideſt fiſtulas: quibus Clyſteres per anum in inteſtina induntur, eluunturq; eadem inteſtina, aluuſq; exoneratur, & purgatur. Cicutæ enim nomine etiam internodium ſignificari in omnibus geniculatis ſtirpibus, quæ concauæ ſunt, & vacuæ, cuiuſmodi eſt Cicuta ipſa, frumenti calamus, Arundines, & alia ſimilia, ſatis nos docet Virgilius cum inquit.

„ *Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta Cicutis*
„ *Fiſtula.*

Gloſſarium quoq;, ſic exponit.

„ Αὐλὸς ἀπὸ καλάμου. *Cicuta.*

Digitized by Google

Iul. Cæſar Scaliger

vt apud Virgilium verius ſit intelligere de omni calamo potius, quam de Cicutæ calamo tantùm: quod voluit vir doctus. Initio autem hæ Clyſterum fiſtulæ, & ſiphones, (quos Feſtus in voce Eudiaeor Clyſterio videtur appellare] ex internodijs arundinum confectas eſſe credibile eſt. Immo hodie quoq: tenuis plebecula vtitur his ipſis arundinum internodijs pro aereis Siphonibus ſuperimpoſita caua perforata ſcutella, ad ius decoctum Clyſteris capiendum, inſerto in ima arundine calamo pennæ anſerinæ, aut olorinæ ſimilitudine inuerſi colli, & roſtri Gruis. Atq; de Cicuta hactenus. Admonet me diphtongus illa in vocibus Sicyia, & Harpyia, vt de ratione ſcribendi, & pronunciandi eas latine hìc aliquid dicam.

Scribendam, atq; enunciandam vtramq. vocalem in diphtonghis Latinis eſſe res eſt ſatis iam conſtituta, & nota, etſi plerìq. omnes contenti ſcientia rationis, vulgus proferendo ſequimur. Diximus, Lambinum non debuiſſe Sicutam ſcribere ſi σικύαν voluit exprimere. Hoc iam dubitationem non habet. Quomodo autem ſubiunctiuas vocales diphtongi oporteat diſponi in ſcribendo, & pronunciando, fortaſſe inter omnes non conuenit. Sunt nonnulli ex antiquis Grammaticis, qui τὸ ἰῶτα diphthongi in Harpyia, & ſimilibus cenſuerunt a præcedente vocali diſtrahi, & cum ſequente vocali coniungi debere hoc modo. Harpy, ia: Mihi aliter videtur. Cauſæ, quæ ad id cenſendum mouent, hæ ſunt Vt in reliquis diphthongis Græcis, cum latine ſcribũtur ſubiunctiua vocalis, ſubiunctiua manet, ſic etiam in hac diphthongo τὸ ἰῶτα adhærebit præpoſitiuæ ſuæ, vt pari iure ſit cum reliquis. Scribeturq. Sicyi, a, & Harpyi, a, Præterea αι diphthongus Græca, latine ſcripta ſemper perſeuerat eſſe τὸ ae: ſi quidem a iure non receditur, quod clare patet in Αἰνείας Aeneas, Aeneades, Aeneius.

Si

Si id non ſit, peſſime conſuleretur cæteris. Quid quæſo, eſt euenturum vocali ῖ præpoſitiuæ in ευ diphthongo, niſi ῦ vocalem ſubiunctiuam diphthongo conſeruemus, & applicemus ſuam? Namq; ſi in Ευαγορας & Ευανδρος nos τὸ ῦ a diphthongo detrahentes, ac facientes conſonantem, applicando ſequenti vocali, E, vagoras & E, vander dicamus, neceſſe eſt E, remanere breuem. Demonſtrationes hæ lineales ſunt, nec quidquam vere dici contra poteſt. Ipſi Græci, ſi quando diphthongum hanc diſſoluunt, voluntq; priorem vocalem eſſe longam vertunt ἔψιλον, in η, ſi vero breuem, nulla eſt mutatio neceſſaria. Pro teſtimonio, duæ ſufficiant ex Heſiodi Theogonia voces ἔυκομος & ἐυςέφανος.

„ ηϋκόμους θ' Ἁρπυίας, Ἀελλώ τ' ὠκυπέτην τε.

&

„ γήματο καὶ Πολύδωρον ἐϋςεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.

Atq; (quod ab hac diſputatione non eſt admodum alienum) facimus ne recte nos, qui in vocibus his „ *Maia*, „ *Aiax*, & quæ ſunt his ſimilia τὸ ἰῶτα, quæ græce loquentibus, & ſcribentibus eſt ſubiunctiua diphthongi, cum ſequente vocali coniungimus? Auſonius auſus eſt latine ſcribere, cum dicit. Salaminius Aeas. Longius abeamus aliquantiſper. In dictionibus ſimplicibus duarum, plurium ve ſyllabarum, in quibus inſunt duæ plures ve conſonantes, quarum prima poſſit ſtatim ſequenti incumbere, vt in hoc nomine „ *Caſtra*, In his, inquam, quid ſtatuemus? adhærebit τὸ s, priori vocali, an cum ſequente coniuncta conſonante, vocali ſequenti ſeruiet? Probus Grammaticus diuidendas conſonantes cenſet, itaq; in hac voce „ *Aſtas*. τὸ s, præcedenti ſyllabæ adiungit. Eſt Mediolanij in hortis vrbanis I. V.C. Vidi Mazentæ nobiliſſimi, & elegantiſſimi viri inſculpta in Lunenſi candido marmore προτομὴ vel Cybeles turritæ, vel Haſtæ vrbis; a cuius vtroq; latere

vox hæc Haſta ſic diuiſa conſpicitur:

Has TA. Vniuerſæ ne ſimiles voces ad hanc tamquam normam reuocari debeant, doctorum iudicium eſto. In duabus liquidis exſtat præiudicium Probi Grammatici: qui M, & N. coniungi numquam debere iudicat, paucis nominibus exceptis, vt in Mnaſylas, & & Mnemon, ego adderem etiam Polymneſtor [primas enim duas ſyllabas in hac dictione alibi demonſtrauimus eſſe breues) & ſic aliquot alia. Ergo auctore Probo pronunciabimus om nis, non o, mnis. Fortaſſe quod ad nomen Has TA, & ad marmor Mazentæ attinet, dici poteſt, marmorariorum arbitrium fuiſſe, vt ex libidine ſua voces ſecarent: vniuſq; ſyllabæ partem fini præcedentis verbi, partem initio ſequentis attribuerent. Quod procliue eſt iudicare ex nonnullis antiquis marmoribus, in quibus ſyllabæ diuiſæ prope prodigioſe ſunt nulla cogente neceſſitate, quippe vacante, & ſuperante ſpacio intra eos cancellos, & limites, quos ſibi in longitudinem rectis lineis præſignarint. Cuiuſmodi apponimus inſcriptionum duarum partem eam (nam integras alibi retulimus) quæ ad rem præſentem facit.

Haſtæ.	Dertonæ.
DECVRIO.HAST. ET	LEG. V. M. CONI VGI

pronunciabāt ne antiqui I,&V,conſonantes ſeparatim à ſequente vocali? Id propono propter τὸ I. ſeparatum à ſequente vocali in hac inſcriptione Dertonenſi. Atq; hanc poſtremam partem addidi in gratiam ſodalis amabiliſſimi Fabij Bellonij: qui cum iure arctiſſimæ neceſſitudinis

tudinis

tudinis poſſet imperare, rogauit: vt caput hoc longiuſculum hac appendice cumularem.

MEDIASTINVS LVDERE.

Cap. XXVII.

MEdiaſtinus, quod verbum eſt in epiſtola xiv. libri primi Horatij, non à Medius, & ἀστὺ, neq; à Medius, & ſtando, vt putant, compoſitum nomen eſt. Sed vox eſt ſimplex à Medius deriuata, ea terminatione, qua Clandeſtinus à Clam, & Paupertinus à Pauper. Mediaſtini autem in familia vrbana ſerui condicione erant peſſima, quippe quibus omnium prope imperio eſſet parendum. Villicus autem ſeruus plerumq; fuit, primas in familia ruſtica gerens: impoſitus à domino reliquis ad diſtribuendum ſuas cuiq; operas, & diaria, eratq; tamquam domini vicarius. De quo, & de eius officio legatur octauum caput libri primi diligentiſſimi Columellæ. Addidi autem „*plerumq*; cum ſeruum fuiſſe dixi: quoniam partes Villici interdum etiam liberis mandatæ ſunt, quod cognoſci poteſt ex oratione Ciceronis pro L. Flacco, non procul à fine, vbi datum eſſe iudicium in Villicum M. Lurconis libertum narrat. Nam niſi villicus ille liber fuiſſet, non eſſet in iudicium vocatus. Atq; ſint hæc dicta in epiſtolæ, quam dixi, verſus hos.

„ *Tu Mediaſtinus tacita prece rura petebas.*
„ *Nunc vrbem, & ludos, & balnea villicus optat.*

Sequitur ibidem hic verſus.

„ *Non Luſiſſe pudet, ſed non incidere ludem.*

Hic verbum Luſiſſe tectum illud quidem eſt, & honeſtum: quo tamen amantium, atq; coniugum etiam congreſſus ſignificantur, quo in ſenſu fortaſſe hìc accipiendum eſt. Sic Græci παίζειν dicunt. In quam notionem protulit Moſes Geneſis cap. XXV.

„ *Καὶ παρακύψας ἀβιμελὲχ ὁ βασιλεὺς γεράρων γιὰ τῆς θυρί-*
„ *δος, εἶδε τὸν ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ ῥαβέκκας τῆς γυναικὸς*
„ *αὐτοῦ.*

Noſtrates quoq; mulieres interdum inter ſe lætius fabulantes, tecto hoc verbo verecunde ſignificant, quod pudor, & modeſtia ſuo verbo prohibet proferre.

LEVO GRATE DECLARATVS Horatij verſus.

Cap. XXVIII.

Leuare prima ſyllaba producta eſt leuigare, & polire apud Horatium epiſt. vltima libri ij.

„ *Nimis aſpera ſano.*
„ *Leuabit cultu.*

Quantitas ſyllabæ primæ ſi animaduerſa eſſet, Porphirionem in errorem non traxiſſet, quamquam fortaſſe alius à Porphirione id admiſit.

Ibidem

„ *Fuit haud ignobilis Argis:*
„ *Qui ſe credebat miros audire tragœdos.*

Legantur Petrus Victorius libro Variarum Lectionum iij. cap. ix. & Robortellus Adnotationum pag. xxvij. & Aelianus Variæ hiſtoriæ lib. iv. ad finem.

Ibidem.

„ *Natales grate numeras?*

Sententia hæc eſt.. De longa ætate gratularis? gratuſque es erga Deos? diuturnioris vitæ gratiam à Dis agnoſcis? refers acceptam Dis vitæ longitudinem? Hic Lambinus craſſe allucinatur.

Ibidem.

„ *Cur alter fratrum ceſſare, ludere, & vngi*

„ *Præ-*

Digitized by Google

,, *Præferat Herodis palmetis pinguibus: alter*
,, *Diues, & importunus ad vmbram, lucis ab ortu*
,, *Silueſtrem flammis, & ferro mitiget agrum*
,, *Scit Genius.*

Quorſum hìc infarcit Lambinus Herodis fratrem? habuit quidem Herodes fratrem Pheroram, & fortaſſe alios quoq;] ſed nec frater, nec Herodes ipſe in hac ſimilitudine locum vllum habet: niſi quatenus diuitem ſignificat. Senſus eſt. Diuerſa ſunt hominum ſtudia, adeo vt ne duos quidem fratres reperias, qui eamdem vitæ rationem ſequantur. Teſtes ſunt Terentiani fratres Demea, & Mitio. Ita hic alter lætam, quietam, ocioſam, ſecuram, voluptariam, & delicioſam vitam vel opibus Crœſi anteponit. Alter noctem diei laborando continuat, fodit, arat, ferit, duriter, parce vitam agit: per omne genus laborum ſe terit, & excruciat, quærendo, & cumulando ſemper intentus.

AELIANI LOCVS DEMONSTRATVS integer, & declaratus.

Cap. XXIX.

PIndarus, vt eſt apud Aelianum lib. xiij. Variæ hiſtoriæ, quinquies cum Corinna nobili poetria, & apud ciues gratioſa ſtultos Thebis nactus auditores, cauſa cecidit. Quorum arguens Pindarus inſcitiam συνεκάλει τὰν Κορίνναν, ſic enim legitur, nec vllo modo, aut addi quidquam, aut mutari lectio debet, ſententiaq: eſt cum perſpicua, tum elegans, & grauitate tanti viri digna. συγκαλέω autem præter alias notiones ſignificat etiam Appello, & Prouoco.

,, *En do plorato* (inquit Gloſſarium vetus) συγκάλεσον. & alibi. ,, *Pro-*

„ *Prouocat*, προκαλεῖται, Επικαλεῖται.

Hæc verbi vis non animaduerſa, nonnullis cauſam præbuit corrumpendi locum, qui per vim furcillis eiecta voce naturali, & cauſæ, lociq; propria adulterinam, abſurdamq; ſubſtituentes pro Corinna Κορωνὴν ſenſu ineleganti, ruſtico, & contumelioſo legunt. Alij Κορωνῆν ſeruantes anteponunt vocem ὗν ſic legentes σαυσκάλει ὗν Κόρινναμ. appellabat ſuem Corinnam. Sed non tam amens, & præceps fuit Pindarus: vt iuſtam, vincibilemq;(vt Terentiano verbo vtar) cauſam, ipſe non modo ſuæ facultatis conſcius, ſed etiam æquus æſtimator virtutis æmulæ, aduerſariæq; ſuæ, deteriorem faceret intemperantia impotentis iracundiæ, & contumelioſo conuicio, nullum vllius feſtiui, ſalſiq; leporis honeſtum, & ingenuo, doctoq; viro aculeum habente. Iudicaſſent certe vniuerſi, Pindarum; vt claudi celeritatis, viriumq; ſubſidio deſtituti equos conſcendunt, ſic ipſum diffiſum cauſæ ad auxilium probrorum confugere. Non ſolum de aduerſaria nihil humile ſenſit ſed etiam, cum eamdem iudicem ſumit, hac animi altitudine fiduciæ plena quantam adſpergit mulieri iudicij, iuſtitiæ, & fidei commendationem? Neq; vero dubito, cum duo in hoc Aeliani loco acrius controuerſentur, & concertent, quin, ſi non ab vtroq; certe ab altero, de cuius probitate, & virtute ex eiuſdem ſcriptis iudico, noſtra hæc animaduerſio gratiam ineat, & beneuolentiam conciliet. Non abſimile autem refertur Euripidis grauis, & ſeueri viri dictum, qui ab imperitis æſtimatoribus iudicatus inferior, aduerſarium vrbane, & grauiter ſimul appellans inquit: Non te pudet Euripidem vincere?

NEP.

Digitized by Google

NEPTVNVS VNDE DICATVR.
Locum Ciceronis non eſſe mutandum.
Virgilij verſus emendatus.

Cap. XXX.

Libro ſecundo de Diuinatione tradit Cicero: vt a Portu Portunum, ſic a Nando Neptunum deduci.

Ibi nonnulli pro Nando, a Nuptu, vel a Nubendo cenſent legendum. Sed nihil mutandum eſt. Nam abiret a ſe ipſe Cicero: qui paulo ſupra dixit.

,, *Quiq; aer per maria manat (fortaſſe pro manat legen-*
,, *dum eſt, nat. ſed ſignificatione vtrumq; idem eſt) eum*
,, *eſſe Neptunum.*

Libro iij. Aeneidis Virgilij ſunt hi verſus.

,, *Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.*
,, *Lanigeræ comitantur oues; ea ſola voluptas,*
,, *Solamenq. mali de collo fiſtula pendet.*

ad quos verſus Pierius admonet, in aliquot vetuſtis ſcriptis libris tertium verſum eſſe hemiſtichium, hoc modo.

,, *Solamenq. mali.*

Ego quoq; ſequentem partem verſus ſpuriam eſſe iudico, eſſeq; ſuplementum imperiti alicuius non ſolum non neceſſarium, ſed etiam contrarium ſuperioris verſus extremæ parti. Nam ſi ouium comitatus fuit ſola Polyphemo voluptas, non ergo addi debuit hæc altera, fiſtula de collo pendens.

Digitized by Google

SATVRA LEX. SATVRA LANX.

Cap. XXXI.

QVæſumus dicimus pro Quæſimus, contra Portubus, Ficubus, cum alijs ſimilibus. Pari modo Satura, & Satira poema, & Satira, & Satura lex, & Satura, & Satira Lanx, aut Farcimen Itaq; apud Tibullum lib. j. elegia ij. Vetuſtus codex Vaticanus Satiri pro Saturi habet in hoc verſu.

,, *Turbaq. vernarum ſatiri bona ſigna coloni.*

Saturam autem legem, & Saturam lancem a Satur, vt eſt dictum, nomine, vel a verbo Saturo deduci, illa quod vna rogatione plura iuberet: hæc, quod pluribus & varijs cibis, aut frugibus eſſet referta, omnibus eſt notum, & Gloſſarium vetus inquit.

,, *Satura.* [illegible] περὶ ἔχον.

MEDIOLANIVM NON MEDIOLANVM *Scribi. Iſtaec, & Iſthaec. Cælum, & Cœlum. Delicia, & Delitia.*

Cap. XXXII.

LEuicula res, non contemnenda tamen. Mediolanium ſex ſyllabis, non Mediolanum ſcribi oportere docent tres antiquæ inſcriptiones: quas in marmoreis partim tabulis, partim Stylobatis admonitus a nobiliſſimo, & honeſtiſſimarum artium ſcientia inſtructiſſimo Vido Mazenta I.V.C. Mediolanij nuper legi, quarum exemplum infra ponam. Græci etiam ſcriptores

Ptole-

Digitized by Google

Ptolemæus, & Strabo eamdem Orthographiam vbiq; ſeruant. Nam Auſonium, & culpa librariorum corruptos Taciti, Stephani, & Plinij libros nihil moror. Præterea in his, quas ſtatim addo, Mediolanienſibus inſcriptionibus, eſt coelum cum oe diphthongo. Iſthaec cum adſpiratione in medio dictionis. Delitiæ, cum T.

In latere angulari priuatarum aedium
e regione templi Diuae
Mariae Scalae.

VENERI. ET
CHARIT
COELVM TERRA MARE. ET
DEVM. REMOTA
MENS VOSTRO COLITVR
FAVENTE. DVCTV
NOSTRIS ERGO DEAE
FAVETE VOTIS.
HIE. ARAB. ALVIS. F.
V D

Digitized by Google

Ibidem.

POMONAE

SAC

HARAB. POMARIA

ISTHAEC. AMOENA

HESPERIDVM.

DONA. BEATA. SIBI

HOSPITIBVSQVE

FORE. DELITIAS

NVMINI. PO.

V. C.

Quæ ſequuntur exempla pertinent ad id, quod diximus: Mediolanium, non Mediolanum eſſe ſcribendum.

In

Digitized by Google

In hortis Galleatij Vicecomitis.

V. S. D. M
MAXIMVS. MAXIMINVS
PRIMITIVVS. VI. VIR
MEDIOLANIENS
SIBI........................
....
....
....
....

Ibidem.

....
.... SVB. VR
SVIS. MEDIOLANIENS
RVFINAE. LIBERT
VERA
IN. A....
SECVNDAE
T. L. PAL
VXORI

Mediolanij:

SACRO

SVSCEPTO

SORTIBVS. SVBLATIS

C. GALLIO

ATTICVS

MEDIOLANIENS

EIVSDEM

Digitized by Google

EIVSDEM

IOANNIS MARII

Mattij Brixiani

BREVIS DEFENSIO SVAE SECVNDAE adnotationis ad eorum opinionem, qui contendunt, ex aliquot locis Fabij Quinctiliani certo ſtatui debere, libros Rhetoricorum ad Herennium à Cornificio fuiſſe conſcriptos.

VM CARMINE IN FINE AD DIVAM Mariam Virginem matrem D. N.

AD PERILLVSTREM OCTAVIANVM Gilijnum Patricium Alexandrinum.

Digitized by Google

GVLIELMINI

SCHIAVINAE SACERDOTIS CANONICI MAX. TEMPLI ALEXANDRIAE.

ORTA grauis lis eſt inter duo lumina linguae,
Antiquo nomen quae tulit à latio.

Riccobonus ſtat pro vna parte, ſibiq; tuendam
Partem aliam Marius Mattius adripuit.

Diſceptet cauſam doctiſſimus: atq; vter horum
Collimans videat rectius hic ſ ſtatuat.

Digitized by Google

IOANNES

Marius Mattius

PERILLVSTRI

I. V. C. OCTAVIANO

GILIINO

Patricio Alexandrino

S. P. D

AGITUR circiter xijx. annus perilluſtris, & excellens Gilijne, cum editus eſt Ticini liber adnotationum mearum, in quarum ſecundo capite rationibus allatis demonſtrabamus eos, qui ex Fabio Quinctiliano conarentur probare, auctorem Rhetoricorum ad Herennium Cornificium eſſe, eiuſdem Fabij teſtimonijs ad mutandam ſententiam iure compelli poſſe. Cumq; orta alijs de rebus controuerſia inter Carolum Sigonium, & Antonium Riccobonum viderem, in ſuis ſcriptis probationes illas

meas

meas ab Riccobono homine docto tentari, non (vt mihi certo perſuadeo) vllo lædendi mei ſtudio: ſed quod rationes cauſæ, cui inſeruit, ſic poſtulare iudicet, neminem putaui fore, qui factum meum ſit damnaturus: ſi ego quoq; cauſam ſemel ſuſceptam, & quam probem, atq; opinionem priſtinam defendam ea moderatione, quam à natura acceptam moribus alui ſtudioſe per totam ætatem ſemper, & colui. Et ſane ſi alterum tueri glorioſum eſt, ſibi adeſſe cuiquam vitio dabitur? Di mentem iſtam hoſtibus. Nec mea ſcripta de me ita male merita ſunt, vt fœtus meos habere caros non debeam. Mihi igitur hic adfui, negocium proprium, non alienum acturus. Quamquam ſi a Carolo Sigonio ſtem, agam cauſam amiciſsimi hominis: quem & viuum meritiſsimo atq; mutuo dilexi, & mortuum memoria colam ſempiterna. Committere etiam negligendo non debui, vt hæc inueterata de Cornificio opinio mihi noceat. Quod certe contingeret, ſi tacitus rem tranſirem, homines enim paulo remiſsiore cura Riccoboni ſcripta legentes nullo contradicente, rationes ibi apud eum lectas probarent: ſilentiumq; noſtrum in conſcientiam ducerent, & bona cauſa deſerta, exiſtimaretur mala. Reſpondeo igitur, & ad ea, quæ ſunt in adnotatione mea pridem edita, quæ hic quoq; deſcribitur, addo nonnullas alias rationes, in quibus ſi pro priſtina

opi-

opinione propugno, oppugnare quemquam videri non debeo: tametſi dum adiumenta mea confirmo, neceſsitas cauſæ coegit infirmare aliena. Hæc autem commentatio mea cum carmine ad Sanctiſsimam Mariam matrem D. N. haud ita pridem a me conſcripto cupit in lucem prodire, ſed id concedere illi non audeo, prius quam grauiſsimum ſapientis conſilij tui teſtimonium, quod plurimi facio, ad deſiderium illius intelligam accedere. Grauioribus quidem cogitationibus detineri te, & ſublimiora adſpectantem interpratatione iuris, & legum eſſe quam occupatiſsimum plane video. Sed ſingularis & præcipuus in me amor tuus, te libente, ſubfurabitur, ſatis ſcio, magnitudini, & multitudini negociorum tuorum ocij aliquid, quod ſubſeſiuis horis legendæ, ac perpendendæ vigiliæ huic meæ libenter impendas. Habes quidem gentilium tuorum libros quos voluas, qui doceant, habes exempla, quæ imiteris, attamen hæ meæ chartæ non impedient, immo fortaſſe etiam addent currenti calcaria ad meditandos illorum honores, & ſublimes gradus, ad quos ſua eos virtus multarum celebrata monimentis hiſtoriarum feliciter extulit, in quorum exemplis ſic iam pridem impreſſa alte veſtigia fixiſti: vt qui in rationem vitæ, & ſtudiorum tuorum attentius intueantur, egregiam æmulationem, & expreſſum

moribus tuis teſtentur Proauum tuum Chriſtophorum Gilijnum Præſidem Magiſtratus Ordinarij Mediolanij. Qui tanta prudentia, & approbatione vniuerſæ prouinciæ Medíolanienſis eum magiſtratum geſſit: vt quos ad laudem cohortentur, illis hunc tamquam exemplum ad imitandum adhuc omnes huius imperij ciuitates citent, & proponant. Simoninum Gilijnum auum tuum excellens Octauiane, militiæ ſcientiſsimum, & Ducum Conſiliarium egregie commendant annalium eius temporis teſtimonia. Ille honorifice functus ad Europæ magnos Dominos legationibus multis, tam carus, probatuſq; Ducibus fuit, vt eorum liberalitate honoris ergo oppidum Gamalerium ad v. ab Alexandria lapidem dono in clientelam, quod nunc feudum appellant, acceperit. Et quoniam veram, ſolidam, propriamq. eam eſſe cuiuſq. laudem iure ſemper iudicauiſti, quã quiſq. audit ſibi, et virtuti ſuæ tribui, nec ſatis exiſtimaſti ad gloriam, præluxiſſe tibi claros Maiores tuos, tu ipſe a prima ætate omnem virtutem morum atq. naturæ ſic coluiſti, vt quocumq. incubueris, mirifice excellueris. Ego magiſter olim tuus teſtis ſum cum tuæ in me colendo, et amando (neq. enim id reticere debui) beneuolentiæ, tum in diſcendo alacritatis, & diligentiæ, numquam eguiſti admonitionum ſtimulis. Satis per te paratus, & attentus

eras,

Digitized by Google

eras. Itaq; me in ſtudio tuo plurimum amabam, & in te mihi ſuauiſsime blandiebar; qui talem alumnum haberem tali aduerſus me beneuolentia, & reuerentia, tali ingenio, atq; induſtria præditum. Iam tum optimæ frugis omnibus ſpem dabas, quorum expectationem non fefelliſti. Namq; excellenti cum laude, & exiſtimatione emerſus ex humaniorũ litterarũ ſtudio, ſic in iuris cognitionẽ te demerſiſti, vt inde breui non irrigatus, & tinctus, ſed totus largo flumine cognitionis humanarũ, & diuinarũ legũ perfuſus, & imbutus emerſeris, nulla facta iactura politiorũ litterarum: quas a multis cum legũ libris coire non poſſe exiſtimatas tu adeo lepide, & feliciter ſimul conſociaſti, vt amabiles toto foro ſint formulæ, & actiones tuæ. In magiſtratuum honoribus adminiſtrandis, quos hic, & Mediolanij, & in tota Mediolanienſi ditione adeptus es, & in aduocationibus clientium chorum pulcherrimum virtutum induxiſti fidem, facilitatem, comitatem, prudentiam, grauitatem lepore conditam, affabilitatem. In ſtatuendo vero, & in ſententijs ferendis, aut compoſitione tollendis controuerſijs, acumen & dexteritatem adeo admirabilem oſtendiſti, vt hoc tam pulchro virtutum comitatu facile vniuerſis probaueris; Te vere eſſe nepotem Iacobi aui tui, qui fuit a Secretis Franciſci Sforziæ II. Ducis Mediolanij: & fra-

tris filium Camilli eius filij patrui tui, cuius ſingularem doctrinam, & ſapientiam teſtatur doctus, & elegans latine conſcriptus, qui circumfertur, liber. Neminem habuit Camillo Dux nec cariorem, nec inſtructiorem artibus ijs, quæ ad adminiſtrationem Rerum pub. pertinent, prudentia ſcilicet, & fide. Itaq; in fœdere, quod Bononiæ ictum eſt, conſtituta tandem inter Clementem Medicem Pont. Max Carolum Auſtrium Imperatorem, & Venetos pace ann. CIↃ. IↃ. XXX. cum adnitentibus maxime, & id omnino contendentibus Venetis Franciſcus Sforzia in patrium regnum eſt reſtitutus, enituit virtus Camilli huius: ſine cuius conſilio in omni adminiſtratione publica Dux numquam quidquam ſtatuit. Idem poſtea miſſus ab eodem Sforzia in Hiſpaniam legatus ad Carolum iam dictum Imperatorem, munus obiuit (vt nihil aliud addam) ex mittentis ſententia. Demum a Clemente Pont. Max. in purpuratorum Cardinalium collegium commendatione meritorum, & nobiliſſimarum virtutum vltro cooptatus fuit, etſi lætitia hæc per inuidiam, & ſcelus improborum quorumdam, alienam gloriam infamiã ignominiamq; ſuam exiſtimantium diuturna illi eſſe non potuit. Nam dum ex Hiſpania functus honorifice, magnificeq; legationis munere, Romam redit, in Sicilia veneno ſublatus interijt, vir plane ſingu-

Digitized by Google

ſingularis, qui ijs etiam, qui ab eo erant propter æmulationem alieniore animo, poſt obitum ſui deſiderium reliquit. Niſi Paulus Iouius in libro de viris doctrina illuſtribus honorificam de eo mentionem haberet, liberius hic mihi latus euagandi campus dabatur. Quamquam illius virtus aliorum quoq; multorum teſtificatione ſatis eſt nota, teq; meminiſſe ea confido, quæ tibi olim adoleſcenti ego de tuis gentilibus, prætermiſsis illis, quos plurimos legebam artem militarem cum ſumma laude tractauiſſe (Quorſum enim militarium virorum commemoratione auribus obſtreperem hominis non Pallada, ſed Mineruam iam tum ſpectantis?) meminiſſe (inquam) te confido, me ſolitum eſſe tibi prædicare inter eos, quos ſupra dixi, atq; alios etiam, de tribus Gilijnis vno Archiepiſcopo Genuenſi Ottone, altero nomine, & cognomine Gilijno Epiſcopo Comacenſi, tertio Epiſcopo Bobienſi, vt ſileam mihi conſilium non eſſe ſtemmata nobiliſsimæ familiæ tuæ hic ſpectanda exponere, quæ res propter gentilium numeroſam prolem plenius volumen deſideraret. Tantum in præſentia te hortor, vt parentis tui Thomæ exemplum, & rationem, quam tota vita in adminiſtratione negociorum cum vniuerſorum, tum maxime publicorum admirabilem adhibuit, ſequaris ſedulo, quod facis, & imitatione exprimas, & repræſentes.

Vbi,

Vbi, ſi quis alius, ille cunctis ciuibus ſuum in Rempublicam ſtudium, & pietatem luculenter probauit. Sed vt quod ſuperius dixi, iterum hic repetam, & epiſtolam veriſsima prædicatione meæ in te propenſiſsimæ voluntatis concludam, in magno numero eorum, qui ex gymnaſio meo prodiere clari, & eximijs artibus excellentes viri, tibi perſuade, & pro certo habe, te præcipue eſſe, in quo, ſupra quam ſcribendo adſequi poſsim, mihi blandiar, & placeam. Vale, & quam nactus es Spartam, eam ne deſere, id eſt, me, quod facis, conſtanter, & mutuo ama. Dat. Alexandriæ v. idus April. M.D.IIC.

Digitized by Google

EX LIBRO ADNOTATIONVM Ioannis Marij Mattij.

Cap. II.

LIBROS RHETORICORVM ad Herennium non eſſe Cornificij.

QVI libros Rhetoricorum ad Herennium Cornificio adſcribunt, quo in numero ſunt magni hac tempeſtate nominis viri, ex aliquot locis Fabij Quinctiliani, quo auctore ipſi ad ita ſentiendum moti ſunt, facile conuincuntur. Namq. lib. v. cap. x. in principio ſic ſcribit.

,, *Genus quoddam Enthymematis a Cornificio appellari*
,, *Contrarium*.

At vbi id apud auctorem horum Rhetoricorum legitur? Eiuſdem Fabij lib. ix. cap. iij. hæc verba ſunt, vbi de figuris agit.

,, *Hæc omnia copioſius ſunt exſecuti, qui non vt partem*
,, *operis tranſcurrerunt, ſed proprie libros huic operi dedi-*
,, *cauerunt. Sicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cornifi-*
,, *cius, Viſellius, aliiq; non pauci.*

At auctor Rhetoricorum ad Herennium de tota arte

Rhe-

Digitized by Google

Rhetorica, non de figuris tantùm tractat, quod feciſſe Cornificium ſcribit Fabius, quodq; feciſſe Rutilium omnes ſcimus. Idem ibidem paulo poſt.

,, *Quædam omnino non ſunt figuræ, ſicut Ordo, Dinume-*
,, *ratio, Circumſcriptio, ſiue hoc nomine ſignificatur com-*
,, *prehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio, nam & hæc Cor-*
,, *nificius, atq. Rutilius ſchemata dictionis putant.*

Atqui in toto eo opere, quod Cornificio vindicant, de his figuris ne verbum quidem.

Idem Fab. ibidem.

,, *Adicit his Cæcilius* περίφρασιν. *de qua dixi. Cornificius*
,, *Interrogationem, Ratiocinationem, Subiectionem, Tranſ-*
,, *lationem, Occultationem.*

At vbi de Occultatione in eo toto libro?

Idem paulo ſupra.

,, *Equidem tradi inter præcepta miror: eorumq; exempla vi-*
,, *tandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari iucun-*
,, *dum eſt, ſi curetur, nequid inſit amari. Auium dulcedo*
,, *ad auium ducit, & apud Ouidium ludentem. Cur ego*
,, *non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc Traductio-*
,, *nem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.*

In libro quidem quarto operis ad Herennium in Traductione exemplum illud legitur. Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Cætera vero nequaquam. Immo in figura, quam Annominationem ille auctor vocat, exemplum illud ponitur. *Auium dulcedo ducit ad auium*. Vt qui ſuſpenſas habet vniuerſas ſuas rationes ex hoc loco, probaturi ex eo, opus illud eſſe Cornificij, tenui admodum, atq; adeo nullo filo pendeant, vel etiam ſuo ipſi gladio confodiantur. Qui vero eoſdem libros Ciceroni adſcribunt, imperitiã ſuã, cum hebete iudicio oſtendunt: nec vident, quam male de Cicerone mereantur, opus illud tanto viro indigniſſimum illi attribuentes.

IOAN-

IOANNIS MARII MATTII

DEFENSIO ADNOTATIONIS SVAE ſecundæ contra eorum opinionem, qui ex aliquot locis Quinctiliani contendunt Rhetorica ad Herennium ab Cornificio eſſe certo agnoſcenda auctore.

Magni in litteris patrum ætate, & noſtra viri libros Rhetoricorum ad Herennium ſine vlla dubitatione Cornificio adiudicant, adducti aliquot locis Fabij Quinctiliani. Pugnauit accerrime in hac parte nuper Antonius Riccobonus, homo egregie nobilibus artibus excultus. Ego pridem tradidi, infirma eſſe ad obtinendum, quod volunt, adiumenta ex Fabio petita, neq; adhuc de ſententia decedo, nixuſq; eodem Fabio auctore dico, certo, vt illi adfirmant, ſtatui id non poſſe. Atq; vt tota cauſa apertius cognoſcatur, deſcripta prius hìc vetere noſtra adnotatione collatiſq; locis vtriuſq; Fabij, & auctoris Rhetoricorum iſtorum, in quibus quaſi firmiſſimis fundamentis Riccobonus omnem ſpem obtinendæ cauſæ inædificat, etiam Ricconi verba apponimus, ſtatimq; ſubiungimus ad ſingulas eius rationes noſtras: quibus priſtinam noſtram con-

firmari opinionem exiſtimamus. Vtri rectius ſenſerint iudicabunt docti.

Ex quindecim rebus, quibus Riccobonus in libro, quem Iudicium ſecundum, & in eo, quem Defenſorem inſcribit, nititur probare, librum Rhetoricorum ad Herennium eſſe Cornificij. Vna eſt figura Traductio, de qua ipſum audiamus.

Ex Riccoboni Defenſore.

1. ,, *Non vna figura Traductio, ſed res quindecim a me*
,, *collectæ hoc effecerunt, &c. Me vero, vt ita ſcriberem,*
,, *impulit, quod ſcriptum in Rhetoricis ita videbam. Tra-*
,, *ductio eſt, cum idem verbum modo ponitur in hac, mo-*
,, *do in altera re, hoc modo. Amari iucundum eſt, Si*
,, *curetur, ne quid inſit amari, Apud Quinctilianum*
,, *vero hoc pacto. Aliter quoq; voces, aut in eadem, aut*
,, *in diuerſa ſignificatione ponuntur, vt Amari iucun-*
,, *dum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Cornificius*
,, *hanc Traductionem vocat, videlicet alterius intelle-*
,, *ctus ad alterum.*

& paulo poſt.

,, *In eo libro ſcripſi, Quinctilianum res quindecim de*
,, *Cornificio attuliſſe, quæ omnes de auctore ad Heren-*
,, *nium veræ eſſent, nihilq: tribuiſſe Cornificio, quod in*
,, *Rhetoricis non Herennij, vt tu loqueris, ſed ad Heren-*
,, *nium non inueniretur, &c. Audi, poſtquam vis, &*
,, *cognoſce; vel potius, quod cognoſcis, confitere, non*
,, *minus ex alijs, quam ex tua figura Traductione col-*
,, *ligi, ea Rhetorica certo eſſe Cornificij. Age enim,*
,, *Declarauit auctor ad Herennium Traductionem,*
,, *Quinctilianus eam declarationem tribuit Cornificio,*
,, *vnde colligis, ſcriptorem ad Herennium eſſe Cornifi-*
,, *cium.*

In his verbis pluſcula ſunt Sigonij, quæ tamen Riccoboni ſunt cenſenda, quoniam ſi a Sigonio eſſent

præ-

Digitized by Google

prætermiſſa, Riccobonus eadem fuerat adlaturus, ſi quidem cauſam ſuam voluiſſe firmare. Nos ad vniuerſa ſic reſpondemus.

Si ſola legantur & perpendantur, quæ ab Sigonio, & Riccobono, ex Fabio, atq; ex incerto auctore prolata ſunt verba, cadã ego ſtatim cauſa nõ ſolũ non perorata, ſed ne inchoata quidem, quod ne accidat, fideliter loca vtriuſq; Fabij, & huius incerti auctoris huc transferam. Fabius igitur lib. jx. cap. iij. in figura Ἀνταναχλασει. (quam tamen P. Rutilius, vnde Quinctilianus eam accepit, Ἀνάκλασιν, vocat) ſic ſcribit. Cui confinis eſt Ἀντανάκλασις, eiuſdem verbi contraria ſignificatio. Cum Proculeius quæreretur de filio, quod is mortem ſuam
,, exſpectaret, & ille dixiſſet, ſe vero non exſpectare, im-
,, mo, inquit, rogo exſpectes. Non ex eodem, ſed di-
,, uerſo vicinum accipitur, cum ſupplicio adficiendum
,, dicas, quem ſupplicatione dignum iudicaueris. Aliter
,, quoq; voces, aut eædem in diuerſa ſignificatione ponun-
,, tur, aut productione tantùm, vel correptione mutatæ,
,, quod etiam in iocis frigidum. Equidem tradi inter
,, præcepta miror, eorumq; exempla vitandi potius, quam
,, imitandi gratia pono. Amari iucundum eſt, ſi curetur,
,, nequid inſit amari. Auium dulcedo ad auium ducit
,, & apud Ouidium ludentem. Cur ego non dicam Furia
,, te furiam? Cornificius hanc Traductionem vocat, vi-
,, delicet alterius intellectus ad alterum.

Hactenus Fabius, verba vero auctoris ad Herennium hæc ſunt.

,, Traductio eſt, quæ facit, vt cum idem verbum crebrius
,, ponatur, non modo non offendat animum, ſed etiam
,, concinniorem orationem reddat, hoc pacto. Qui nihil
,, habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non
,, poteſt colere. Item. Eum tu hominem appellas, qui
,, ſi fuiſſet homo, numquam tam crudeliter vitam hominis

,,petijſſet. At erat inimicus. Ergo inimicum ſic vlciſci
,,voluit, vt ipſe ſibi reperiretur inimicus? Item. Diuitias
,,ſine diuitum eſſe: tu vero virtutem præfer diuitijs. Nam
,,ſi voles diuitias cum virtute comparare, vix ſatis idoneæ
,,tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pediſequæ ſint.
,,Ex eodem genere exornationis eſt, cum idem verbum
,,modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo. Cur
,,eam rem tam ſtudioſe curas, quæ multas tibi dabit cu-
,,ras? Item, Amari iucundum eſt, ſi curetur, nequid inſit
,,amari. Item, Veniam ad vos, ſi mihi Senatus det ve-
,,niam. In his quatuor generibus exornat, &c.

Riccobonus, & cæteri, qui ab hac parte ſtant (neq; enim hodie aut heri, vt diximus, hæc mota eſt controuerſia) ſic colligunt. Quinctilianus figuram hanc, Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari, a Cornificio traductionem appellari tradit. Eſt autem ſic apud hunc auctorem librorum ad Herennium. Ergo Cornificius eſt horum librorum auctor.

Duobus modis hic reſpondeo. Primo concedere me, Cornificium confeciſſe Rhetorica, in quibus ſic ſcripſerit, vt Fabius tradit, negare tamen; hæc Rhetorica eſſe ea, quippe multa Fabius ſcribit à Cornificio tradita, quæ tamen in his libris non leguntur, ergo hæc Rhetorica Cornificij non ſunt. Quæ autem ſint ea, quæ in his libris incerti auctoris non legantur, quæ Cornificio Fabius tribuit, ſuo quæque loco in his, quæ deinceps dicentur, demonſtrabimus.

Altero modo eludi, atq; adeo reprimi poſſe aduerſariorum argumentum arbitror ſic, Fabius eodem loco dicit, hanc figuram, Auium dulcedo ad auium ducit, à Cornificio Traductionem appellari. Hoc autem in hoc libro non fit, neque enim in Traductione hic incertus auctor meminit huius exempli, Auium dulcedo ad auium ducit. Ergo horum auctor Rhetoricorum ad Heren-

nium

Digitized by Google

nium non eſt Cornificius. Immo auctor hic incertus hanc figuram, Auium dulcedo ad auium ducit, Annominationem,non Traductionem facit. Quid hìc dicent Cornificiani? Certe non æqui tantùm iudices, quos ſemper appello, ſed paulo etiam in cauſam Cornificianorum propenſiores, quiq; eoſdem ſartos, & tectos velint, aut amplius pronunciabunt, aut iuris idem Attij, quod Titij ſtatuent.

Quid? quod Fabius, cum dicit, Cornificium appellare hanc figuram Traductionem, ſic exponit „ *Videlicet alterius intellectus ad alterum*, ideſt, (vt ego verbis eiuſdem Fabij interpræor) eiuſdem verbi contraria ſignificatio: & eædem voces in diuerſa ſignificatione poſitæ, aut productione tantùm, vel correptione mutatæ. At hic auctor multo magis Traductionem facit, cum eædem voces crebrius repetitæ idem ſignificant, non autem Contrarium. Quod apparet illis exemplis, quæ ſubiungit.

„ Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute
„ vitam non poteſt colere. Item. Eum tu hominem ap-
„ pellas, qui ſi fuiſſet homo, numquam tam crudeliter vi-
„ tam hominis petijſſet. At erat inimicus. Ergo inimi-
„ cum ſic vlciſci voluit, vt ipſe ſibi reperiretur inimicus?
„ Item. Diuitias ſine diuitum eſſe: tu vero virtutem præ-
„ fer diuitijs. Nam ſi voles diuitias cum virtute compa-
„ rare, vix ſatis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ vir-
„ tutis pediſequæ ſint.

Cum igitur longe alia ſit Traductio hæc incerti auctoris ab illa, quam Fabius Cornificio attribuit, non auſim ego certe, puto, nec quemquam alium auſurum adfirmare, colligi ex hac figura Traductione, ea Rhetorica certo eſſe Cornificij, immo in multo diuerſiſſimam ſententiam ab hac Traductione traducor.

Sed quoniam dictum eſt, quæ exempla, & quas ra-
tiones

Digitized by Google

tiones tribuat Fabius Traductioni Cornificianæ, ea eſſe Annominationis apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium, ne forte quis me hæc putet ſomniaſſe, verba illius audiantur.

„ Annominatio eſt, cum ad idem verbum, & idem no„men acceditur cõmutatione vnius litteræ, aut litterarum, „ſyllabæ, aut ſyllabarum, aut ad res diſſimiles ſimilia ver„ba accommodantur. Ea multis, & varijs rationibus „conficitur. Attenuatione, aut complexione eiuſdem lit„teræ, ſic. Hic, qui ſe magnifice iactat, atq; oſtentat, ve„nijt à te, antequam Romam venit. Ex Contrario. Hic „quos homines alea vincit, eos ferro ſtatim vincit. Pro„ductione eiuſdem litteræ hoc modo. Hunc auium dulce„do ducit ad auium. Breuitate eiuſdem literæ, hoc modo. „Hic tametſi videtur honoris cupidus, tamen non tantùm „curiam diligit, quam Curiam. Addendis litteris hoc pa„cto. Hic ſibi poſſet temperare, niſi amori mallet obtem„perare. Demendis litteris ſic. Si lenones tamquam leo„nes vitaſſet, vitæ ſe tradidiſſet. Transferendis litteris, „ſic. Videte iudices, vtrum homini nauo, an vano cre„dere malitis. Item. Nolo eſſe laudator, ne videar adu„lator.

Addam etiam hoc, deinde finem huic parti imponam. Auctor ad Herennium fingit ex ſeipſe omnia figurarum omnium exempla. At Fabius teſtatur verſum illum Ouidij, Cur ego non dicam Furia te furiam? apud Cornificium eſſe, quod haud ſcio an ſit ad infringendam aduerſariorum cauſam firmiſſimum argumentum.

2. „ *Auctor* (*inquit Riccobonus*) *ad Herennium ſcripſit in„tegrum librum de Elocutione, qui eſt quartus Rhetorico„rum. Quinctilianus lib. 9. ait. Hæc omnia de Elocu„tione, copioſius eſt exſecutus Cornificius, qui propriè „librum huic operi dedicauit.*

Eſt

Eſt vèro ſic apud Fabium? immo ſic, vt ego diſerte deſcribam.

,, Hæc omnia copioſius ſunt exſecuti, qui non vt par-
,, tem operis tranſcurrerunt, ſed proprie libros huic operi
,, dedicauerunt, ſicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cor-
,, nificius, Viſellius, alijq; non pauci.

Quorum verborum ſenſus hic eſt. Copioſius hi de figuris tractauerunt, quoniam in hac parte Rhetorices tantùm occupati fuerunt, ſolùm in figuris tradendis operam ſuam collocauerunt, reliquas Rhetoricæ partes non attingerunt. Id autem ita eſſe probat liber P. Rutilij, vbi tantùm de figuris agitur. Idem feciſſe Cornificium ſignificat Fabius. At hic incertus auctor de tota arte Rhetorica, non de figuris ſolis tractat. Quod ſi intelligamus, Fabium hoc ſentire, Cornificium ex 4. libris quartum integrum Elocutioni dedicaſſe, alijs tribus libris in reliquis Rhetoricæ partibus conſumptis, non ridiculus ſit Fabius? quaſi non & ipſe idem fecerit, qui librum integrum, immo libros integros 8. & 9. Elocutioni dedicauit?

3.,, *Ille (pergit Riccobonus) inter figuras verborum nu-*
,, *merat Interrogationem. Hic eodem libro teſtatur Cor-*
,, *nificium numeraſſe.*

4.,, *Ille nominat inter eaſdem figuras Ratiocinationem. Hic*
,, *dicit etiam Cornificium nominaſſe.*

5.,, *Ille Membrum figuris verborum aggregat. Hic quoq;*
,, *lib. 9. tradit Cornificium aggregaſſe.*

6.,, *Ille Articulum figuram verborum facit. Hic affirmat*
,, *Cornificium feciſſe.*

7.,, *Ille inter eaſdem figuras vult eſſe Subiectionem. Hic*
,, *aperit Cornificium voluiſſe.*

8.,, *Ille ſimul Occupationem collocat. Hic declarat Corni-*
,, *ficium collocaſſe.*

9.,, *Ille inter eas recipit Interpretationem. Hic exponit*
,, *Cornificium collocaſſe.*

Digitized by Google

10.,, *Ille in ipſis commemorat Concluſionem. Hic oſtendit*
,, Cornificium commemoraſſe.

11.,, *Ille in ijſdem collocauit Translationem. Hic meminit*
,, Cornificium collocaſſe.

Ego ad nouem has res Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subiectionem, Occupationem, Interprætationem, Concluſionem, & Translationem in vniuerſum ſic reſpondeo: σῦκα μερίζειν id eſſe, tantulam, ideſt vnam rem in tot partes, ideſt in 9. res ſecare: quod faciunt parci, ne dicam an ſordidi: Atq; etſi de conſilio cuiuſquam iudicare non debeo, tamen exiſtimo Riccobonum conantem probare, Cornificium fuiſſe auctorem horum Rhetoricorum, maluiſſe dicere, ſe ex quindecim rebus, quam locis id facere, quo Fabij loco vno in res nouem diſſecto cauſam faceret, oſtentatis adiumentis tot probationum, ſpecioſiorem, & plauſibiliorem, & numeris addendis Soriten Chryſippi tumidiorem, non tamen pleniorem, aut ampliorem redderet, alioqui minore opera, minore impendio chartæ, atq; Chalcanthi vniuerſa hæc abſolui poterant. Sed recitemus nos verba Fabij ex cap. 3. lib. 9.

,, Adicit his Cecilius. περίφρασιν. de qua dixi.
,, Cornificius Interrogationem, Ratiocinationem, Subie-
,, ctionem, Translationem, Occultationem, præterea
,, Sententiam, Membrum, Articulum, Interprætatio-
,, nem, Concluſionem.

Verba hæc Fabij aperte oſtendunt, locum vnum eſſe. Sed ſint res nouem. Etiamne vt cauſæ ſeruiamus, ſtudio vincendi fucum faciemus? & æquitatem ſuſq; deq; habentes ſcripta antiquorum ex libidine peruertemus? Cur, vbi eſt Occultatio, ſit Occupatio? expunctaq; vera, & iuſta ſcriptura inducitur falſa, & adulterina? Inter bonos bene agier, admonemur vetere iuris formula.

Vin-

Digitized by Google

Vincamus virtute non artibus, in certamine præſertim nobili, & generoſo, vbi etiam vinci lucro eſt.

Ac fortaſſe velocitas percurrendi, oculos raptim legentis fefellit, & occupata pluribus cogitationibus mens pro Occultationem Occupationem accepit, malo enim de tali viro hæc ſuſpicari. Attamen quos ego legi libros, vniuerſi Occultationem habent, de qua Occultatione quando hic auctor nuſquam egit (egit autem Cornificius, id teſtante Fabio) conuincitur, hæc Rhetorica à Cornificio non fuiſſe conſcripta.

Quod ad reliquas octo pertinet Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subiectionem, Interpratationem, Concluſionem, & Translationem, aduerſarij ſic pugnant.

Scribit Fabius, has omnes figuras tractatas eſſe à Cornificio. Reperiuntur autem vniuerſæ apud hunc auctorem. Ergo is auctor eſt Cornificius.

Reſpondetur. Si hic auctor de his figuris tradidit, fecit, quod omittere omnino non potuit ſine nota inſignis imperitiæ; pleræq; enim eæ figuræ in ornatu orationis principem locum tenent. Itaq; Cicero (neq; enim græcos nominare eſt neceſſe, quando de verbis, quibus à noſtris appellatæ ſint eæ figuræ, ſermo eſt) cum alibi, tum in Oratore quoties de Articulo, Membro, & Tranſlatione agit? Itaq; ſi adfirmemus, hunc librum eſſe Cornificij, quod ibi tractatas eſſe eas figuras legimus, quas à Cornificio traditas ſcribit Fabius, eodem argumento, Orator Ciceronis erit Cornificij, quoniam ibi has figuras tractatas, & quidem ſæpius videmus. Iuuant igitur & hæ octo res Cornificianos, ne illum quidem. At Fabius ſic ſcripſit. At ego hic adiutor, defenſorque ſum cauſæ meæ, non Fabij patronus, aut etiam interpræs.

32 ,, *Ille* (inquit Riccobonus) *Sententiam, &*
33 ,, *Deſinitionem ponit inter Schemata* λέξεως. *Huius verba*

,, *hæc ſunt. Cornificius atq; Rutilius Sententiam, &*
,, *Definitionem ſchemata* λέξεως *putant.*

Reſpondeo, ductum eſſe in fraudem Riccobonum à memoria, non ſic ſcripturum profectò, ſi Fabij locum, cum hæc commentaretur, conſuluiſſet. Qui locus ſic habet lib. 9. cap. 3.

,, Quædam omnino non ſunt figuræ, ſicut Ordo, Di-
,, numeratio, Circumſcriptio, ſiue hoc nomine ſignifica-
,, tur compræhenſa breuiter ſententia, ſiue finitio. Nam
,, & hæc Cornificius, atq; Rutilius Schemata λέξεως pu-
,, tant.

In quibus Fabij verbis duæ illæ voces ſententia, & finitio (finitio inquam, non Definitio, vt deceptus à memoria Riccobonus perperam legit) non ſunt figurarum nomina, ſed exponunt, & quaſi definiunt, quid ſit Circumſcriptio, Quod licet ex ipſis Fabij verbis appareat ſatis, tamen elucet etiam melius ex Cicerone pluribus locis, ſed maxime in Oratore, quando de Circumſcriptione loquitur.

,, *Sed* (inquit) *vniuerſa comprahenſio, & ſpecies orationis*
,, *clauſa, & terminata eſt.*

& paulo poſt

,, *Cadere tantùm numeroſe oportere, terminariq; ſenten-*
,, *tiam.*

Ibidem.

,, *Illa circumſcriptione, ambituq; vt tamquam in orbe con-*
,, *cluſa currat oratio, quod inſiſtat in ſingulis perfectis,*
,, *abſolutiſq; ſententijs.*

Atq; (quod rem iuuat) vt ſileam, paulo poſt Fabium Sententiam ſoli Cornificio vindicare, illis verbis ſupracitatis, *Cornificius Interrogationem &c. præterea Sententiam, Membrum &c.* non facturum ſi prius eamdem vtriq; Rutilio, & Cornificio tribuiſſet, vt (inquam) illud ſileam, quo pacto hoc quamuis in adnotatione no-

ſtra

ſtra etiam dictum, ſilere, & prætterire poſſim ſine certo præuaricationis crimine? Fabius, vt ex eius verbis prius allatis vidimus, aperte teſtatur, Cornificium inter figuras ponere Ordinem, Dinumerationem, & Circumſcriptionem. At apud hunc incertum auctorem vbi hæc leguntur? Vt ſolo hoc teſtimonio cogantur velint, nolint, Cornificiani fateri, nequaquam hos libros à Cornificio conſcriptos fuiſſe, neq; omnino verũ eſſe, quod ſcribunt.

,, *Nihil tribuiſſe Fabium Cornificio, quod in Rhetoricis ad*
,, *Herennium non inueniretur.*

14 ,, *Ille* (ſcribit Riccob.) *tradit Contrarium idem fere eſſe,*
,, *quod contentio eſt, & contrarium eſſe, quod ex rebus*
,, *diuerſis duabus alteram breuiter, & facile confirmat.*
,, *Hic ſcribit lib. 5. Enthimema, quo pugna conſtat, Con-*
,, *trarium à Cornificio appellari.*

Ego vero ex hoc Fabij loco, qui integer à me ponetur, dico, & prædico, quærendum eſſe alium Cornificium, cui vindicetur incerti auctoris liber: quando nullæ vindictæ iſti poſſunt adſerere. Verba Fabij lib. v. cap. x. vbi agit de argumentis, ſunt hæc.

,, Nam Enthymema &c. Vnum intellectum habet, quo
,, omnia mente concepta ſignificat, ſed nunc de eo non
,, loquimur: Alterum, quo ſententiam cum ratione: Ter-
,, tium, quo certam quamdam argumenti concluſionem
,, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus [ſignifi-
,, cat], quamquam de hoc parum conuenit. Sunt enim,
,, qui illud prius Epichirema dicant, pluresq; inuenias in
,, ea opinione, vt id demum quo pugna conſtat, Enthy-
,, mema accipi velint, & ideo illud Cornificius Contra-
,, rium appellat.

In verba Quinctiliani nunc nihil inquiro, nec interpretem ago. Sed proferatur mihi locus ex his libris, quos Dijs, atq; hominibus inuitis Cornificio adſcribunt vbi legatur, Enthymema, quo pugna conſtat, Contra-

rium appellari: tunc ſtet, qui proferat, coronatus Olympia, tunc manum tollo. Nam quæ de Contrario ſemel, & de Contentione bis agit hic auctor lib. 4. pertinent ea ad figuras verborum, & ſententiarum, non ad argumenta. Deſcribere libet, quoniam mirifice ad rem faciunt, verba Cic. ex Topicis, quibus lectis Cornificiani etiam atq; etiam videant, quiſnam primus Enthymematis quoddam genus Contrarium dixerit.

,, Ex hoc illa Rhetorum ſunt ex Contrarijs concluſa, quæ ,, ipſi Enthymemata appellant, non quod non omnis ſen-,, tentia proprio nomine Enthymema dicitur, ſed vt Ho-,, merus propter excellentiam commune poetarum no-,, men effecit apud Græcos ſuum, ſic cum omnis ſenten-,, tia Enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex Con-,, trarijs conficitur acutiſſima, ſola proprie commune no-,, men poſſidet, eius generis hæc ſunt. Hunc metuere: ,, alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil accu-,, ſas, damnas: bene quam meritam eſſe autumas, dicis ,, male mereri Id quod ſcis, prodeſt nihil; id quod neſcis ,, obeſt. Hoc differendi genus attingit omnino veſtras ,, quoq; in reſpondendo diſputationes, ſed Philoſopho-,, rum magis, quibus eſt cum oratoribus illa ex repu-,, gnantibus ſententijs communis concluſio, quæ a Dia-,, lecticis, tertius modus, a Rhetoribus Enthymema nun-,, cupatur.

25. ,, Auctor denique (hæc eſt vltima res Riccoboni) ad ,, Herennium, præcipit Licentiam eſſe, cum apud eos, ,, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen ali-,, quid pro iure noſtro dicimus. Quinctiliani verba ,, ſunt. Idem dictum ſit de Oratione libera, quam ,, Cornificius Licentiam vocat. Græci παῤῥησίαν, ,, Nonne certo certius apparet (Si Quinctiliano fides ,, habenda eſt, vt certe eſt) Rhetorica ad Herennium ,, eſſe Cornificij?

Re-

Reſpondeo ego. Quod ad Fabium pertinet, telum arripio, & retorqueo, ſic. Fabius ſcribit Enthymema quo pugna conſtat, appellari a Cornificio Contrarium. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit. Item Fabius ſcribit Ordinem, Dinumerationem. Circumſcriptionem, Occultationem inter figuras adnumerari à Cornificio. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit. Ergo certo certius apparet, ſi Quinctiliano fides habenda eſt, vt certe eſt, (ſic enim loquitur Riccobonus) Rhetorica ad Herennium non eſſe Cornificij. Hoc, quod ſequitur, non dico ego [tueri enim, & laudare ſcriptorem optime meritum, non criminari debeo] ſed tamen fingamus aliquem ſic dicere. Fabius ſcribit, tractatas eſſe a P. Rutilio figuras ἠθοποιΐαν, χαρακτηρισμόν, Dinumerationem, Circumſcriptionem, quæ tamen apud P. Rutilium non reperiuntur, apud quem ſi cæteræ, quas Fabius Rutilio tribuit, leguntur, cur non &, hæ? Complexionem argumenti, quæ fortaſſe duplex eſſe poteſt, ergo non infero. Concludat, cui libeat. At fortaſſe Fabius alium Rutilium citat. At reſpondeo ego, fortaſſe, ac ne fortaſſe quidem Fabius alium ab hoc incerto auctore Cornificium citat, a quo poſtea hic incertus didicerit, huic figuræ Licentiæ nomen dare. Certe agens de hac figura nullis indicijs ſignificat, a ſe primo Licentiam appellatam, immo iam illi tale nomẽ fuiſſe aperte eſſe oſtendit, ſic ſcribens

,, *Ergo hac exornatio, cui nomen Licentia eſt.*

dicturus profecto, cui nos Licentiæ nomen dedimus: ſi huius ipſe verbi auctor fuiſſet, quod quidem alibi, facit nimirum libro primo his verbis.

,, *Niſi quia de Inſinuatione noua excogitauimus, quod*
,, *tam ſoli præter cæteros in tria tempora diuiſimus.*

Atq; nemo eſt in ſcriptis Rhetoricis Ciceronis vel mediocriter verſatus, quin ſciat, multo maximam par-

tem

Digitized by Google

tem illarum figurarum, quæ apud hunc in [illegible] Auctorem ſunt, iiſdem nominibus a Cicerone prius eſſe inſignitas, quas perſequi nunc occupato homini non eſt ocium nec conſilium. Vt neceſſe ſit fateri, ea nomina non ab Cornificio, ſed multo ante eum natum, facta fuiſſe. Atq; vt alia quoq; adiumenta addamus, cum Fabius ſcribat ſic.

,, *Quod idem dictum ſit de Oratione libera, quam Cornificius Licentiam vocat. Græci παῤῥησίαν.*

Cumq. apud Iulium Rufinianum legam,

,, *Parrhesia oratio libera, quam Cornificius Licentiam vocat.*

venit in mentem ſuſpicari, magnam partem horum verborum ab libro Rufiniani eſſe in librum Fabij tranſlatam. Scilicet, quod fortaſſe aliquis (quod fit frequenter ab ijs, qui loca auctorum ex alijs ſcriptoribus vel exponunt, vel aliquo modo iuuant) in oræ area libri Fabij verba Rufiniani, quæ ibi quadrarent, adſcripſerit, quæ poſtea imperitus Librarius de margine in ordinem verborum Fabij tranſtulerit. Quod quidem animaduerſum eſt a doctis noſtra ætate hominibus, libris Ciceronis contigiſſe pluribus in locis. Ad quam cenſuram fortaſſe vocari poſſunt etiam verba hæc in figura Contrarium.

,, *Contrarium idem fere eſt, quod contentio.*

Certe cum bis agat idem auctor de Figura Contentione, neq; tamen faciat mentionem adfinitatis, quæ ſit illi cum Contrario, cumq; nullam afferat rationem, quare Contrarium idem fere ſit, quod Contentio, ſi etiam ordinem, quem in reliquis omnibus figuris exponendis ſeruat hic auctor, acres iudices animaduertant, periculum eſt, ne cenſeant, ea omnia expungenda, vt de margine in librum tranſcripta. Ego autem interim ne cenſeo quidem, tantum abeſt, vt iudicem, doctiorum ſententiam audiam, & ſequar.

Ergo

Digitized by Google

Ergo cum ſuſpectus ſit locus Fabij: cum non conſtet hunc auctorem ipſum huic figuræ nomen dediſſe Licentiæ: cum declaratum ſit, alium ab hoc auctore horum Rhetoricorum a Fabio Cornificium ſignificari, a quo hic incertus auctor nomen figuræ Licentiæ acceperit, cum Fabius tribuat multa Cornificio, quæ in hoc auctore non leguntur: dicimus, neq; hanc quinctamdecimam Riccoboni rem quidquam efficere, propter quod de opinione priſtina diſcedere nos debeamus, Et quamquam tot, tantiſq; rationibus, quæ firmiſſimæ ſunt, fulcitur cauſa adnotationis noſtræ, tamen, quoniam ſua ſponſo ſponſa pulchra eſt, ſuumq; coruo ouum placet, cum mihi ſenſum retineo meum, cuiq; relinquo ſuum, qui ſi diiudicari controuerſiam velint, ego vero vel ipſos aduerſarios iudices ſumo, illis ipſis diſceptatoribus vtar, ſin ab ſua ipſi liberali verecundia non impetrant, vt iudicandi de ſe partes ſuſcipiant, ego nihil aliud contendo, niſi vt iudicent docti, quibus ſpero ſi nihil aliud, certe modeſtiam noſtræ adnotationis, & totius huius diſputationis commendatam, & probatam fore.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

IOSEPHI NERII I. C.

ANALECTA:

In quibus,

præter ea, quæ ad Ius pertinent,
VARIA TAM IN SACRA, QVAM IN PROFANA
HISTORIA,
& quædam in TACITO
explicantur, illuſtrantur, emendantur.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

AD ILL.MVM ET REV.MVM
D. EVANGELISTAM
TORNIOLVM
TIFERNI EPISCOPVM,
Et S. Spiritus Magno Vrbis Xenodochcio Supremum Præfectum.

VIDE ſucceſſus rerum tuarum, vir Ampliſsime. Debitores etiam vltrò occurentes, & memores habes. Si reos facis, & in ius vocas, (experire) non modo ſequentur, ſed & nouo argumento reuocabunt. Vbi nunc ſunt illi, qui latitant, vel, ſi paruerint, tabulas conducunt, qui ad raucedinem in ſubſellijs clamant, qui technis, & impoſturis bonum æquum ſubuertere nituntur, qui lites immortales reddunt, & cum conturbauerint, ſpes Creditorum eludunt? Tuos adeant, & diſcant, per iniuriam reos a Legislatoribus fugientes *dictos fuiſſe*. **Non** ἐπίθετον, *vel* ἀντιθέτης *non eſt* ſequens *perpetuum. Recoquendum eſt nomen illud: & ego, licet capite cenſus, ſi feliciori ſæculo natus eſſem, cum vel iam veſticeps Ius incedebat, vel adhuc in cunabulis vagienti Iuris pruden-*

prudentiæ Nomothetæ lallare dictabant, Maioribus meis I.C. hoc ſuadere me potuiſſe ſperarem, ſed fluxa nunc, & caduca ſpes illa eſt. Tu potius iam ſpei plenus, dices, de nomine laborandum non eſſe: & ſtatim a rancido debitore quæres, quid præſtare valeam, quantum argenti in crumena conditum habeam, quot nomina diſpungi velim, an pariare poſſim. Nimirum ad Traſoniſmum meum exiluiſti. Equidem ſi copia eſſet, non vana ſpes eſſet. Scires hominem, etiam cum minùs exigitur, pecuniæ numeratæ impotentem, quique non, vt improbi quidam ſolent, priùs de re olim augenda fœneratoriam factitando, quam de contracto ære alieno diſſoluendo, cogitet. Nunc a pumice aquam quæreres. Plutus meus nullus eſt: & ſi aliquis eſſet, perenni funere in dies elatus, & perditus eſſet: ita nos expeculiatos Bibliopolæ ſæpe dimittunt, dum exoticas papyros in Officinis auidè commercamur. Bellum, inquies, & lepidum commentum! Ita ne te memorem dicis? Ita. Quod vt intelligas. Actoris perſonà depoſita, amicum induere, mox in Curuli tua ſedens, & iure tuo vtens, Dominus, & Iudex mihi operam daturus. Sub-duc igitur calculum, & in memoriam reuoca, quid aliquando Romæ conteſtatus fueris, cum ego ante quinquennium, vt puto, a Cardinali Principe euocatus, Iuris-prudentiam inter Purpuram, &

Scep-

Sceptrum, ALTO, & ſublimi loco collocaturus, in domo non ita pridem (inſtat & ſpes noua) Regnatrice, Ill. Auditori Ductor, & Doctor deſtinatus fueram. Feruebat anni tempus, & ego itineris inſolens vt qui per vicennium, & quod excurrit, numquam domo pedem extuleram, infractus languebam. Complures de ſalute mea ſolliciti amici conueniebant. Tu quoque inuocatus aliquando vltro veniſti, & inter deliberantes (aderant enim Togati, & grauiſsimi Viri complures) ex æquo cum illis dicendæ ſententiæ ius adroganti humanitate tibi vendicaſti. Illud caput ſermonis tui fuit, Te a prima ætate veluti filium me obſeruaſſe, ſupra viginti annos ſtudia, & actus meos ſpeculatum eſſe. Alia quoque addidiſti. Volentem me retinuiſti, hærentes alios confirmaſti. Sed Valetudo demum, veluti Tribunitia quædam poteſtas interceſsit: mox domeſticum Scitum ad centeſimum ferme lapidem me Romà tamdem expulit, & abire iuſsit. Reuocatum etiam, ab itinere, ab Aula abſtinere coegit. Sic ego Romam, præter votum, vix oculis limis, & languidis per tranſitum inſpexi: ſic intra anguſtiora Auguſtæ noſtræ mœnia obſcurum nomen latui: ſic Magnus Herus ille meus animum retinuit, corpus ad tempus gratioſè abire permiſit. Si verum amamus, Vir Ampliſsime, non plane pro ceritis, & laruatis circumferendi, qui Peruſinam Nemeſin

meſin ſcæuam, & ſæuam vix aliquo expiamentorum genere placari poſſe crediderint. Multos vidimus ad Purpuras recta tendentes, non Doctrina, non Probitas, non Genus, non Potentiorum Gratia deſiderabatur. Dicam, & illud? Sanctiſsimi quoque Principis clementiores auditæ voces, ſpes noſtras fouebant, erigebant. Sed & Magnanimum Purpuratum, in quo nec animum, nec ALEXANDRI nomen deſideramus, quem ad Summa ab incunabulis, & Roma, & Orbis, & Principes, & Virtus vocant, quem vnum Patronum hæc Ciuitas, & Regna quoque ſuſpiciunt, & colunt, quis nobis adeo conciliauerat, vt Togam noſtram præcipuam eſſe vellet, a qua Princeps, & ad ſumma natus Nepos Artem æqui, bonique peteret, quam euocaret, & intra Lares ſuos adſciſceret? Certe Principum Benignitatem, & ſummam, quam ego ſum expertus, vt tu noſti, Humanitatem, hæc habent Auctorem. In Exitu tamen felicitatem ecquando experimur? Aliquid ſemper παραδοξότερον noſtra inuertunt, & turbant. In hac rerum Scena lætiorem adhuc Cataſtrophen exſpectamus. An & partim iam habemus (quod Summi Principis ſupra priores Gratia fecit) partim ſperamus? Sed ad me ipſum redeo. Nam ego quidem Romà diuerti, Tu vero ab ingenio tuo non receſsiſti. Quem ſemel amplexus fueras, fouere perrexiſti, & multis nomini-

bus

bus tibi rurſus obſtrictum, & deuinctum retinere voluiſti. In quo, vt agnoſco humanitatem tuam, ita nolim a quoquam deſiderari prudentiam. His tu certè præcipuè ſubnixus, ad Dignitates iſtas euectus, ad maiora quoque adhuc niteris. Et humanitas quidem, quà non pellacior eſt altera virtus, BVRGHESIVM Purpuratum deuinxit: Prudentia verò, Summi, & Sanctiſsimi Principis diuinam mentem pellexit. Sapientiæ, & Mathematicarum Diſciplinarum ſtudia prudens omitto, ne quid per aſſentationem auribus tuis aliquis ex inuiſoribus meis me dediſſe cauſetur. Quin etiam inuidioſum fortè fuerit, ſi dixerim, ſtudiorum ſimilitudinem quamdam me tibi conciliaſſe. Itaque rationes diſpungere pergamus. Iam enim ταχυμερῶς *comprobatum puto, me inter ſatis memores debitores eſſe, cui non omnia a te in me collata exciderint, ſed potiùs hæreant animo, & oculis obuerſentur, vt nec ſit opus, illum memoriâ refricari. Nunc e re tua eſt, vt opinor, vltro fatentem, & occurrentem, benignè excipere, quando ſolida laudis pars ab humanitate tibi prouenit, & enata eſt ſuſtentanda tibi ſpes eſt. Iam enim de nominibus non periclitaberis, qui cautionem hanc habes non extortam, aut per vim expreſſam, ſed a me ipſo conceptam, & a volente oblatam. Satius vtique fuerit, debitorem habere, quam decocto-*

coctorem. Nam quod pertinet ad Librum hunc, quem ſimul adiunxi, gnarus ego ſum, quam parum ad rem factitandam, aut augendam pertineat. Nec ignoro tamen, te non adeo ad rem attentum eſſe, vt aliud tibi placere non poſsit. Supereſt tibi animi magnitudo, quà bonas Artes fouere poſsis, ſupereſt auctoritas, quod ſane non parum momenti habere videtur in Eccleſia, cum alicubi plerique hodie vel eo nomine nobis oppedere, & Regnum in litteris ſibi aſſerere nitantur. En ad Septemtrionem Reges etiam in eam curam defixos, en Principes. Sint igitur & apud nos, vt ſunt, qui ſeriò meliores Artes foueant, qui ad eas propenſos homines prolectent, qui alliciant. Ea ſane cura Principe digna, vel his, qui ſint ad latus Principis. Quis enim contra ingruentes barbarorum turbas, eorum dico, qui typhomania non ferenda, cum integras alienas paginas expilauerint, & horrendis nominibus omnia compleuerint, ſuſpici volunt, qui iuuentutem infatuant, qui ſe nullius artificij, & ineptiſſimos plagiarios eſſe, liquido probant, quis contra hos, inquam, ſine Principis præſidio ſtare poſsit? Patrum quidem æuo, elegantioribus litteris altum ſternentibus, ſurrexerunt intra noſtram Italiam homines, qui primi docuerunt, quam bene Philologia cum Iuris-prudentia, et Diſciplinis conueniat, qua-

que

que ratione, auerruncatis tot librorum molibus, ſimplicius Artes tractari poſsint. Sed non ne ea tēpeſtate Magnanimi plerique, et Romæ, et in Etruria floruere? Et illi quidem, quod primi os cælo tollere auſi ſint, æterna laude digni ſunt; nos vero ad ea rurſus prolapſi ſumus, quæ a Gothis, aut ab alia quapiam barbarorum illuuie, veluti malorum acceſsiones quædam prouenere. Diligentiæ tamen, et laboris, ſi viuerent, non eſſet cur eos pæniteret, quod alibi in Europa Auctores inuenerint, hodieque gentes quædam illorum inſtitutum retineant. Sed nec ego magnum capto infortunium, ſi aliquis forte ex emiſſarijs diuerſæ partis in hæc aliud agens inciderit. Igitur ad te, tuamque auctoritatem è re nata confugiam, Vir Ampliſsime. Tu conatus aduerſos ſedare, meis verò fauere potes: ſcio, et voles. Ita ſpes noſtras impleat, et votis tuis Deus annuat. Auguſta noſtra Martinalibus Anni M. DC. XIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

STVDIORVM noſtrorum guſtum aliquem his libris Lector, dare decreueram, & commodum anno ſatis opportune, vt videbatur, Illuſtriſſimus & quod inter præcipuas illius laudes pono, doctiſſimus Vmbriæ Præſes ANTONIVS DIAZ Epiſcopus Caſertanus, & cum eo V. Viri Scholæ noſtræ conſtituendæ, a vulgari ſemita me reuocantes, nouam prouinciam tradiderant, vt nimirum inter alios Iuris Anteceſſores Pandectas interpretarer. In eo munere periculum feci, an aliquod apud noſtros huius operæ pretium eſſe poſſit. Expertus ſum enim, non, pro reliqua Sapientia, de nobis, deque rebus humanis bene mereri eum ſtuduiſſe, qui mortalibus auctor fuit, vt relictà protritâ, & vulgari ſemitâ, aliò flecterent, & diuerterent. Certè huic Dogmati audientes, in lapidoſum, & calculoſum iter incidere, inter obſtructos, & ſenticoſos amfractus hærere, inter incerta veſtigia anxie, & ſuſpenſo gradu progredi neceſſarium eſt, adeo vt vir ille, cęteroqui Sapientiſſimus, nil aliud, niſi ἔριν hac ratione in Orbem immittere, & homines inter ſe committere voluiſſe videatur. Equidem qui receptos, & veteres mores, vel immutare, vel antiquare ſtudeat, arduum, & aleæ plenum opus aggreditur. Nec ego tamen aliud de ea Iuris tractandi ratione modo dicturus ſum, publicè conteſtatus, originem noſtram, ideſt Italicam eſſe, & ab ipſis Iuris Conditoribus anxiè præſcriptam. Ad hoc verò ſcribendi genus, quod attinet, quid proferre poſſim, non ſatis video. Non enim qui ſcribit, indigenis tantùm, ſed & exteris ſcribit. At ego de vtrorumque judicio non iniuriâ ſollicitus fuerim. Cum enim plerique ab eo abhorreant, multa in me deſiderabunt, multa requirent: recentiorum dico nomina in congeriem prolata, communes ſententias, quę in

Digitized by Google

ſubſellijs hodie regnant, & alia huiuſmodi. Alij verò fortaſſe inſtructiores multa notabunt, vt puto, multa improbabunt. Vtriſque aliquid in limine renuntiabo. Et priores quidem illos hoc ſcire velim, me non id modo agere voluiſſe, vt verboſis Commentarijs hinc inde a pluribus dicta colligerem, & amplum volumen explerem, alia longè, & diuerſa mens in hoc opere mihi fuit, quod conſilium ſi improbant, non eſt cur in hoc libro legendo tempus terant, & bonas horas perdant, redeant, ſuadeo, ad eos Commentarios, quos affatim illis ſuppeditauit ſuperior, ſuppeditat, & præſens ætas, nec tamen ideò mihi ſuccenſeant, nec me indictà cauſsà condemnent, quaſi aut ego illos vituperem, aut non intelligam, non enim puto, me tam grauiter peccaſſe, vt tam acerbè, tam inclementer accipiendus ſim. Quòd ſi feroculus aliquis tyro, vel juuenili feruore elatus, Iudex mihi ſedere voluerit, vel quicumque fortaſſe in hoc ſcribendi genere minus exercitatus, obſcuritatem cauſetur, nec ea, de quibus judicet, ſatis intelligere poſſit, hunc ego hominem ſcire velim, me de eo non laborare, & ſecurum horum judiciorum in vtramque aurem dormire. Eum ex his eſſe conjecerim, qui lapidem a cane morſum calcauerint. Characteres ignorantiæ mihi ſunt proteruia, & temeritas. Docti, humani ſimul eſſe ſolent: nec a ſe alienum putant, fateri, ſi quid non intellexerint, nec antea perceperint. Si verò hic liber tam felix fuerit, vt in Eruditorum etiam manus aliquando peruenire poſſit, eos ego exoratos velim, vt hujus ſæculi mores reſpiciant. Nam quæ ipſis pretioſa Cimelia videntur, plerique quiſquilias eſſe cenſent, & ad ea, quaſi ad Iuris-prudentiæ Mileſias conuenire ſolent: ſi modò conuenire Auditores poſſunt, & non potiùs pretio, aut aliâ quâ ratione conducti (ne quid grauius dicam) Athenæum frequentant. Scis, Lector, Romanum Architectum olim dixiſſe, cęteros Architectos rogare, & ambire, vt archi-

tectentur:

Digitized by Google

fectentur: ſibi verò a Præceptore traditum fuiſſe, *Rogatum non rogantem oportere ſuſcipere curam*. Hodie plerique contra rogant potius, & ambiunt; quod indigniſſimum facinus, ſi admittimus, non eſt cur miremur, aut conqueramur, huius ſanctiſſimi ſtudij Maieſtatem adeò euiluiſſe, vt toga propemodum in ludibrium, & propudium verterit. Sed ad eruditos, & doctos viros redire malo. Noui, a quibuſdam ex illis idemtidem Italicum hunc, tractum rudem, & jam minùs cultum dictum, & habitum fuiſſe. Quid, ſi verum eſt, inquies, & res euincit? Audi me, quæſo, quiſquis es, vir optime. Honor, & præmium, vt ſcis, alit Artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriâ. Nunc autem fatum eſt hoc Italiæ, vt Principes ferme alijs rebus intenti non admodum de amœnioribus litteris inſtaurandis laborent. Quin etiam haud facile Philologus euitare poterit, quin inter Pædagogos reijciatur. Igitur cum pretium operæ non ſit, vix aliquod ingenium, niſi venale, reperias, quod hanc aleam ſubire velit, & ab eo nomine non abhorreat, Italica tamen ingenia acerrima eſſe, (abſit verbo inuidia) clamant alia, & poeſeos ſtudium ſatis probat, in quo vernacula lingua ad miraculum, niſi fallor, efflorescit. Sane quis diurnâ, nocturnaque manu libros euoluere velit, quis inſudare in eo ſtudeat, ex quo non niſi contumelias referat, quod etiam ad purpuras & ad majora nitenti aditum præcludat? Quod ſi quis tamen, naturâ fortè duce, in melioribus Artibus profecerit, idque alios ignorare noluerit, nec ille firmo, & conſtanti animo indiget. Miſera oſtentatio doctrinæ! Non melius nugator, aut præſtigiator audiet, ſi quid cultius, aut doctius extulerit, ſtatim a nebulonibus naſo ſuſpendi intelliget, plerique, more humani ingenij, quæ ignorant, vituperant. Ideoque cati, callidique homines jam illud doctrinæ genus, quamquam poſſint, vix publicè tractant: nec tamen auerſantur, aut ignorant. Scio ego, apud nos

quoque

Digitized by Google

quoque complures eſſe, quos e Republica ſit, ſua publici juris facere. Sed quis erigit jam ingenia pereuntia? quis publicis rebus ſtudet? Redeant, o redeant meliores anni; reſurgant Heroes illi Medicei, illi Muſarum patroni, videbimus, & Politianos, quos deſideramus; & Muſarum alumnos videbimus. Hanc ſpem facit Gentis antiqua, & ingenita virtus. Nec adeò ſenio confecta, aut effœta torpet Italia, vt jam illius ſterilitati, ſæuus aliquis, & immitis impunè illudere poſſit. Interim, Lector, ſi ego diuerſis moribus innutritus alicubi lapſus ſum, Analecta ſcito. Peniculum ſumas vt euerras, vel potius, quæ tua humanitas fuerit, hominem ſemper diſcendi auidum admoneas, corrigas. Quòd ſi vnam fortè, aut alteram melioris notæ obſeruationem nactus fuerijs, faueas.

IOSEPHI NERII I. C.

ANALECTORVM

Liber Primus.

Indicata quædam ex antiqua Scriptura in Pandectis. *Caput I.*

MVLTA clam Libellionibus ab Archetypi Florentini Calligraphia ad libros noſtros permanaſſe opinor. Vlpian. in l. 10. plerumq; §. ſi res in dotem, D. de Iur. dot. ita ſcribit: Si res in dotem datæ fuerint, quamuis æſtimatæ, verum conuenerit, vt aut æſtimatio, aut res præſtentur, ſi quidem fuerit adiectum, VTRVM MVLIER VELIT, ipſa eliget vtrum malit petere, rem, æſtimationem, verum ſi ita fuerit adiectum, VTRVM MARITVS VELIT, ipſius erit electio: reſtituunt, vtrum malit petere, rem, an æſtimationem: puto ſcriptum fuiſſe, vtrum malit petere, rem æſtimationemve: nam articulum diſiunctiuum inter rem, & æſtimationem poſitum dicemus, ne turbet aliquem ſi ad vocem, *verum*, referatur. At Librarius, *æſtimationemVErum*, ita ſcriptum voluit, vt eadem ſyllaba ad vtramq; vocem pertineret: quod & alibi frequenter vſurpauit. In l. 177. qui in ius, de reg. Iur. *Qui in ius, dominiumve alterius ſuccedit, iure eius vti debet*, quidam codices ita ſcriptum præferunt: *qui in ius, dominiumve alterius*: alij ſic, *qui in ius, vel dominium alterius*; puto ſcriptum fuiſſe, *Qui in dominium, vel alterius ius ſuccedit*: idq; Librarium ſic exprimere voluiſſe, *vel alterIVS*. Græca me-

Digitized by Google

taphraſis lib. 2. βασιλικ. id ipſum confirmat: ὁ τὴν ἑτέρου δεσποτείαν ὑπησιὼν ἢ τὸ δίκαιον, τοῖς αὐτοῦ δικαίοις ὀφείλει κεχρῆσθαι. fortè ſic etiam in l.9. de liber. cauſ. nam vbi vulgo legitur, quia non debet alterius colluſione, aut inertiâ alteri ius corrumpi, ſuſpicari poſſumus ita expreſſum fuiſſe, aut exprimi debuiſſe, *alterIVS*, ideſt *alterius ius*, & vulgata tamen ferri poteſt, l. 58. §. item Celſus, pro ſoc. ſic & in l. 7. §. interdum, ad Macedonian. Quamquam, inquit, ſi ipſe pater præpoſuiſſet merci ſuæ, vel peculiarem exercere paſſus eſſet, ceſſaret Senatus-Conſultum: *ſupplent*, rem peculiarem exercere; ego verò aut ad mercem referam, aut dicam, *peculiaREM*, ideſt, *peculiarem rem*, librarium deſcribere voluiſſe. Item antequam hoc Analectum mittam, Paulli verba vere, vt puto, reſtituam in l. 8. §. 1. de legat. 2. Si ita legetur, SEMPRONIO DECEM, AVT, SI NOLVERIT, HOMINEM STICHVM LEGO: hoc caſu duo legata ſunt, ſed vni contentus eſſe debet. Sic in Pandectis Flor. alij aliter ſcribunt; ita nimirum, *vno contentus*: nam non viderunt ſic exprimi potuiſſe, *vniCOntentus, eſſe debet*; ideſt, *vnico contentus*.

Explicata l. 8. in illa ſtipulatione, & l. 10. hoc Iure, de verb. obl. Cap. II.

CReditum eſt pugnare Pomponium *in l.* 10. hoc iure, cum Paullo *in l.* 8. *in illa ſtipulatione, de verb. obl.* Pro ſumma concordia viſum eſt adhuc, in verbis Paulli aliud eſſe in exſolutione, aliud in ſtipulatione, *l.* 44. *obligationum*, *§. fin. de obl. & act.* id verò in verbis Pomponij locum habere non poteſt, verba Paulli ſunt: In illa ſtipulatione, SI KALENDIS STICVM NON DEDERIS, DECEM DARE SPONDES? mortuo homine,

quæ-

quæritur, an ſtatim ante Kalendas agi poſſit. Sabinus, Proculus exſpectandum diem actori putant, quod eſt verius: tota enim obligatio ſub condicione, & in diem collata eſt: & licet ad condicionem committi videatur, dies tamen ſupereſt; mittamus quod quidam dicunt, ſcripſiſſe Paullum, ante diem condicio committi videatur; quaſi nempe notis A. D. expreſſa, non cœperit Tribonianus: nam hæc ſententia ſcita magis, & lepida, quam vera mihi videtur. Sanè nimis obtuſum faciunt Romanæ Sanctionis Architectum, dum adeo non intellexiſſe volunt, quod διὰ σημείων ſcriptum eſſet, vt etiam antiquam ſcripturam peruerterit, & pro illis *A. D. condicio*, retulerit, *ad condicionem*. Mittamus hæc, inquam. Dicitur, hìc Stichum eſſe in exſolutione, decem verò in ſtipulatione. In ſtipulatione autem à Pomponio relata non inuenimus, quod ſit in exſolutione, non in ſtipulatione, verba Pomponij: Hoc iure vtimur, vt ex hac ſtipulatione, SI L. TITIVS ANTE KALENDAS MAIAS IN ITALIAM NON VENERIT, DECEM DARE SPONDES? non ante peti quidquam poſſit, quam exploratum ſit, ante eam diem in Italiam Titium venire non poſſe, neq; veniſſe: ſiue viuo, ſive mortuo id acciderit. Non nego quod dicitur, in verbis Paulli aliud eſſe in exſolutione, aliud in ſtipulatione *l. 39. ſi ita ſtipulatio, de oper. libert.* ſit vtcumque: ſed probandum adhuc cenſeo, ideo ante diem agi non poſſe, quod dies ſolutioni adſcriptus ſit, promiſſoris gratià, nam vtique adſcriptus eſt promiſſoris gratia, *l.* 17. *cum tempus, de reg. iur.* ſed ita tamen, vt exſolutioni ſit adſcriptus, cum itaque ſolutio amplius ſpectari nequeat, mortuo Sticho, iam dies ſtipulationi committendæ non videtur obſtare. Ego puto hanc rem ex ipſis Paulli verbis expediendam eſſe. Ratio, quam Paullus adfert, illa eſt: tota enim obligatio ſub condicione, & in diem collata eſt: & licet ad condicionem committi videa-

Digitized by Google

tur, dies tamen ſupereſt: hæc expendenda, ni fallor. Dum dicit Paullus, totam obligationem ſub condicione, & in diem collatam eſſe, intelligit diem non modò pertinere ad illam obligationis partem, quâ Stichi exſolutio continetur, ſed ad ipſam quoq; ſtipulationem, quâ decem continentur, nam dicit totam. Duo igitur ſpectanda ſunt, vt obligatio committi videatur, condicio, & dies: ita vt ἀπὸ κοινοῦ ſic diem exaudiamus, *Si Kalendis Stichum non dederis, Kalendis decem dare ſpondes?* mortuo Sticho, quod pertinet ad condicionem, ſtipulatio commiſſa eſt: ſed quia diem præterea ſpectare debemus, in quem collata eſt non modò Stichi exſolutio, verùm etiam ſtipulatio, ideo dies adhuc ſupereſt, & dies exſpectandus actori, iuxta Sabini, & Proculi ſententiam. Nam licet hi diuerſæ ſectæ auctores in compluribus articulis diſſenſerint, eos tamen in eo conueniſſe Paullus retulit, & ſanè dies ex poſt-facto non mutatur, licet, mortuo Sticho, condicio euaneſcat, *l.* 124. *inſulam, D de verb oblig.* Hac ratione Proculum etiam dixiſſe puto, propemodum pœnam eſſe commiſſam in *l.* 113. *cum ſtipulatus, D. eod.* nam, propemodum, dixit, vt Paullus, & licet ad conditionem committi videatur, dies tamen ſupereſt. At in ſtipulatione à Pomponio relata, diem hoc pacto exaudire non licet, nam in illa ſtipulatione *Si L. Titius ante Kal. Maias in Italiam non venerit, ante Kal. Maias decem dare ſpondes?* præpoſterus ordo eſſet. Quâ ratione pene conficiemus illud ipſum, quod dicebat Paullus in ſuperiori ſtipulatione Sabino etiam, Proculoq; placuiſſe, nam in illa ſtipulatione, *Si Kalendis Stichum non dederis, decem dare ſpondes?* niſi exaudiamus diem in poſteriori quoq; obligationis parte, vt decem, quæ in ſtipulatum deducta ſunt, non aliter quam Kalendis, & deficiente condicione debeantur, incidimus in ὕστερον πρότερον, quippe quoties ſtipulationi dies adiecta non fuerit, præſenti die debetur, *l. 14 in omnibus, D. de reg. iur.* niſi dies con-

cineatur, *l.* 24. *quoties*, *D. de oper. libert.* ſed hunc ordinem antiqui refugiunt. Iuſtinianus ὕστερον πρότερον admiſit non modo in ſtipulatione dotali, ſed etiam in omnibus, nempe tam in contractibus, quam in vltimis voluntatibus, *l.* 25. *præpoſteri*, *C. de teſtam.*

De occurſu, in l. 4. de off. Proc. & Leg. Vopiſcus reſtitutus. Taciti locus conclamatus, & depoſitus, certâ coniecturâ ad vitam reuocatus.

Cap. III.

DEceſſorem Proconſuli, Proconſulem Deceſſori obuiam prodire olim certum, & ſolemne fuit. Indicat M. Tullius, qui ad Appium ſcribens, more maiorum id exigi profitetur. Idem oſtendit, & Magiſtratus, & Legationes Ciuitatum Proconſuli occurrere conſueuiſse. *Vlpian. tamen in l. 4. de off. Proc. & Leg* ſignificare videtur, Proconſulem rite, & ordine facturum, ſi per edictum excuſet, ne Prouinciales ei publicè, vel priuatim occurrant; cur ita? Puto quia profuſi ſæpe homines in hoc officij genere, vt inuidioſum magiſtratui eſse poſſit, ſi veluti Princeps excipiatur. In vita Fulgentij Epiſcopi Afri, cum ab exilio reuerteretur, ſcriptum: populum per omnes prolixi itineris vias in occurſum eius tetendiſse cum lucernis, & lampadibus, & arborum frondibus; ita cum ramis proceſſere obuiam Domino, & Saluatori noſtro pueri Hebræorum; & filij Prophetarum in Hierico Eliſeo, 4. Reg. c. x I. 15. Ad Principem potius id pertinere videtur, cui Senatus etiam occurrebat. Plura de hoc *Caſſiodor. lib.* 12. *ep.* 18. & 19. Sed cætera mitto; Taciti modo deſperatum locum proponam; proponam, &, quod pace ſit eorum, qui vltimam huic operi manum impoſuiſse crediti ſunt, germana verba reponam. Annalium 14. cum Nero coniugem Octauiam reuocaſset, ſcribit Cornelius: itur etiam

in Principis laudes: repetitum venerantium. Latet hic aduerſaria,& pugnaciſſima vox, *Antium*. Antium, Colonia, cognataque, ſemper æmula tamen Vrbis æternæ, quæ non ſemel olim, violato fœdere, temeritatis pænas dedit, nunc etiam proprij nominis clade conſanguineum imperium perditum ire tentat. Reſcribatur igitur, repetitum venere *Antium*, obuia paſſim illa loquendi ratio. Apul. Apolog. accuſatum, an interrogatum veniſti? & rurſus: palæſtritam, non Magum accuſatum veniſtis, nil certius. Ita ſcripſiſſe Tacitum, & quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, ſatis, ſuperq; declarant. Tyrannus Antij, non Romæ tunc morabatur, & vere morabatur. Hic locus puerperio Poppeæ filiæ, quam ſuſcepit, & quartum intra menſem Antij extulit. Mirabimur, plebeculam laudes repetitum, Antium venire potuiſſe, qui legimus, omnem Senatum ſub recentem partum Antium effuſum? & legimus inſequenti Annali 15. eò iampridem Populi Romani adulatio peruaſerat, *lib.* 4. concurſuſq; oppidanorum, diſpoſito milite, prohiberentur, & rurſus extremo libro: in proximo Campaniæ adſpici, eò venire Patres, eques, magna pars plebis. Sueton. Caligul. 4. Populi autem Romani ſexum, ætatem, ordinem omnem vſq; ad xx. lapidem effudiſſe ſe. Quod etiam ipſe Princeps quibuſdam occurreret, quodq; amplior honor haberetur, ſi ſtans, quàm ſi ſedens exciperet, alijs notatum eſt. Spartian. in Hadrian. Seruiano ſororis viro, cui tantum detulit, vt ei venienti, de cubiculo ſemper occurrerit, locum tamen Vopiſci in Carino, vix eſt, vt viri doctiſſimi reſtituerint. Habuit gemmas in calceis: niſi gemmata fibula vſus non eſt. Balteum etiam ſæpe gemmatum. Regem deniq; illum Illyrici pleriq; vocitarunt. Præfectus numquam Coſs. obuiam proceſſit, emendant. Præfectis, aut Conſulibus: nempe intelligi volunt, Carinum neq; Præfectis, neq; Conſulibus obuiam proceſſiſſe, ego puto Vopiſcum ita ſcripſiſſe: Regem deniq; illum Illy-

rici,

rici, pleriq; vocitarunt Præfectum, numquam Coſs. obuiam proceſſit. Scimus Præfectum præcinctum, & duo præcipua eiuſdem inſignia fuiſſe, Carpentum, & Gladium. Quod igitur cultu Regio, gemmiſq; in calceis Carinus vteretur Regem dicebant Illyrici: quorum etiam in Orientis Imperio ſubſequentibus temporibus peculiaris Præfectus-Prætorio fuit, cuius crebra mentio in Nouellis, & in Codic. *lib.* 1. *tit.* 26. & alibi: eiuſdemq; peculiaria ſymbola in Notitia relata, quod vero idem Carinus Balteum gemmis inſignem haberet, & militari cingulo præcinctus viſeretur, pleriq; alij Præfectum vocabant, ſi quidem Præfectorum Prætorio poteſtas maxima, & proxima Principali fuit, vt oſtendit Caſſiodorus in propria forma *lib.* 6. & Principes noſtri declarant *in l.* 1. *C. de offic. vic.* Zoſimus ſecundum ab Imperatore Magiſtratum dicit: eamdemq; Præfecturam βασιλείαν ἀπόρφυρον, ideſt, *Regnum ſine purpura* appellauit Eunapius. Qui de occurſu plenè dicere vellet, illud etiam tractare deberet, quo habitu cuiq; procedendum ſit: cum inſignibus, an ſine: & alia huiuſcemodi ad priſcum morem, nobis modò ea mens non fuit. Taciti ſententiam, & verba reſtituiſſe ſatis eſt, omnino vindicandum à ſtigmate, & ab iniuria vetuſtatis nobile os Hiſtorici.

Tacitus emendatus, explicatus. Miſsio ignominioſa in l. 6. de re milit. Cap. IV.

PErgamus in Tacito, vexarunt locum Annali primo de Lunæ defectu. Ait: noctem minacem, & in ſcelus erupturam ſors leniuit, nam Luna clariore pæne cœlo viſa langueſcere, corrigunt quidam, claro repente cœlo, alij aliter, ego nouam vocem occaſionem mendo dediſſe crediderim, & ſcriptum fuiſſe, Luna clarore plena cœlo viſa lan-

Digitized by Google

langueſcere, quæ lectio ad antiquam ſcripturam ſine dubio magis accedit, quæ habet, clamore pena, clarorem appellat Solis lumen Lunæ globo receptum, nam, vt Lucretius ait,

—nothum jactat de corpore lucem.

plena igitur Luna dicitur, & clarore plena: πανσέληνον σχῆμα. Luna finita dicitur Auguſtino de C. D. *lib.* 15. *c.* 14. tantus menſis, quantus & nunc eſt, quem Luna cœpta, & finita concludit, quædam in eamdem ſententiam ſcribit etiam Cæſarius Dialóg. I. hanc Lunæ varietatem eleganter humanæ naturæ comparans. Sic & ſonores dicit alibi Tacitus, & Apul. XI. Metam. Idem Apul. ningorem, plangorem, patorem, putorem dixit, vt & Apicius, qui etiam vſurpat Alborem faucium item tendorem, *Apul. lib.* 4. Met. Ita pariter a fluore Fluonia, vel Fluona priſcis dicta; Iunonem enim Fluoniam veteres colebant, quòd eam ſanguinis Fluorem in conceptu retinere dicerent, vt Feſtus ſcribit. *Arnob. lib.* 5. etiamne fluore de ſanguinis, & ex genitalibus amputatis arbor mali enata eſt punici? Sed & lucis fluorem potius, quam florem, Tertullian. ſcripſiſſe putarem de patient. principio. Legimus & placorem, pro tranquillitate in antiq. Gloſs. & apud vet. interpr. eccleſiaſtic. c. 4. & 39. rurſus in Gloſis, κοττισμὸς, alor: ab alea nempe. In eo Taciti loco ſic accepto, qui fruſtra, cœlo, addi dicunt, faciunt vt quædam hic ſubnectenda putem, quibus loquendi ratio Taciti propria declaretur, & eiuſdem ſententiæ quædam reſtituantur. nam frequenter vtitur Tacitus ſexto caſu ἁπλῶς. Si hoc animaduerterimus, facilè intelligemus quà ratione reſtitui poſſint corrupta verba XI. Annal. *recentia hæc, quid ſi memoria eorum inoritur, qui Capitolio, & arce Romana manibus eorumdem proſtrati?* Ita legendum: vt alibi *vtriſque*, dixit; vetera hæc, ſed recens diſcrimini patris filia connectebat lib. 16. vult ſententia, Atrocia quidem eſſe priora exempla, verùm

rùm eſſe recentia, adhuc atrociora eſſe vetera, ſi memores inquit, eſſe voluerimus antiquorum illorum Romanorum qui pro ipſo Ioue Capitolino, Romanis ipſis ex arce ſpectantibus, tamquam victimæ, manibus eorumdem Gallorum ſtrati ſunt, de obſidio Capitolij, & de Romanorum cæde ſenſit, res nota. Sic lib. 3. multa duritie veterum melius, & lætius mutata, & lib. 14. Aliam fere littore faciem nunc, & rurſus: ſi conſideret, Theatro dies totos continuaret, & lib. 1. Hiſtor. hibernis Alpibus traduxit, & lib. 2. balineis interficitur. Item eodem lib. præmiſſi Mœſia, & rurſus; ſpeculatores Syria, licet vtroque loco ex libris præpoſitiones adſtruant, item lib. 4. Hiſtor. lectos Legionibus Dillio Voculæ, quo pariter loco Mureti adiectione minus opus eſt. Sic etiam dicitur lib. 2. mare quoq; Eteſiæ flabant, & lib. 3. iiſdem campis illis fuderint. Sic & Catullus.

Puella namq; quæ meo ſinu fugit.

ſed omitto alia ſexcenta, eiuſdem rei ignoratione lapſi ſunt etiam veteres iuris Interpretes, nam cum Arrius Menander in l. 6. D. de re milit. ſcripſiſſet, *quòd ſi miles impatientià doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluit, non animaduertatur in eum, ſed ignominia mittatur*, Accurſius explicat, *ignominia remittatur*. minimè verò: nam Menander nil aliud vult, niſi militem cum ignominia dimittendum eſſe: de qua miſſione plura Vlpian. in l. 2. D. de his, qui not. inf. & in l. vlt. D. de fur. balnear. Is ergo miles ignominia mittitur, licet ei pœna remittatur, vt etiam teſtamentum aperitur eius, qui manus ſibi intulit non metu criminis, ἀλλ' ὡς μὴ ὑπομένων τὸν ἐπιτρέχοντα αὐτὸν πόνον, *impatientia doloris*, vt Græci reddunt verba l. 1. §. ſi ſibi manus, D. ad S. C. Silanian. Prætereaquam quod ibidem idem Menander dixit, *militia reijcitur*, & in l. 29. D. de liberal. cauſ. caſtris reijcietur. Apul. de mund. Aquilo, qui ſeptem ſtellarum regione generatur. Traian. apud Plin. ep. 61. & 100. lib. 12. Cognoui litteris

tuis

ſuis. Ambroſ. ep. 7. lib. 1. Recognouimus litteris ſanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias. M. Tullius in ſomn. Scip. ex quibus erat ea minima, quæ vltima cælo, citima terris luce lucebat alienà. Vulgò, vltima a cœlo. Apud Tacitum cœlo viſam lunam intelligimus editam, non terrà, aut mari, vt putabant, prodeuntem, aut emergentem: tunc enim langueſcit ferme ob vapores, nota quæ de Sole quoq; ab eodem Tacito narrantur inde morib. Germanor. Sic etiam ἐμφατικῶς apud Petron. *vides me? nec auguria noui, nec Mathematicorum cælum curare ſoleo, ex vultibus tamen hominum mores colligo, & cum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio.* Cœlum dixit, *Mathematicorum*. Hieron. lib. 13. in Eſaiam c. 47. *Pro eo quoq; quod nos juxta Symmachum, & Theodotionem interpratati ſumus, ſtent, & ſaluent te augures cæli, LXX. manifeſtiùs tranſtulerunt,* ςήτωσαν δέ, ϗ σωσάτωσάν σε οἱ ἀστρολόγοι τοῦ οὐρανοῦ, *id eſt ſtent & ſaluam te faciant Aſtrologi cæli, qui vulgò appellantur Mathematici, & ex Aſtrorum curſu, lapſuq; ſiderum res humanas regi arbitrantur*, hoc, *manifeſtiùs*, Hieronymus dici vult.

Explicata, & emendata l. 1. §. pæn. de offic. Præf. Vrbi. Cap. V.

SI verum amamus, non vidit quid vellet Vlpian. qui ſcripſit, popularia ſignificare populi conſeſſum theatralem in l. 1. §. pænult. de offic. Præf. vrb. Ait I. C. Quies quoq; popularium, & diſciplina ſpectaculorum ad Præfecti vrbi curam pertinere videtur, & ſanè debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi quid vbi agatur. Hanc rem optimè declarat Caſſiodorus, vt & in vniuerſum Præfecti vrbi officium lib. 6. var. ep. 4. Habes copioſe

vnde

vnde tibi gratiam tantæ ciuitatis acquiras, ſi merces diuerſa ſub nulla venalitate vendantur: ſi exhibitio ſalubriter accenſa thermarum, rapinarum ardoribus non tepeſcat: ſi ſpectaculum, quod præbetur voluptati, non ſit cauſa litigij, ſuauiter enim cogit, gratum eſſe populum quiſquis in certaminibus partium, declinat injuſtum. Tanta eſt enim vis glorioſæ veritatis, vt etiam in rebus ſcænicis æquitas deſideretur, & lib. 1. ep. 44. Audebit ergo ſeditioſos, & a diſciplina publica deuiantes, noſtra auctoritate percellere. Quieſcat concertantium feruor animorum, bona pacis, quæ, Deo propitio, noſtro labore meruiſtis, cur ſeditionibus fœdantur illicitis? Plura ad hanc rem eod. lib. 1. ep. 31. 32. & 33. ſed illa præcipua, & Vlpiani verbis gemina; Si verò Senator ciuilitatis immemor quemquam ingenuum nefaria fecerit cæde vexari, protinus relatione tranſmiſſa, perrennitatis noſtræ mulctam perculſus excipiat, ait, relatione tranſmiſſa: nimirum a Stationarijs, vt Vlpian. ſcripſit. Conſtat igitur popularia dici pro factionibus illis quattuor, Veneta, Praſina, Albuta, Ruſſata, de quibus idem plura ſcripſit lib. 3. ep. 51. *Hoc tantùm dicimus omnimodis ſtupendum, quod illic ſupra cætera ſpectacula feruor animorum inconſulta grauitate rapiatur. Tranſit Praſinus, pars populi mœret. Præcedit Venetus, & potior turba ciuitatis affligitur, nihil proficientes feruenter inſultant: nihil patientes, grauiter vulnerantur: & ad inanes contentiones ſic deſcenditur, tanquam de ſtatu periclitantis Patriæ laboretur.* Cyprianus de Spectac. *Quàm vana ſunt ipſa certamina! lites in coloribus, contentiones in curribus, gaudere quòd equus velocior fuerit, mœrere quòd pigrior*, per colores, vt puto, factiones, & partes intelligit, ad hoc traho *diſcrimina popularium per procliuum*, quod ſcripſit Tertull. de Spectac. apud quem eadem deſcriptio colorum, aliorumq; quæ apud Caſſiodorum. Sueton. Neron. *quinq; millia iuuenum elegit, qui*

diuiſi in factiones plauſuum genera condiſcerent. Sic & τὰς δήμους Græci dicunt, de quibus in Nouell. 17. c. 2. Conſtat verò ex eod. Caſſiodoro lib. 1. ep. 3. conſuetudinem inſultandi permiſſam fuiſſe. *ſit inſultandi conſuetudo moderata, vt nec libertati pereat honeſta licentia, nec deſit moribus diſciplina*, & rurſus: *ſi verò eorum lubrica voluntas in vnius coloris fauorem migrauerit, ſtudia ſua populus tam in Circo, quam Theatro habeat pro parte, quam diligit: vt is qui præſumpſerit vetita, ipſe iudicetur quæſiſſe diſcordiam*. hæc eadem ſtudia populi intellexerunt Imperatores lib. xi. C. l. 1. de Spectac. Nec ſine cauſa factiones, & partes timuerunt, cum ſæpe bella ciuilia ex his orirentur, vt contigit Iuſtiniani æuo cum ipſe periclitatus eſt. Ita pariter imperante Foca, ſcribit Paull. Diac. lib. 4. *Huius tempore Praſini, & Veneti per Orientem, & Aegyptum ciuile bellum faciunt, ac ſe mutua cæde proſternunt*. Igitur vel hoc nomine Reipublicæ pernicioſa Spectacula, adeoq; demum ſublata, niſi volentium celebrarentur impenſis, antea verò vis præcipuè damnata, & in eam Stationarij quæſiti. Itaq; omnino in hunc ſententiam venio, vt Vlpian. ſcripſiſſe credam, *& ad referendum ſi vi quid vbi agatur*. nam in Archetypo, vt puto, ſcriptum, *ſi Bi*, pro, *ſi vi*. frequenter enim B pro V, & contra Librarius vſurpat, antiquiſſimo, vt ſcimus, ſcribendi more; eſt igitur idem ac ſi dixerit, *ſicubi vi quid agatur*. Suadet etiam l. 8. C. de accuſat. in hunc ſententiam quædam pariter ſcripta ſunt lib. 12. C. de Cur. & Station. l. 1. *Curioſi, & Stationarij, vel quicunq; funguntur hoc munere, crimina iudicibus nuncianda meminerint*. Illi ipſi, quos dicebamus, *vbi*, pro, *ibi*, ſcriptum fuiſſe contendunt: ſed mihi non perſuadent. Sanè vulgata ſcriptura ſententiam ſatis ineptam diceret, vt Stationarius Præfecto referre haberet quodcumq; in Theatro ageretur, non parum negotij ſuſcepiſſet Stationarius in renunciando, Præfectus in accipiendo.

Pruden-

Digitized by Google

Prudentum Reſponſa. Mos reſpondendi de ſolio. Cap. VI.

ARtis ſunt pleræq; Inſcriptiones apud veteres: nec his tàm elegantia quæſita, quàm proprietas, ſic inſcriptum, *Reſponſorum*, *Sententiarum*, *Opinionum*, Πιθανῶν, ſeu *Veriſimilium*. Nam hoc genus in vniuerſum Prudentum Reſponſis conſtat, Reſponſum verò aut Sententiam continet, aut Opinionem. Theophilus: Σεντέντια, ἡ αὐτοτελὴς, καὶ ἀναμφίβολος ἀπόκρισις. *ſententia eſt perfecta, & indubia reſponſio*. ὀπίνιο, ἡ ὑπεσταλμένη, καὶ μετὰ ἐνδιασμοῦ προσφερομένη ἀπόκρισις. *Opinio eſt ſuſpenſa, & cum dubitatione prolata reſponſio*, pleraq; ſunt in iure ſub hæſitatione prolata: vt ſæpe vix capias, an voluerint prudentes quod protulerint, hoc neceſſarium, vt puto, fuit ad eorum auctoritatem tuendam, nam quid fieret ambiguis? Ita pleraq; noſtra ferunt: & maximam fuiſſe conſtat prudentum auctoritatem, adeò vt iudici ab illorum ſententiâ recedere non licuerit: ab opinione, vix credam, præſertim antequam à Cæſare publicè reſpondendi ex eius auctoritate ius illis datum eſſet, ſi modò fuit Opinio, qualem retulimus, eamdem auctoritatem olim etiam ante Auguſtum quæſitam ſcias, cum Scipioni publicè domus, in ſacra via data fuerit, quo faciliùs conſuli poſſet, vt Pompon. ſcribit in l. 2. §. 18. de orig. iur. Illud etiam obſeruaui, IurisConſultos in ſolio ſedentes reſponſa dediſſe. Auguſtum ſanè, & auctoritati quærendæ opportunum. Cic. 2. de Orat. *An iuri ciuili? eſt paternum. Sed dicet, te cum ades venderes, ne in rutis quidem, & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe*, & lib. 1. de ll. *ego verò ætatis potiùs vacationi confidebam: cum præſertim non recuſarem, quò minus more patrio ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderem.* Hæc ad

reſponſa pertinent: nam, & reſpondebant, & cauebant, & ſcribebant. Idem pro Muræna: vrbanam militiam reſpondendi, cauendi, ſcribendi, de Orat. lib. 1. ſin autem quæreretur, quiſnam I.C. verè nominaretur, cum dicerem, qui legum, & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus eſſet. Plaut. Epidic. ſc.4. Hic poterit cauere rectè, iura qui, & leges tenet. Idem Cic. ad Appium: L. Valerium I.C. valde tibi commendo: ſed ita etiam, ſi non eſt I.C. meliùs enim ei cauere volo, quam ipſe alijs ſolet. Complura in Iure exſtant exempla cautionum, libellorum, actionum, & formularum.

Reſtituta l. 29. Gallus, §. 1. de lib. & poſt. Cap. VII.

QVinque verbis, tribus etiam, teſtamentum facere poteſt is, qui nec legaturus quidquam, nec quemquam exhęredaturus ſit, quod tamen nuncupanti licet, non ſcribenti. Plus arbitratus eſt Vlpianus vel duobus tantùm verbis nuncupari, l. 1. de hęr. inſt. creditumq; plùs nuncupatum, minùs ſcriptum, quorum verborum imitatores habuit Imperatores in l. 7. errore, C. de teſtam. vt meritò digladiari videantur Doctores noſtri ſuper formula Aquiliana, quaſi Gallo Scæuola ſub-iraſcatur verboſa conceptione vtenti in l. 29. Gallus, §. 1. de lib. & poſt. Nam alij negant Gallum a Scæuola corripi, rurſus non pauci contendunt, I.C. verboſum redargui poſſe, quidam diſtinguunt, vt concedant id, & accipiant de I.C. Interpręte. Vellem in his contentionibus animum ipſi aduertiſſent, nec quamplures inter nos Galli hoc æuo reperiantur: dico qualem ipſi Aquilium fingunt, dum Scæuolæ verbis imponunt. Gallus ſtato, & opportuno tempore

cantat.

Digitized by Google

cantat. Tales in iure vigilaces Gallos deſideramus. Scæuola certè ex ſententia quorumdam, opportunè retulit, quædam ex formula Galli tutò omitti poſſe: puto quia omiſſa exaudiuntur. Illud adhuc obſcurum eſſe cenſeo, quam ſimplicem inſtitutionem hìc Scæuola dicat, quid item ſibi velit cum ſcribit, *vt eo caſu valeat, qui ex verbis concipi poſſit*. Gnarus ſum quoſdam voluiſſe, in Pandectis idem eſſe, *ex verbis concipi*, & *verbis concipi*: alios induxiſſe τὸ, *ex*, vti ſupervacuum: plures antiquam ſcripturam inuertiſſe, vt legerent, & pro, *ex*, nec omnia referre oportet, ne illos imitemur, qui ipſi verboſi, Aquilium, vti verboſum, inſimulant. Ego cenſeo Florentinum Scriptorem, *ex* pro, *ſex*, ſeu ἕξ, exaraſſe, vti Græcus homo erat, quod ſi admittimus, ita Scæuola ſcripſit: *vt eo caſu valeat, qui ſex verbis concipi poſſit*. Quid vero hoc eſt? Dico ſimplicem inſtitutionem eam eſſe: NEPOS, NEPTIS, POSTVMVS, POSTVMA, HÆREDES SVNTO. Ita putarem ſex verbis Aquilianam formulam concipi poſſe, ſcio quantas turbas hæc ſententia excitare poſſit. Deprecor præiudicium in re noua, mutare promptus, certè, ſi res ipſa ferri poteſt, exemplis defendi poteſt: quod maximum momentum apud eruditos habiturum ſpero, nam eadem licentia ſcriptor ille alibi quoq; vſus eſt, certè in l. 35. diuortio, §. 1. D. de negot. geſt. hæc Florentinarum Pandectarum ſcriptura eſt; *ſed nec redhibitoria ſpeciem venire in negotiorum geſtorum actionem, & per hoc, ex menſibus exactis, perire*, nam tempus redhibitionis ſex menſes vtiles habet, l. 19. ſciendum, §. fin. de ædilic. edict. vtriuſq; capitis auctor eſt Scæuola. At manum de tabula, ne Gallo, vt volunt, verboſiores videamur,

Di

De fraudatorio edicto. Cap. VIII.

QVæ fraudationis cauſa geſta erunt cum eo, qui fraudem non ignorauerit, de his intra annum actionem dat Prætor. Hoc ipſum, vt puto, edictum fraudatorium appellat Valens in l. 67. ſi poſtulante, ad Trebell. & Papinian. in l. 69. pupilli debitor, de ſolut. cuius mentio fit etiam in l. 10. quæ in fraud. cred. Actio proponitur in l. 1. eod. & *Paullianam* appellat eam Paull. in l. 38. videamus, §. in Fauiana, de vſur. Apud Petrum Diaconum de Notis lego, *F. ED factum edicto*, puto ſcripſiſſe, aut ſcribere voluiſſe, *fraudatorium edictum*. Sic etiam in explicatione harum notarum *F. C. L.* puto ſcripſiſſe, *fraudationis cauſa latitare*, non *latina*, vt cuſum eſt, & ſic exponit Magno in explicatione notarum iuris, quas & iuris σημεῖα appellat, ſunt ipſa verba l. 5. de reb. auct. iudic. poſſid. *licet non fraudationis cauſa latitare videtur, qui ſui non eſt idoneus defenſor*, ſumpta ex edicto. Antiquus I. C. in fragmento Putcani: *obſtat enim libertati lex Aelia Sentia, quæ vetat ſeruum fœneratorum cauſa manumiſſum Ciuem Romanum fieri, ſed Latinum*, creditum eſt, notis ſcriptum fuiſſe. *F. C.* ideſt *fraudandorum creditorum*: vel *fraudandorum creditorum cauſa*: & ita pariter legendum eſſe in l. 8. qui & à quibus, pro illis, *fideicommiſſi cauſa*, puto aptè legi poſſe, *fraudationis cauſa*, ſolemni non minus formulâ. Aliis etiam notata verba Ciceronis pro Quinctio: *Attende nunc ex edicto Prætoris bona P. Quinctij poſſideri nullo modo potuiſſe*. *Recita edictum*: QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT. Retulit, & Vlpian. in l. 7. Fulcinius, §. 1. quibus ex cauſ. in poſ. *Prætor ait*: QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITAVIT (fortè LATITARIT, ſcribendum, ex M. Tull. & ex Græcis, niſi Librarius ſcripſit LATITAVIT, pro LATITABIT.) SI

BONI

BONI VIRI ARBITRATV NON DEFENDETVR, EIVS BONA POSSIDERI, VENDIQ; IVBEBO. Dixit Prætor; *ſi boni viri arbitratu non defendetur*: nimirum vt in re non definita, quamuis certa ob æquitatem, quæ certa eſt, & ab hac mente Cic. addidit, *non eſt is Quinctius, niſi latitant, qui ad negotium ſuum, relicto procuratore, proficiſcuntur.* Græci lib. 9. βασιλικ. illa modo ſic exprimunt: ὅστις διὰ περιγραφὴν κρύπτεται, καὶ μὴ ἐκδικεῖται, καὶ πάλιν, καὶ διαπορεῖν ὅτι τοὺς φυγάδας ὁρίζεται.

Defenditur priſca ſcriptura in l. 7. §. ſi vir in fundo, D. ſol. matr. Cap. IX.

INdifficilem ſenſum quidam opinantur habere Vlpiani verba in l. 7. §. ſi vir in fundo, ſol. matr. Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas inuenerit, & fundum fructuoſiorem fecerit, marmor, quod cæſum, nec exportatum, eſt mariti, & impenſa non eſt ei præſtanda, quia nec in fructu eſt marmor, niſi tale ſit, vt lapis ibi renaſcatur, quales ſunt in Gallia, ſũt & in Aſia, ſed ſi cretifodinę, argẽtifodinę, vel auri, vel cuius alterius materiæ ſint, vel arenæ, vtiq; in fructu habebuntur. Dicunt: Non poteſt fructuoſior fieri fundus, apertis lapidicinis, quin lapides in fructu ſint: lapides non ſunt in fructu, d. §. ſi vir, & l. 32. ſi ex lapidicinis, de iur. dot. Ideoq; lapidibus inuentis, fundus fructuoſior fieri nequit, ego non concederem quod aſſu munt, nec probant, quaſi ἀναφαιρέτως, fundus, exemptis lapidibus, fructuoſior fieri poteſt, ſiue renaſcantur lapides, ſiue non renaſcantur. Nam ſi renaſcantur, in fructu eſſe videbuntur, vt Vlpianum velle apparet, adeoq; fructuosior ager erit, qui non deterior Iaboleno eſt in l. 18. vir in fundo, de fund. dotal. Quod ſi infœcunda, aut effœta vena ſit, fructuosior adhuc fundus eſſe poteſt ex repurgatione

gatione, poſt elicitos lapides, & ita fortè paterfamilias cuidam permiſerat elicere lapidem ex fundo ſuo in l. 34. ſi cum mihi, de dol. Nam agrum hoc pacto repurgari, & feracem reddi conſtat. Hinc *exoſſatus ager*, apud Perſ. Sat. 8. vt quidam putant, pro terra lapidoſa, quæ demptis oſſibus, ſeu lapidibus, ad culturam ſit redacta, alij tamen aliter. Rurſus obſtinant: Vtiles impenſæ ſunt, quibus dos fructuoſior fit. Vlp. in fragm. tit. 6. de dot. item vtiles, facto diuortio, præſtantur, d. l. vir in fundo. Adeoq; ſi non præſtantur, non ſunt vtiles, nec ex eis fructuoſior fundus fiet, contra quam vulgata lectio referat apud Vlpianum. Igitur aliter legendum. Ad hoc ita. Non parum intereſt, qua mente maritus impenderit. Nam idem Vlpian. *in l. 5. de imp. in res dotal. fact.* dum ait, vtiles autem impenſæ ſunt, quas maritus vtiliter fecit, remq: meliorem vxoris fecerit, ideſt dotem, id velle videtur, maritum eo fini impendere debere, vt rem meliorem reddat, nec ſatis eſſe, quod vtiles ſint impenſæ, niſi ex hac cauſa fiant. *Nerat. in l. vlt. eod.* & ante omnia, quæcumque impenſæ quærendorum fructuum cauſa factæ erunt, quamquam eædem etiam colendi cauſa fiant, ideoq: non ſolum ad percipiendos fructus, ſed etiam ad conſeruandam ipſam rem, ſpeciemq: eius neceſſariæ ſint, eas vir ex ſuo facit: nec vllam habet eo nomine ex dote deductionem: ſatiùs itaq: fuerit intactam Vlpiani ſententiam, & antiquam ſcripturam dimittere, reclamantibus præſertim Græcis quoque: Nam & Dorotheus; & Cyrillus hoc pacto caput iſtud recenſent eodem tit. βασιλικ. Verùm, ſi lapides non ſunt in fructu; quomodo mariti ſunt? Nam cum marmor poſtea repertum fuerit, non videtur fundus ita in dotem datus, vt ex voluntate mulieris iſtud commodum ad maritum pertineat, *l. 8. ſol. matr.* Anonymus inter Græcos tentat, contraria ſolui poſse, quod fortè ἐξαίρετον ἐδόθη τὸ κέρδος διὰ τὴν εὕρεσιν τοῦ λατομίου: *præcipuum datum ſit lucrum propter*

lapi-

Digitized by Google

lapidicina inuentionem, (quæ Interpretes neſcio qua alia ratione extulerunt,) vix concedendum. Nam quid eximium dabitur lucrum, ſi lapis non renaſcitur? vult ſiquidem Anonymus, quaſi εὕρετρον dari quoddam, vel præmium inuentæ lapidicinæ, &c, vt quis dixerit, licet lapis non renaſcatur, lapidicinæ tamen commodum pro tempore non leuis eſse momenti: iſtud ſanè, vt præmium maritus ferre debeat, aliunde adſtruendum fuerat, præſertim cum inuenerit agens rem ſuam, non mulieris, d. l. vlt. eodem, potiùs præmium meruiſset, quòd fundum repurgando fructuoſiorem reddidiſset, licèt aliud vellet, vt explicauimus; ſed hæc mariti eſse conſtat, vt ſunt etiam fructuarij, l. 9. item ſi fundi, §. ſi lapidicinas, l. 13. ſi cuius, §. indè eſt quæſitum, de vſufr. ea ratio eſt, quam ex noſtris etiam quidam viderunt. Illud ex Græcis ſumptum, vt alia plurima, *Priuato quoq; fodinas metallorum poſſidere licere.* Anonymus ibidem.

Acciperè. Symmachus reſtitutus, explicatus locus in 2. ad Corinth. In Tacito priſcam ſcripturam aſſertores habere Iuris-Conſultos.

Cap. X.

S*Emper circumſcriptio per ius ad iniuriam venit*, inquit Senec. declam. lib. 6. eo fere pacto loquitur, & Paullus in l. 1. de dol. & met. except. ne cui dolus ſuus per occaſionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem proſit. *Dixit*, per occaſionem iuris ciuilis: *quia*, circumſcriptio ſemper crimen ſub ſpecie legis inuoluit, quod apparet in illa, legitimum eſt: quod latet, inſidioſum. Non potuit aptiùs dici. κατὰ πρόφασιν, *per occaſionem*, eſt, vt vetus Interpres in Nouell. ſemper vertit. In Nouell. 2. Theodoſ. & Valentin. de Palatinis: ſi modum veri cenſus, ſub occaſione titulo-

rum ad ſe pertinentium, ſupergreſſi fuerint, & aliquid commenticium præter id, quod explorata fides chartarum continet, ſtudio deprædationis inuenerint. Iidem Principes *in l. un. §. 1. C. ſi ſec. nupſ. mul.* Quod ſi liberos ex priori matrimonio adhuc imbecillitas habebit infantiæ, nec muniat eos tutoris auxilium, ac per huiuſmodi occaſionem, mater, quæ relicta fuerant, vſurpauerit, omnia legitimè repetantur. Symmachus dixit, *ſub uelatione*, vt puto, nam ita lego apud eum lib. 4. ep. 19. *alioquin integrata per indulgentiam bona, uelatione fænoris, detrahentur*. Vulgo, *uel actione*, libri quidam, *uel auctiones*. Præcipua notione, *occaſionem*, dixit Zeno Veroneſ. *ſingula quæq; animalium* à conditore omnium Deo, ad defenſionem, ac tutelam ſui, occaſiones quaſdam proprias acceperunt, quibus ſaluti ſuę, cum neceſſe fuerit, auxilium ferant. Accipere dicitur etiam, qui circumſcribit, & accipi, qui circumſcribitur, l. 7. §. non ſolum, D. de min. Accepit ſane iſta notio litteratores, & (quis credat?) anteſignanos, vt fertur, Criticos æui noſtri. Quibuſdam etiam iuris locis fortè latet. Itaque in l. 7. ſed & ſocius, D. pro ſoc. ita diſtinguerem: Sed & ſocius, qui alienauerit contra pactionem, accipit, committit, & tenetur ſocietatis, aut communi diuidundo iudicio. Ibi Paullus inter Interpretum manus miſere diſtrahitur, vſurpaſſe fortè videbitur, & Plaut. Bacchid. Scæn. vlt.

Satis, ſatis iam ueſtri eſt conuiuij, me nihil pænitet vt ſim acceptus:
Quadringentis Philippis filius me, & Chryſalus circumduxerunt.

Niſi potiùs dicendum eſt, hoc ad aliam huius verbi vim pertinere, qua dicimus, *accipere*, pro, *paſcere*, vel, *conuiuio excipere*. Idem Plaut. *Ita in prandio nos lepidè, & nitidè accepiſti*. Horat. lib. 2. Sermon. Sat. 8.

Tene, vt ego accipiar lautè, torquerier omni
Sollicitudine diſtrictum?

In

In illa priori ſignificatione, capere dictum frequentius, vt & Græcis vſurpatum λαβεῖν. Sophocl. Philoct.

λέγω σ' ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν.

Dico tibi dolo Philoctetem eſſe circumueniendum.

Arrian. Diſſert. Epict. lib. 4. c. vlt. ἔτω ϗ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται: ideſt: *hoc etiam modo Romæ à militibus capiuntur loquaces.* Ita ego quandoque opinabar, exponi poſſe verba illa ad Corinth. 2. c. XI. 20. ἀνέχεσθε γάρ, εἴτις ὑμᾶς καταδουλοῖ, εἴτις κατεσθίει, εἴτις λαμβάνει, εἴτις ἐπαίρεται, εἴτις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει, quæ vet. Interpr. ita reddidit: *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.* Nihil melius: & video id ipſum Ambroſio placere. Nam ad ea verba ita ſcribit Sanctiſſimus, & diſertiſſimus Pontifex: *Accipere, eſt aliquem dolo capere: Ideoque ſignificat hos capi à doloſis Magiſtris, & ferri quo non expedit.* Sed pleriq; Interpretes referunt potiùs τὸ λαμβάνειν ad munera, & ad ea, quæ dentur, aut pendantur, & ſanè, licèt hæc expoſitio difficilem ſenſum habere videatur, eam tamen defendere poſſumus, alia huius verbi explicata notione, nam ἁπλῶς dicebant λαμβάνειν de his, qui Sacerdotum Conſecrationes, & Eccleſiaſtica venderent. Baſilius in Epiſt. ad Epiſcopos ſubditos: ὥστε μὴ χειροτονεῖν ἐπὶ χρήμασι (quæ verba leguntur, & in can. 2. Chalcedonenſ.) ait; λαβεῖν δὲ ἐστιν ὁτιδήποτε τὸ λαβεῖν: *accipere autem, eſt quandocunq; accipere*, ideſt: ſiue ante, ſiue poſt ordinationem. Taraſius, hoc idem in iure Ciuili ſubnotare poſſumus, nam Xenijs modus præſtitutus, vt Magiſtratus tamen in totum non abſtinerent, moderati ſunt hanc rem Principes, vt refert Vlpian. in l. 6. ſolent, de offic. Proc. & Leg. *Quantùm ad Xenia pertinet, audi quid ſentimus, vetus prouerbium eſt,* οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, (ideſt: *Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus,*) *nam valde inhumanum eſt, a nemine accipere:*

ſed paſſim, viliſſimum eſt : & omnia, auariſſimum. Ita & quædam olim accipi permiſſum pro Ordinatione, exſtatq; Nouella Iſaaci Comneni. *De conſuetudinibus, quæ pro ordinatione dantur, & de Canonico*. Plura item Balſamon ex Canonibus Apoſtolorum, & ex Gangræna Synodo, de Canonicis, quæ Sacerdotibus, & Pontificibus quotannis dantur, de Illationibus, quas Græci dicunt εἰσφορὰς, præter noſtros I.C. vide Caſſiodor. lib. 12. ep. 16. & Synod. Toletan. 7. can. 4. At in Eccleſiaſtic. c. 29. hoc ipſum verbum, mutuum ſignificare videtur, ἕως οὗ λάβῃ, καταφιλήσει χεῖρας αὐτοῦ, id. *Donec accipiat, oſculatur manus dantis*, ſic enim ad manus dantis vet. Interpr. trahit. Fronto: *Sumimus quæ poſita ſunt : Accipimus, quæ porriguntur*. Præterea *capere*, cum effectu accipitur: *Accipere*, & ſi quis non accepit, vt habeat, l. 71. de V. S. Sunt & aliæ non vulgares huius verbi notationes: de quibus, & præcipuè τῆς προσωποληψίας, vt Paullus appellat ad Roman. c. 2. ideſt, *de perſonæ-acceptione*, alius erit opportunior dicendi locus. Nunc, vt ad illam priorem redeam, video ex illius ignoratione offendere quoſdam ex his, qui nos Italos nullo numero habent, quoſque omnia in Tacito præſtitiſſe fama eſt. Hoc tamen vnum ſit ex his, quæ illi oculatiſſimi minime viderint Annali 14. *Quo memoriam reconciliationis efficeret* Nero, *acciperetque Agrippinam facili fœminarum credulitate ad gaudia venientem*. Hac eadem ſignificatione &, *tangere*, dici notat Nonius. *Tangere, eſt circumuenire*. Turpil. Demetrio: *At etiam ineptus meus mihi eſt iratus pater, quia ſe talento argenti tetigi, veteri exemplo amanti*. Idem tamen, illud ipſum, *accipiendi* uerbo ſignificari ſcribit, ex Lucil. *Accipere. Decipere*. Lucil. lib. XXIX. *Sic, inquam, veteratorem illum vetulum lupum Hannibalem acceptum*. Deſinant igitur in Tacito ueterem ſcripturam ſollicitare, aut fallaci manu noua adtexere.

Digitized by Google

De raptu, raptoribus, & conſcijs. *Cap. XI.*

SI quis in ſua, vel amici domo ſtuprum, vel adulterium fieri præbuerit, quaſi adulter punitur. l.8.l.9.ad.l.Iul. de adult. Raptores etiam, & inuaſionis comites ijſdem pænis ſubijciuntur, ita tamen vt conſcij cęteri, ac miniſtri, vel ſuſceptores, & adiutores capitali modo pæna, non etiam bonorum amiſſione mulctentur, l. vnic. C. de rapt. virgin. explicant hæc Græci luculentiùs, nam inter opem ferentes numerant, & eum, qui cum iudicio præeſſet, accuſare volenti ſilentium indixerit, vel affirmanti factum contradixerit. At Leo Armenus mitius egit cum Præfecto qui flagitium huiuſmodi vultus non fuerat; nam exuit tantum Præfectura, vt relatum eſt apud Orientales. Item in Experientia Romani proditum, Miniſtros, qui bonorum ademptionem non ſuſtineant, cenſeri veluti qui domum raptoribus præbeant, vt veſperi maneant poſt, vel ante raptum, aut indices viæ, qua raptum eant, aut qui miniſteria raptus præbeant, velut homines, equos. De his Magiſter ait, ſe diſceptaſſe cum magnis Iudicibus, & obtinuiſſe. Celebris eſt etiam ſuper eodem, canon XXVII. Chalcedonenſis, cuius mentio in Vormatienſi can. lxxvII. & alibi frequenter. Itaque Balſamon ad ea verba βασιλικ. libro 60. *Ne nubat rapta raptori; Quin, & ſic huic coniugio, raptæ parentes adſenſerint, deportentur.* Ita ſcribit *in canone* 27. *ſancta, ac vniuerſalis* IV. *Synodi hæc ſunt relata. Statuit ſancta Synodus, eos, qui ſub prætextu coniugij fœminas rapiant, aut qui raptoribus opem, vel operam præſtent ſi clerici fuerint, excidere gradu: ſi laici, anathematizari. Nos igitur pariter legitimis biſce, canoniciſque conſtitutionibus inhærentes, dicimus, quod ſi res ipſa propoſita interrogationi reſpondeat, neque nuptiæ fient inter raptorem,*

&

& raptam, etiamſi pater raptæ rem comprobet, neque raptus pœnas effugient illius conſcij; quin vltimo ſupplicio afficientur. Similia ex Cabillonenſi retulit Gratianus c. 4. 36. q. 2. Ad hoc crimen pertinet & Nouell. 121. & 143. De raptoribus autem ad Eccleſiam confugientibus, quædam ſtatuit Conc. Aurelianenſ. 1. can. 4. In edicto Theodorici Regis apud Caſſiodorum, conductores etiam conſcij puniuntur, ſi coloni huiuſmodi facinus admiſerint, ſi quidem c. 22. de conductore conſcio, aut conhibente, hæc ſunt edicti verba: Si verò conſcio conductore, aut iubente, aut conhibente, vel non prohibente, hoc fecerit, etiam conductor ipſe, tanquam facti reus, ſimili pœna feriatur, quæ tamen corrupta videntur, vt reſcribendum ſit, conniuente, quod & in Synodis, lociſq; prædictis paſſim legimus, niſi & illud probum eſt, fortè ex Gothica ſcribendi, aut pronunciandi ratione, cum & in vett. gloſs. legam *Choibet*, καταμύει, σωνέχει. Sic & in Gloſſario Iſidori, *Cohibentia, concluſio. Cobibuli, concordes, coniuncti*, ſunt autem in eius antiquis codicibus variæ formæ Gothicæ Calligraphiæ, niſi quis malit dicere monſtra ſcripturæ. At in Excerptis Pithœanis hæc eadem ſic: Choibuli, concordes, coniuncti, contribuli. Cohibentia, conluſio. In antiquo mſ. Gloſario, quo vtor: conibet, conſentit. Conibentia, conſenſibilia, vel conſenſui apta. Conibuli, concordes, coniuncti. Rurſus Gloſſographus Latino-Græcus: *Cobibilis, facilis* Ευχερής. *Cobibet*, Καμμύει, Καταμύει, Σωνέχει, Ραδυμεῖ. *Choibentia*, Ραθυμία, Σύνοχη. Sæpe item in C. Theodoſiano, *cohibere*, pro, *conniuere* dici putant. Mihi tamen ex his, quæ protuli, aliquid de vocis huius notione adhuc quæri poſſe videtur; præſertim cum legam in Concilio Arelatenſe 2. c. 27. *Profeſſas viduas, si in cohibenda perſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas*, omnes dicunt corruptam eſſe ſcripturam, & variè mutant, fortè tamen illicita coniunctio ea voce denotatur,

ſed

ſed nihil ſtatuo. Suſpicatus ſum etiam aliquando in ſimili voce corruptum eſſe Petronium: Subſtiti ego triſtis, cœpique viuentibus oculis maris fidem inſpicere. Num ſcripſerat, niuentibus? nam exprimit habitum commiſerantis, tremulis nempe, proiectis, penduliſue palpebris, vt adſolet, nictantis, quod Græcis dicitur καταμυσάζει. Pollux.

Obſeruata quædam in Tacito. Cornutus reſtitutus. Cap. XII.

OMnibus adhuc religio fuit, *propalandi* verbum, veluti barbarum, Latio donare. Puto nec apud Tacitum concoquerent, Annali 3. de Iunio Othone, Ait: *obſcura initia impudentibus auſis propolluebat*, prompto ſi quidem ſenſu dixiſſet Cornelius, *propalabat*: quaſi Iunius ſuo indicio ſe proderet, & quod obſcurum erat, reuelaret. Contra, Macrinum probitate, & æquitate ignobilitatem occultaſſe, ſcribit Xiphilinus. *Depalari* ſanè lego apud Tertullian. de Pallio: & diſpaleſcere, apud Plaut. Bacchid. Scæn. Atridæ, ſed &, propalo, apud Caſſianum Collat. X. cap. 9. is tamen, quantùm ad hoc pertinet, haud ſatis locuples teſtis videri poſſit. Item apud Sidonium Ep. 3. lib. 4. Aſtipulatur iudicio meo volumen illud, quod tute ſuper ſtatu animæ, rerum, verborumq; ſcientia diuitiſſimus propalauiſti. Apud eumdem Annal. lib. 12. etiam libertorum, ſi quis incorrupta fide, depellitur. Tali occaſione obuij inter ſe, Nero Britanicum nomine, ille Domitium ſalutauere. Dicunt, non capere, quænam occaſio illa fuerit, cuius nulla præcedens mentio, itaq; aliter pungunt, & diſtinguunt fortè non viderunt, quid illis verbis Cornelius voluerit: illis dico, *tali occaſione*, ſæpe dictum ἐν ἤθει, ſeu morata oratione, nam puto idem eſſe, quod, *neſcio qua occaſione*: cum nempe qui narrat, rem le-

uem,

uem, aut obſcuram ſingillatim referre, minus opus eſſe credit, vel cum pudori parcit. Eamdem vocem apud Gellium notaui lib. IX. c. XI. *Adoleſcens tali genere editus L. Furio, Cl. Appio Conſulibus, tit Tribunus militaris,* ſunt qui; *Italo genere*, ibi legendum eſſe contendant. Sunt etiam qui dicant (diuini nimirum) Annalium Scriptorem cuius verba Gellius retulit, quædam antea narraſſe, ad quæ iſta referenda ſint: & ſunt illi ipſi, qui Taciti ſcripturam mendi coarguunt, ſed illa ſententia mihi potior eſt. Lucian. in Dialog. Neptun. & Mercur. αἰσχύνομαι εἰπεῖν, τοιοῦτόν ἐστι, id. *Dicere pudet, tale eſt*. Ariſt. in α τῶν ἀναλυτικῶν ὑστέρ. κεφαλ. ς. ἴδια μὲν, οἷον γραμμὴν εἶναι τοιανδί, καὶ τὸ εὐθύ. ideſt: *Propria quidem, veluti talem eſſe lineam, & rectum*, quod alibi ſæpius apud eumdem legitur. Cybele ad Arſacem apud Heliodor. lib. 7. εἰ δὲ δεῖχθαι γάρ τι τὸν Θεαγένην τοιοῦτον: id *quod tale quiddam Theagenes præ-ſe tuliſſet*, exſtant, & alia ſimilia exempla moratæ locutionis. *Neſcio cui*, quod habet κοινή, Symmachus apud Daniel. c.8. reddit, τινίποτε: Aquila, & Theodotio, & LXX. φελμωνί: quod ipſum Hebraicum eſt. Sic etiam forte accipienda Titinnij verba apud Nonium: *Tali, poſitum, pro talis. Titinnius Setina Accede ad ſponſum audaciter, virgo puella eſt, tale etiam eſt*. In Cantic. 4. quo loco κοινή habet: abſque eo quod intrinſecus latet, LXX. reddunt, abſque taciturnitate tua & in Eſaia c. 47. de Filia Babylonis: denuda turpitudinem tuam, LXX. vertunt, ἀποκάλυψε τὸ κάλυμμα, reuela operimentum. Theodotio, & Aquila Hebraicis verbis vſi ſunt. Symachus, τὴν σιωπησίν σου, taciturnitatem tuam. Hieronym. in Daniel. c.6. ad ea verba, Quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere Regis, ita ſcribit: Et in hoc loco Hebræi tale neſcio quid ſuſpicantur: latus Regis, Regina eſt, vel concubinæ eius, cæteræque vxores quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergo occaſionem in rebus huiuſcemodi, ſi in ſermone, tactu, nutu, internun-

cio

Digitized by Google

cio poſſent accuſare Danielem, ſed nullam, inquiunt cauſam, & ſuſpicionem reperire potuerunt, quia Eunuchus erat, & eum in re ſtupri arguere non potuerunt. Hoc illi dixerunt, qui propter occaſionem vnius verbi, longas ſolent fabulas texere. Apud eumdem Tacitum eod. lib. Ne dubitaret armis, quam incruentas condiciones mallet. χιάσμῳ vtemur. Nam amolienda omnino vox illa, quam, ab imperitis adſcita, quod vt iam minùs trepidè fiat, latinum teſtimonium dabo Apuleij in Apolog. Perſuaſerat idem Pontianus Matri ſuæ, vt me alijs omnibus mallet. Aliter emendare nituntur, vaniſſimè credidiſſent rectiùs his, qui iam id ipſum oboluerant, & vocem inducendam eſſe ſuſpicati fuerant. *Malle*, præferre, & ante habere ſignificat: nec particulam, *quàm*, exprimendæ comparationi deſiderat. Appoſitus, ſed corruptus Cornuti locus, de orthographia. Malo, qui putant ab eo, quod eſt græcè μᾶλλον, comparatiuo modo deſcendiſſe, & per duo ll. ſcribunt, peccant. Non enim a græco translatum eſt, ſed ab antiquorum conſuetudine, qui pro magis ſuo loco dixerunt, poſtea a pluribus eliſionibus hoc verbum anguſtauerunt: vt magne volo deinde mauolo, quod frequentiſſimum apud illos eſt, nouiſſimè hoc ſubſiſtit, vt malo eſſet, ſed malle, per duas ll, velle eſt. Reſcribe, qui primo magis volo dixerunt, poſtea pluribus eliſionibus hoc verbum anguſtauerunt, vt mageuolo, deinde mauolo, quod frequentiſſimum apud illos eſt: nouiſſime hoc ſubſtitit, vt malo, eſſet quamquam & ſubſiſtit, pro ſubſtitit, dici potuerit; & extant complura ſimilia exempla in Pandectis. Papirianus: *Malo, per vnum l. quod eſt, Maguolo. Malle, per duo ll. quod eſt, Maguelle.*

Eodem Annali. Quærerent ſedem cæcorum terris aduerſam, ea ambage Chalcedonij monſtrabantur, quod priores illuc aduecti, præuiſa locorum vtilitate, peiora legiſſent. Emendant, parum viſa, cur ita? quia, inquiunt,

Digitized by Google

hac ratione cæci Chalcedonij, non illa. Dicam, non eſſe cæci, parum videre, ſed non videre, & itidem contra argutabor, ſed habeant ſuam emendationem. Ego noui, Pythium Apollinem, Chalcedonios cæcos dixiſſe, qui feracem illam, & pulcherrimam Bizantij regionem oculis vſurpantes, minus opportunitatem loci cognouerint: quam etiam Dio Chryſoſtomus celebrat in Tarſica priori, & Xiphilinus in Seuero. Ea cæcitas fuit. Tertullian. ad rem: *cæcitatis facilè duas ſpecies concurrere, vt qui non videant quæ ſunt, videre videantur, quæ non ſunt.* Sed quis Apollo fatidicus nunc cæcitatem noſtram deſignet? Oceani receſſus, abditi ſinus veſtigantur, ad vſque rigidum axem curſum dirigimus, loca quærimus, in quibus gelu, frigoreque artus perdamus, eſt in conſpectu, e regione Conſtantini opulenta, & inclyta ſedes, & quam ignaui perdidimus cæci non videmus, eamus, eamus, igne, ferro noſtra potius depopulemur, inſani huc illuc in perniciem noſtram diſcurramus. Audiat tyrannus proximum tormentorum fragorem, videatq; in ſpecula, in tuto nos miſeros in viſcera noſtra ſæuientes, ſed quid mirum? vecordes, infatuati, oculis capti ſumus, nam Bizantium & cor orbis, & ὀφθαλμὸν † quiſpiam ex veteribus dixit, quod in Europa aſſurgat, Aſiam in conſpectu habeat. Aegyptum, Africamque à dextra mare iunctas; nempe ceterum orbem imperio promptum, paratumque, & iuſſa expectantem. prorſus in ſpeciem vrbis Regnatricis, nobis in vmbra ſedentibus ſunt oculi ad lacrymas: ſint alijs ad proſpectum, vt acie, Dei beneficio, reſtituta, oculati tandem, & videntes, pias acies inſtruant, debellentque. Voto peroramus.

† Niceph. Calliſtus in pro.

Kurſus

Digitized by Google

Rurſus in Tacit. Analecta, poſt viros inſignes, & multa fama. Defenſa, & explicata priſca ſcriptura in l.75.miles, de legat.2.
Cap. XIII.

QVæ Critici quidam ſcribunt ad illud Cornelij XII. Annal. *Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, ne in malum publicum erumperet, metebatur*, ſatis declarant, eos in verbis ad aliquid caligaſſe, minutum, quidam in cauſa fuit, nec ſine rubore dicere poſſum. Dicit Cornel. *ac ſi ſperneritur*, nam donec flagitia legibus vindicantur, temperant facinoroſi: vt Princeps ſpreuerit, profligato pudore, & coercitionis metu, in malum publicum erumpunt. Sic igitur illa exaudiemus: *Quin etiam metuebatur, ne inceſtum in malum publicum erumperet, non ſecus ac ſi ſperneretur*, quis nempe animo non præſumpſerit, flagitium illud inultum manſurum, quod ipſe Princeps palam admiſerit? *Ac ſi*, ſignificat, *quaſi*. Gloſs. vett. *Ac ſi* ὡς ὡσεὶ, & rurſus; ὡσανεὶ, *veluti*, *Ac ſi*, *Vt pote*, *Prout*. ὡς, *Ac ſi* in vet. lapide: *& vt aqua digitus, in domo eius flueret commodiſque publicis, ac ſi Decurio, frueretur*. ſic & in l.1. C. de his, qui à non dom. manumiſ. ſunt: *cum, qui ſeruos alienos, ac ſi ſuos, manumitis*. & in l.6. C. de erogat. milit. ann. lib. XII. *aut ſi perceptionem ſuam, ac ſi debitam, ſtudio voluerint protelare*. Quinetiam, nullo negotio, *acsi*, pro *etſi*, ſumi poſſe affirmarem in l. 75. miles, de legat. 2. ſi placeret mihi ſententia illorum, qui Papinianum addubitaſſe credunt, quod non cum hęrede, ſed cum fideicommiſſario miles loquatur, quæ hypotheſis vera eſt; ſed pro ratione quæſtionis, ut puto, ſumi non debet. Ait: Miles ad ſororem epiſtolam, quam poſt mortem ſuam aperiri mandauit,

dauit, talem ſcripſit. SCIRE TE VOLO, DONARE ME TIBI AVREOS OCTINGENTOS. Reſpondet Papinianus, fideicommiſſum conſiſtere, non modo ex voluntate militis, ſed etiam pagani: vel, vt ipſe loquitur, in cuiuslibet ſuprema voluntate, ac ſi defunctus, inquit, cum eo loquatur, quem precario remuneratur, legi volunt etſi pro, acſi, quod confirmatur ex Harmenopul. lib. 5. epitom. εἰ καὶ μὴ πρὸς τὸν κληρονόμον, ἀλλὰ πρὸς ἐμὲ διελέχθη: id *licet non heredem ſed me* (fideicommiſſarium) *alloquutus ſit*. Quà ratione dicendum eſſet, Papinianum fideicommiſſum hic agnoſcere, licet contra dicendum videretur, quod non ad hæredem, vt fideicommiſſum exigit, ſed ad fideicommiſſarium precaria verba dirigantur. Poteſt tamen, & fideicommiſſarius rogari, l. 69. peto cod. & hæc quidem rectè: ſed non de eo Papinianus dubitat. Ideo dicit, *ac ſi defunctus cum eo loquatur*, quia non vt a defuncto donabatur, cum tamen mandauerit, epiſtolam poſt mortem aperiri, non ante, ſatis intelligimus, a defuncto donari; vt igitur conſtat fideicommiſſum conſiſtere cum defunctus precarijs verbis non hæredem, ſed fideicommiſſarium compellat, ita pariter hìc dicemus; fideicommiſſum conſiſtere, quaſi ex voluntate defuncti, licet nulla mentione mortis viuus donauerit, nam conijectura ſumitur ex eo, quod epiſtolam poſt mortem, non ante aperiri mandauerit. Apud eumdem Tacit. Annal. lib. 16. de Antiſtio Soſiano, & Pammene: *ventitare ad eum nuntios, & conſolationes non fruſtra ratus*, emendant, *conſultationes*. Ego reperio, antiquos eodem modo, *conſolationem*, aut *conſultationem* vſurpaſſe: vt in antiquo Seruij Codice Aeneid. lib. 3. *Augurium eſt exquiſita Deorum voluntas per conſolationem auium, aut ſignorum*, vide, & ita ſcriptum eſſe in pleriſque mſs. apud Iſidorum. *Auſpicia ſunt, quæ inchoantur, & vltro veniunt: auguria, quæ conſolantur, & conſequuntur* In Gloſs. meis mſs. *Conſulatur, interrogatur*;

Neſcio, an id ipſum voluerit Varro Oedipo-Thyeſte apud Nonium: *Per idem tempus, Oedipus Athenas exſul venire dicebatur, qui conſolaret*. Sic etiam fortè apud Macrobium lib. 3. Sat. c. 5. non malè ſcriptum: in his ipſis hoſtijs, vel animalibus, vel conſulatorijs, quædam ſunt, quæ hoſtiæ iniuges vocantur. Eodem lib. Exutuſque omnibus fortunis (Caſſius Aſclepiodotus) & in exilium actus, æquitate deum erga bona, malaque documenta. Inurunt ſtigma, dematur retulerat Cornelius exemplum Philoſophici propudij, mox ſtatim addidit: Idem tamen dies, & honeſtum exemplum tulit. Vult igitur, æquos deos fuiſſe, quod eodem die documenta paria præbuerint tam in bonum, quàm in malum; in malum, vt diſcamus, præcauendum eſſe ab his, qui ſpecie bonarum artium nos ambire videntur, cum tamen falſi ſint, & amicitiæ fallaces: in bonum, vt ſciamus probos, & candidos vita florentes amicos celebrare, vt nec labentes deſerant. Viri docti in Caſtris Epicuri Tacitum conſtituunt, quod alibi iure faciunt; nunc de ſcammate abire videntur.

Tentata ſcriptura in l. 9. §. ſi nummos, de reb. cred. *Cap. XIV.*

QVod tacita ſumma ſit, quæ publica menſæ ſcriptura non contineatur, ex M. Tull. & Gellio, ab alijs explicatum fuit in l. 47. de pact. Sed ſi rationibus relata ſumma fuerit, quo nomine cenſebitur? nam πρὸς διαϐολὴν tacita ſumma dicitur: & refert ſcire, vt videamus, an ſanari poſſit locus corruptus apud Vlpian. in l. 9. certi condictio, §. ſi nummos, de reb. cred. Ait: *nec dubitari, quin ſi meam pecuniam tuo nomine uoluntate tua dedero, tibi adquiritur obligatio: cum cottidie credituri pecuniam mutuam, ab alio poſcamus, ut noſtro nomine creditor numeret futuro debitori noſtro*, quo loco Archetypus hanc ſcripturam

refert: *ut noſtro nomine creditor meus, & futuro debitori noſtro.* Subſtituerunt autem, *numeret*. Ego, ex veſtigijs antiquæ ſcripturæ, Vlpianum ſcripſiſſe potius coniecerim, *incuſet*, incuſare nimirum dicetur creditor, qui rationibus ſummam referens, imputet noſtro nomine futuro debitori noſtro. Sumit argumentum I. C. ex rationum conficiendarum formis, nam & argentarij, & diſpenſatores, & quicumque rationes conficiunt, cum acceptam pecuniam per partes erogant, cauſas etiam adſcribunt, vltro-citroque dando, accipiendo, l. 6. §. rationem, l. 9. §. nummularios, D. de edend. Domitian. lib. x. apud Plin. ep. 66. *Summam expenſam liberalitati meæ feres*. Sueton. Veſpaſian. c. 22. Expugnatus autem à quadam, quaſi amore ſui deperiret, cum productæ pro concubitu ſeſtertia quadraginta donaſſet, admonente diſpenſatore, quemadmodum ſummam rationibus vellet referri, Veſpaſiano, inquit, adamato. *Hieron. ad Nepotian.* Procuratores, & diſpenſatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo poſſunt eſſe clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quidpiam rapere, furtum eſt: Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt: accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, &, eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe velle, vel timidum, aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat, ego fame torqueor, & tu iudicas, quantum ventri meo ſatis ſit, aut diuide ſtatim quod acceperis, aut, ſi timidus diſpenſator es, dimitte largitorem, vt ſua ipſe diſtribuat, nolo ſub occaſione mea ſacculus tuus plenus ſit. Nemo mea meliùs me ſeruare poteſt, optimus diſpenſator eſt qui ſibi nihil reſeruat. *Iſidor. lib. 3. Sent. c. 60.* Diſpenſator non debet eſſe prodigus, ſed diſcretus: largiri enim debet quantùm oportet, vt tenendo menſuram in vno ſufficiat plurimis. *Idem in* Allegor. nou. Teſtam. Diſpenſatorem appellat Oeconomum, ſeu Villicum, vt vet. Interpr. reddidit Luc. XVI.

Diſpen-

Digitized by Google

Diſpenſator prodigus, quem dominus à villicatione remoueri præcepit, & fraudem faciens domino ſuo, relaxauit debitoribus partem, vt haberet, vnde in poſterum viueret, *uet. Scholiaſt. ad illud Iuuenal. Sat. VII.*

Et, qui diſpenſat, frangat ſibi.

Et, qui erogat, de eadem ſorte tollit ſibi. Anguſtius à IurisConſultis, diſpenſatoris nomen vſurpatum, quod officium illius duobus tantùm verbis, credendi, exigendi, contineri dicantur [illegible], τὸν δοῦλον, τὸν δανείζοντα τὰ δεσποτικὰ χρήματα: *ſeruum, qui dominicam pecuniam fenori dare conſueuit.* Græc. Interpr. Inſt. lib. 3. tit. 27. §. 10. in re militari aliud nomen erogator habebat, vt notaui in Gloſſar. Iſidori, in quo legitur: *Diſpunctores, qui dona militibus erogant*; & rurſus: *Diſpungere, donare*; nomen hoc diſpenſatoris, armigero inditum à Iuuenale Sat. 1.

Prælia quanta illic diſpenſatore videbis

Armigero!

Quinam Armigeri fuerint, non eſt huius loci dicere, illud noto, quod ad ea verba vet. Schol. ſcribit: *Metaphora à bellantibus, ideſt, qui arma præbet, teſſeras, & tabulas & ipſe, qui nummos ſub pignore portat, vel qui ſubminiſtrat pecuniam.* Putant, & Arcarium dici in Pandectis, l. Thais, §. 17. de fideicommiſſ. libert. Gloſſ. vett. *Diſpenſat*, Δαπανᾷ, ἀναλίσκει. *Diſpenſator*, οἰκονόμος, ἐπὶ δαπανημάτων. *Varro lib. 5. de l. l.* Ab eodem ære impendendo Diſpenſator, & in tabuleis ſcribimus, Expenſum. Et inde prima penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. *Feſtus*: Diſpenſatores dicti, qui æs penſantes, expendebant, non adnumerabant, hinc deducuntur Expenſa, ſiue Diſpenſata, vel Compenſata: item Compendium, Diſpendium, Aſſipondium, Dupondium. Sed ad rem. Dicemus hoc pacto *tacitam pecuniam*, quæ non ſit *incuſata*. Similem loquendi rationem vſurpauit Cornutus cum dixit, Midæ tonſorem, arcanum terræ canna incuſaſſe, cum reticere non poſſet.

Ἐναντιοφανὲς inter l. 20. & l. 25. de dol. mal. Cap. XV.

DIfficile contrarium eſt in Paulli verbis XI. lib. ad edictum. Sed quis credat, eumdem prudentem eodem lib. pugnantia dicere? videamus. *In l. 20. § de dol. ait*: Si perſuaſeris mihi, nullam ſocietatem tibi fuiſſe cum eo, cui heres ſum, & ob id iudicio abſolui te paſſus ſim, dandam mihi de dolo actionem Iulianus ſcribit. *Rurſus in l. 25. eodem, ait*: Cum à te pecuniam peterem, eoque nomine iudicium acceptum eſt, falsò mihi perſuaſiſti, tamquam eam pecuniam ſeruo meo, aut procuratori ſoluiſſes: eoque modo conſecutus es, vt conſentiente me, abſolucreris, quærentibus nobis, an in te doli iudicium dari debeat, placuit de dolo actionem non dari, quia alio modo mihi ſuccurri poteſt; nam ex integro agere poſſum: & ſi obijciatur exceptio rei iudicatæ, replicatione iure vti potero. Cur priori caſu datur actio de dolo, poſteriori non datur? cur ſi ex integro hìc agi poteſt, non poteſt & illic? An, quod remittentibus actiones ſuas regreſſus dandus non ſit? l. 14. queritur §. ſi venditor, de ædilic. edict. At illo caſu remiſi ex falſa cauſa, & ab aduerſario acceptus. Sed & ideo datur de dolo. An igitur in altera quoque ſpecie actio remiſſa intelligetur? non video quomodo id dici poſſit, non remittit actionem, qui obligationem ſolutione tantùm elidi poſſe intendit. Adhuc tamen hæſitabitur, nam ſubtili ratione, neutra ſpecies, actionis remiſſionem habere videbitur, qui credit, non eſſe ſocietatem, ſeu negotium, aut contractum, credit nec eſſe obligationem, & ex eo nec eſſe actionem, qua ratione dicemus, eam nec remitti. Tentemus, an hoc pacto dici poſſit. Actio de dolo ita datur, ſi alia non ſit, l. 1. eodem oportet igitur priori caſu, aliam actionem non eſſe, ſanè non eſt, erat

equi-

equidem a principio; ſed cum mihi verba dari paſſus ſum, quòd crediderim nullam ſocietatem aduerſario fuiſſe cum eo, cui hęres ſim, & iudicio quoque ob id eum abſolui paſſus ſum, intermoritur actio, quis fortè dixerit, reſuſcitari, ſed qua ratione? nam haud ita facilè reſurgit, l. 90. qui res ſuas, §. aream, de ſolut. l. 27. ſi vnus ex argentarijs, §. pactus ne peteret, de pact. mittamus igitur hanc quæſtionem. Dico, priori ſpecie labefactari cauſam obligationis, adeoque corruere actionem, non poſteriori. Qui credit non fuiſſe contractum ſocietatis, laxat obligationem, quæ vltro citroque conſiſtere habet, l. 19. Labeo, de V.S. nam, & animus requiritur, vt alibi dictum. Itaque nec actio conſiſtit, quæ ex illa pendet, & re iudicata, fruſtra quæritur regreſſus. Quod ſi pecuniam ſolutam crediderim, obligationem credidi iure exſolutam, non credidi non eſſe. Eſt igitur, nec eſt exſoluta, ſed dum illud credidi, ceſſauit. Itaque merito ex integro agam, contra fraudem verò mendacis excipientis replicatione vtar.

Sententia l. 21. vulgaris, D. de furt. *Cap. XVI.*

VVlgaris eſt, ſed difficilis quæſtio, An qui partem ſurripuerit, totius furtum feciſſe dici debeat. Quidam dixerunt, totius furtum videri, ea præcipuè ratione, quod qui aurem alicuius tetigit, eum totum tetigiſſe videatur, hoc Trebatius dixit. Sed durum eſt: & Vlpian. in l. 21. de furt. benigniorem partem tuetur. Ratio, qua quæſtionem explicare nititur, ſub-obſcura eſt. Ait: Nam & ſi quis armarium, quod tollere non poterat, aperuerit, & omnes res, quæ in eo erant, contrectauerit, atque ita diſceſſerit, deinde reuerſus vnam ex his abſtulerit, & antequam ſe reciperet, quo deſtinauerat, depræhenſus fuerit, eiuſdem rei manifeſtus, & nec-manifeſtus fur erit. Cur fingi vult,

eum contrectaſſe, mox receſſiſſe? Puto totius furtum non fieri, hac ratione probare velle, vt id oſtendat ex vtraque ſpecie ſimul ſumpta, manifeſti nimirum, & nec-manifeſti, ſi dicamus igitur, furem res omnes contrectaſſe, & ſimul rem vnam ſuffuratum eſſe, incidimus in id ipſum, quod quæritur, & ambiguum erit, dici ne debeat, totius, an partis furtum manifeſtum committi. Ideo fingit receſſiſſe: nam poſtmodum ſi redierit, & rem vnam ſurripuerit; ac, antequam ſe recipiat, quò deſtinauerat, depræhenſus fuerit, euidens eſt, illius modò rei manifeſtum, & nec-manifeſtum furem dici poſſe, nec-manifeſtum, qua priùs clam contrectauerat, nec depræhenſus fuerat: manifeſtum, qua depræhēſus fuit, antequam ſe receperit, quo deſtinauerat. Sed cur aliarum etiam rerum manifeſtus, & nec-manifeſtus non dicetur? conſtat id ex eo, quia, quantùm ad reliqua pertinet, nullo pacto dicere poſſumus, hoc caſu eum depræhenſum fuiſſe: priùs enim contrectauerat, & receſſerat. Hinc liquet, in conſtitutione furti, a parte ad totum inferri non poſſe: nam ſi poſſet, vtique tam fur manifeſtus eſſet, qui omnia contrectauit, & ſimul vnum ſurripuit, ac depræhenſus fuit, quàm qui, cum omnia contrectaſſet, receſſit, & rediјt, ſed non eſt omnium fur manifeſtus, vt diximus, cui rationi illud ampliùs ineſt, quod res omnes contrectaſſe furem fingimus, hoc dici non poteſt de eo, qui dolium aperuit, & indè vini parum abſtulit. Igitur, ſi cum omnia contrectauit, omnium tamen fur dici nequit, multò minùs dicetur, cum omnia non contrectauit, niſi fictione quadam. Hoc amplius: poſteriori caſu duo ſunt furta, manifeſtum, & nec-manifeſtum, nec enim nec-manifeſtum cum ἐπαυτοφώρῳ concurrit, l. 3. l. 8. de furt. Itaque, & vt manifeſtus, & vt nec-manifeſtus tenebitur, ideſt in duplum, & in quadruplum. Si tamen, vt & Græci notant, dominus vt in nec-manifeſtum agat, & duplum conſequatur, poterit quidem rurſus agere vt in manifeſtum, ſed ita vt non con-

ſequatur

ſequatur niſi quod quadruplo deſit, non integrum quadruplum, quod ſi priùs egerit manifeſti, & quadruplum conſecutus fuerit, actio nec-manifeſti exſtinguitur. Sanè id ex re ipſa pendet: nam nec-manifeſtum tranſit in manifeſtum cum fur depræhenditur: ſi non depræhenditur, ſtat nec-manifeſti fine; inde dicimus, nec-manifeſtum eſſe quod non ſit manifeſtum, in ſpecie relata, nec-manifeſtum iam ſteterat, quod fur clam contrectauerat, & receſſerat: mox, in vna re deprænhenſo, acceſſit ἐπαυτοφώρῳ, & ſtetit vtrumque. Hac ratione quaſi producitur actio dupli ad actionem in quadruplum, l. 46. inter omnes, §. quod dicimus, l. 52. ſi quis vxori, §. fin. eodem, & duplatur rei pretium, qua nec-manifeſtum ſtetit: quadruplatur, qua nec-manifeſtum ἐπαυτοφώρῳ producitur.

Explicata l. 43. palam, §. quæ in adulterio, D. de nupt. Cap. *XVII.*

ET Vlpiani verba tit. 13. in fragm. & epigraphe l. 43. palam, de nupt. cuius idem I. C. eſt auctor, ſuadere videntur, ex lege Iulia proponi ea: QVÆ IN ADVLTERIO DEPRÆHENSA EST, QVASI PVBLICO IVDICIO DAMNATA EST. Quibus hæc addita ſunt: Proinde, ſi adulterij condemnata eſſe proponatur, non tantùm quia deprænhenſa eſt, erit notata, ſed quia & publico iudicio damnata eſt. Quòd ſi non ſit depręhenſa, damnata autem, idcirco notetur, quia publico iudicio damnata eſt. At, ſi deprænhenſa quidem ſit, damnata autem non ſit, damnata erit. Ego puto, & ſi abſoluta ſit poſt deprænhenſionem, adhuc tamen notam illi obeſſe debere: quia verum eſt, eam in adulterio deprænhenſam, quia factum lex, non ſententiam notauerit. In quibus, ſtructura verborum inordinata videtur: Nam dum dicit, *non tantùm quia deprahenſa eſt, erit notata, ſed quia, & publico*

iudicio damnata eſt, verborum ordo ſententiæ non videtur reſpondere, cum dicendum potiùs è conuerſo videatur, *non tantùm quia publico iudicio damnata eſt, erit notata, ſed & quia deprahenſa eſt*. Elegans ſanè I. C. hæc ad calculum reuocat, quod dicat, de damnata publico iudicio, nullam eſſe dubitationem, ſed de depræhenſa in adulterio, cum non hæc, ſed illa S. C. verbis contineatur in §. ſenatus cenſuit, eodem capite. Itaque trahit hæc ad artificioſam partium ſtructuram, quam etiam non naturalem appellat. Nullam ego puto neceſſitatem eſſe, qua confugere ad hoc cogamur, & ſententiam horum verborum ſic explicandam eſſe crediderim. Quæſtio quadruplex proponitur in §. quæ in adulterio: Qua ratione notetur in adulterio depræhenſa, & adulterij damnata: Qua etiam notetur non depræhenſa, ſed damnata modò: Qua rurſus depræhenſa, ſed non damnata: Qua demum depræhenſa, ſed abſoluta. Siue igitur ea ſint Iuliæ Legis verba, ſiue non ſint, conſtituamus, *Eam, quæ in adulterio ſit deprahenſa, fictione quadam, ſimul quaſi publico iudicio damnatam haberi*. Igitur ſemper notabitur vt damnata. Nam in adulterio depræhenſa, & ſimul adulterij damnata, notabitur, non tantùm qua depræhenſa, & conſequenter iuxta hypotheſin damnata, ſed quia verè etiam publico iudicio damnata. Hoc primum eſt, in quo nulla ratione hæſitabitur. Quòd ſi non ſit depræhenſa, ſed damnata tantum, iam notabitur ex verbis S. C. vt damnata. Rurſus ſi depræhenſa tantùm ſit, non damnata, notabitur quaſi damnata, qua depræhenſa. Denique ſi depræhenſa, & poſt depræhenſionem abſoluta, nihilominus tamen notabitur qua depræhenſa, & eo ipſo quaſi damnata. Hoc poſtremum dices eſſe difficile, vt nimirum fictione damnata dicatur, ideoq; notata, quæ in re non ſit damnata ſed abſoluta. Reſpondet Vlpianus, *quia verum eſt, iam in adulterio deprahenſam*, quæ verba ſic exaudire oportet, vt qua verum

eſt,

Digitized by Google

eſt, eam in adulterio fuiſſe depræhenſam, ſimul etiam ſtatim verum ſit, eſſe quaſi damnatam, nec obſtat, quòd ſententia ſit abſoluta: nam priùs fuit depræhenſa, & id ſatis eſt, quia factum lex, non ſententiam notauerit. Nota conſequitur adulterium depræhenſum, quod depræhenſioni damnatio cohæreat: adulterium ſiquidem depræhenſum, ante ſententiam lex damnat. Satis eſt igitur, verum eſſe, quod depræhenſum ſit adulterium, vt ſit damnatio, & nota ſequatur.

De Canone Nauarchico. Cogitare ἐμφατικῶς. *Tacitus explicatus: forſitan, & ſanatus. Cap. XVIII.*

DE Canone Nauarchico ſcribentes Imperator. Chiloni Proconſuli Africæ, in l. 2. de præd. & omn. reb. Nauicular. C. lib. XI. conſtituunt, quod ſi domus Nauicularie functioni obnoxia venierit, addita poſteriori tempore magnificentia per exſtructionem, & ſumptus emptoris; licitationem æſtimationis accipere non teneatur. *ſed* inquiunt, *vetuſta potiùs loci ſpecies, & penſio cogitetur, quàm cultus hodiernus, qui per induſtriam hominis animoſi acceſſit.* Igitur præſtabit emptor Nauarchici nomine, quod venditionis tempore præſtandum erat, id ſignificant verba illa, *vetuſta, ſpecies, & penſio cogitetur*, ideſt ratio habeatur vetuſtæ penſionis, & antiquæ ſpeciei, non eius, quæ poſt-acceſſerit, eodem verbo, ſimiliter, vt mihi videtur, vſus eſt Tacitus Annal. XI. *ſe modicos Senatores, qui à Republica nulla, niſi pacis emolumenta peterent: cogitare plebem, qua toga eniteſceret*, priſca lectio in Medicæo Codice: *qui & à Republica*, ex qua Pichena fecit, *quieta Republica, nulla, niſi pacis emolumenta petere*, rurſus antiqua lectio: *cogitaret plebem*, optimè. Suillius, & Coſutianus hoc velle viden-

videntur, Senatores modicos, tenues, & haud magna cum re, quales ipſi eſſent, pacis emolumenta petere: & hæc eadem multò magis deſiderare plebem inopem, cuius rationem Principem habere, par eſſet. Sed cum additur, *qua toga eniteſceret*, attollerem hæc potiùs, in recto togæ nomine accepto, hoc pacto: *qua toga eniteſceret?* ideſt, ſublatis his artibus, qua ratione gens togata emergere, qui togam ſordidam nitidiorem reddere poſſet? Ideoque ſtatim additur: *Sublatis ſtudiorum pretijs, etiam ſtudia peritura, vt minùs decora*. Referre poſſis etiam togam ad Togatos, ideſt Patronos, & Aduocatos. Itaque in vniuerſum, locum hunc ita fortè reſtitui poſſe dicemus: Se modicos Senatores, quieta Republica, nulla, niſi pacis emolumenta petere: cogitaret plebem, qua toga eniteſceret? Sublatis ſtudiorum pretijs, etiam ſtudia peritura, vt minùs decora. In vett. Gloſs. *Cogitat*, Σκέπτεται, Λογίζεται, Ενθυμεῖται, Μεριμνᾷ, Βουλεύεται. Vulcatius Gallicanus in Auidio Caſſio: *Non enim pius eſt Imperator, qui non cogitat vxorem, & filios*. Hanc eamdem loquendi rationem alibi quoque Tacitus vſurpat. Annali XII. Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) vt non dominationem, & ſeruos, ſed Rectorem, & Ciues cogitaret, clementiamque, ac iuſtitiam, quantò ignara barbaris, tantò toleratiora capeſſere, (malim, capeſſeret.) Quo loco aliter etiam quidam hærent: Nam, vt detur, barbaros expertes, & ignaros eſſe clementiæ, & iuſtitiæ, cur tamen hæc tolerationa dicuntur, quaſi cæteroqui ſint intolerabilia? Sed videamus, quæſo, an dici poſſit, de coniunctione clementiæ, ac iuſtitiæ Tacitum ſenſiſſe. Nam has virtutes ſimul iunctas in Principe videre, haud tritum apud barbaros, cum iuſtitia in ſæuitiam, clementia in facilitatem, & indulgentiam pernicioſam facilè vertat, duplici coniunctione Cornelius iſta protulit, *clementiamque, ac iuſtitiam*. Hac ratione hæ virtutes ignotæ barbaris, & eo tolerabilior vtraque,

que, ſi iunctæ fuerint. Rapiunt enim in amorem, & admirationem, quam ex ignoratione fluere, Sophi dicunt.

Rurſus obſeruata quædam in Tacito, Velleio, Tertulliano, alijs. Intolerabile. χρονικὰ *quædam, & quorumdam* σφάλματα. *Cap. XIX.*

ADhuc leuia quædam in Tacito ſub-notemus. His quæ ſupra poſtremo loco retulimus, proxima ſunt, & illa Thraſeæ Annal. XV. *quædam immo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſum gratiam animus*. Veriſſima gnome. Nec ad ſolos Romanos Magiſtratus, aut ad Prouinciarum Proconſules pertinet, vt quidam explicare conantur, ſed audiendum eſt τὸ καθόλου. prudentiſſimè, nam rigorem, qui flecti nequeat, aut ſeueritatem obſtinatam homines ferre neſciunt, vt neceſſario virtutes quædam in humanitatem flectendæ, aut miſtione temperandæ ſint: nempe iuſtitiæ rigor clementiæ lenitate miteſcit, cum non modò barbaris, vt ſupra dicebamus, ſed omnibus ferme gentibus quædam intolerabiles videantur, ita virtutes tolerabiles, aut intolerabiles, vt proximè retulimus, dici patiemur. In eamdem ſententiam lib. 1. Hiſtor. *Nocuit antiquus rigor, & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus*. Elegantiſſimus † Afer, de patientia, id aliter flectere videtur: *Bonorum quorumdam, ſicuti & malorum intolerabilis magnitudo eſt, vt ad capienda, & præſtanda ea, ſola gratia diuinæ inſpirationis operetur*. De patientia agit: & ad rem ipſam referemus quod dixit, *intolerabilem magnitudinem*. Nam verum eſt quidem, intolerabile ſic vſurpari, vt tam malum, quam bonum homines ferre non poſſe dicantur, hic tamen ſic accipietur, vt id, quod aſſequi vix liceat: quaſi ſupra hominem ſit, vel, vt alicubi dicit Ariſt. † χαλεπὸν, καὶ μείζονος ἀρετῆς, ἢ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν; id. *difficile, & maioris virtutis, quam ſecun-*

† Tertullianus.

† 3. Politic.

cundùm humanam naturam. Nam hæc deficit, tolerandi neſcia, & tamen, vt ait † Apoſtolus, ἡ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ
† 2. ad Corinth. xii. 9. τελειοῦται: *virtus* (ſeu vis ipſa naturæ) *in infirmitate perficitur*, præterea, medium coniectare difficillimum, & hac quoque ratione virtus verſatur circa difficile: διὸ καὶ ἔργον
† 2. Ethic. c. 9. ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι: † ait ille. Aptè quoque *magnitudinem* Tertullianus dixit, cum maxima ſint ea, circa quæ virtus verſatur: vt ex eo potiſſimum appareat, circa bellica peri-
† Eth. lib. 3. c. 9. cula fortitudinem eſſe: † ἐν μεγίστῳ γάρ, καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ: id. *in maximo enim*, *&* *pulcherrimo periculo*. Apud eumdem Tacit. lib. 1. Hiſtor. *Quippe Titum filium ad venerationem, cultumque eius miſerat*, *vt ſuo loco memorauimus*, corrigunt, *memorabimus*: nam, inquiunt, hæc narrat initio libri 2. ſed nihil cogit, vt antiquam ſcripturam inuertamus, quod ita ſcriptores ſæpe poſteriora præteriti nota deſignent, & anteuertant. Ita pariter fruſtra ſunt, dum in Velleio lib. 2. c. 89. *ſubijciemus*, ſcribi volunt pro eo, quod editi habent, *ſubiecimus*. Hoc etiam infirmo argumento vtuntur aliquando Scholaſtici, vt ordinem librorum oſtendant: ſed quàm ſit fallax, liquet vel ex vno Ariſtotelis loco lib. 1. περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως. Nam, cum de potentia, & actu agatur lib. IX. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, ibi tamen ſcribit, τοῦτο δὲ ἐν ἄλλοις διώρισται δι' ἀκριβείας μᾶλλον: *quod alibi diligentiùs determinatum eſt*. Quin nec ordo rerum geſtarum aliquando conſtare poterit, ſi narrationem ſemper inſpexerimus, vt etiam in Sacra Hiſtoria ad hanc rem reſpicientes, neceſſarium ſit incidere ſæpe in μεταχρονισμοὺς, aut προχρονισμοὺς, ſicuti notat etiam Auguſtinus de C. D. lib. 16. c. 15. de Abrahæ profectione: & ad euitandas huiuſmodi παραστροφάς, ſeu ad diluendos metachroniſmos, & prochroniſmos, omnino hanc rationem quandoque inire oporteat. In profana tamen hiſtoria, & præcipuè in Romana, in qua per Conſules anni recenſentur, huiuſmodi πρωθύστερα, ſimileſque anteceſſiones, diligenter, & cum cura à Scriptoribus

ribus notari videmus, ſi aliquando, ob rerum geſtarum coniunctionem, & nexum, vno ſpiritu narrare oportuerit. Hinc illa apud eumdem Tacitum lib. 12. Hæc quamquam à duobus, Oſtorio, Didioque pro-Prætoribus, plures per annos geſta, coniunxi, ne diuiſa aut perinde ad memoriam ſui valerent, ad temporum ordinem redeo, & alibi: Quæ in alios Conſules egreſſa, coniunxi. Hæc, & his ſimilia obſeruata ſunt: religiosè ſanè. Simili quadam ratione coniuncta quædam apud noſtros Iuris-Conſultos, vt intelligamus ὁμονομίας admittendas aliquando fuiſſe, ne veterum θεωρίαι diuiderentur, vt Iuſtinianus excuſauit in Conſtitutione de Conceptione Digeſtor. §. 10. Hieron. lib. 12. in Eſaiam, c. 44. Incipit altera περικοπὴ, quam totam ſimul propoſuimus, ne vnius ſensùs diuideremus continentiam, & in Ezech. lib. 7. in procem. Si librorum breuitas, vel longitudo inter ſe fuerint inæquales, viſionum, immo ὁράσεων breuitati imputes, ac longitudini, dum & iuncta nolumus ſeparare, & diſſonantia in vnam coarctare congeriem, ſimile notat in Daniel. c. 7. Viſionem hoc eodem pacto ſeruatam à Iuris-Conſultis legimus: cuius ſignificationis alibi mentio in his libris.

De iniur. Paulli, & Vlpiani fragmenta recenſentur. Cap. XX.

AEger eſt à ſcriptura Paulli fragmentũ tit. 2. apud Collatorem. Acceſſerunt duo harum rerum periti Pithoei fratres, par Criticorum inſigne, tentarunt, retexerunt potiùs vulnera, quam ſanarunt. Videamus, an alius quidquam poſſit poſt Podalirium, & Machaonem. PAVLLVS lib. ſingulari, & tit. de iniur. Generaliter dicitur iniuria omne, quod non iure fit, ſpecialiter alia eſt contumelia, quam Græci ΑΔΙΚΙΑΝ vocant. Nam cum Prætor noſter

aduerſum nos pronunciaret, iniuriam nos accepiſſe dicimus, vnde apparet, non verum eſſe quod Labeo putabar, apud Prætorem iniuriam YBPIN dumtaxat ſignificare, communem omnibus enim iuris eſt, quod ſemper aduerſus bonos mores fit, idque non fieri alterius intereſt. Hæc poſtrema ita reſtitues: *commune enim nomen iniuria, ὕβρις eſt quod ſpecialiter aduersùs bonos mores fit, idque non fieri, alterius intereſt*, compendijs, puto, quædam ſcripta, & nomen ὕβρις in *iuris* tranſierat, perſpicuum mendum. Sed, & in prioribus aliquid ſuboleo, nam ex §. 1. de iniur, ita videtur reſtituendum, *ſpecialiter alia eſt contumelia, quam Græci ὕβριν, alia, quam ἀδικίαν vocant*. Mox etiam cum ſubdit, *nam cum Prætor noſter aduerſum nos pronunciaret, iniuriam nos accepiſſe dicimus*, ex eodem §. 1. reſtituam, *nam cum Prætor non iure aduerſum nos pronunciarit, iniuriam nos accepiße dicimus*. Fortè & Paullus ſcripſerat, *iniuriam accepiſſe*: adiectum verò poſtea fuit, *nos*. Nam Tribonianus eam vocem non retulit. Itaque latinus noſter Interpręs expoſuit, *accepiſſe*, ideſt *feciſſe*. Paraphraſtes verò Græcus ad eum retulit, contra quem non iure ſit pronuntiatum, reddit enim, λεγόμενον τὸν ἀδικηθέντα *iniuriam accepiſſe*. Gloſs. vett. *accipientibus iniuriam*, τοῖς ἀδικουμένοις. Sed de illius loci ſententia alius erit dicendi locus: nam ex antiquis formulis, noui ab alijs alia, &, vt apparet noua ſcripta fuiſſe. Sequitur apud Paullum: *vnde apparet, non verum eſſe quod Labeo putabat, apud Prætorem iniuriam ὕβριν dumtaxat ſignificare*. Obſcure: *Aio te Aeacidam Romanos vincere poſſe*. Sed, *apud Prætorem*, eſt *in Prætoris edicto*; ideoque non ignoramus quid voluerit. Quod tamen haud indiſtinctè accipiemus: Nam Paullus vult, iniuriam non vbique apud Prætorem, nec ſemper ὕβριν tantùm ſignificare: & verum eſt, at, quod pertinet ad hoc edictum, Labeonis ſententia nihilominus vera erit, ideſt, iniuria ad contumeliam referenda eſt, ideo ſtatim

ſub-

Digitized by Google

ſubdidit Paullus, *Hoc edictum ad eam iniuriam pertinet quæ contumeliæ cauſa fit*. Ita in tit. de iniurijs, cum agatur de actione iniuriarum, iniuriam ſpecialiter accipimus pro contumelia. Vlpian. in l. 5. ad l. Aquiliam: *Iniuriam autem accipere hic nos oportet, non, quemadmodum, & circa iniuriarum actionem, contumeliam quamdam, ſed quod non iure factum eſt, hoc eſt contra ius, id eſt ſi culpa quis occiderit.* Igitur virum doctum indormitaſſe intelligimus, cum ad hæc ipſa Vlpiani verba tit. 7. ab ipſo quoque Collatore relata, Labeonis ſententiam improbatam fuiſſe aſſerit. Denique dicemus, aliquando iniuriam ſpecialiter eſſe contumeliam, vt in tit. de iniur. & intantum Labeonem audire oportet. Quandoque verò iniuria generaliter accipitur pro eo, quod non iure fit, vt in Scito Aquiliano. Hæc Paulli, & Vlpiani ſententia fuit.

Inſtitutionum locis quibuſdam ex Theophilo lux. Cap. XXI.

QVod Tribonian. in Procem. Inſtit *opus deſperatum* appellat, Theophilus dicit πρᾶγμα πάσης κρεῖττον ἐλπίδος: *opus* nempe *omni ſpe melius*, quod idem eſt: nec trahi velim ad aliquam ſpeciem prouerbialem, vt quidam ſentire videntur: niſi id potius, quod ſequitur, reſpexerunt: *quaſi per medium profundum euntes*, ὥσπερ διὰ μέσου βαδίζων (loquitur de Imperatore) πελάγους. Græci dicunt meliora ſpe, deſperata; & meliora voce, inenarrabilia, ſeu ineffabilia, & alia huiuſmodi. Quod ibidem Tribonianus dixit, *quod in ipſis rerum obtinet argumentis*. Theophilus vertit, ὅπερ δι' αὐτῆς τῶν πραγμάτων ἰσχύει τῆς πείρας: manifeſtò ad vſum fori, & ad experimenta hæc verba trahens. Quod etiam ille ſic protulit, *digni tanto honore, tantaque reperti felicitate*, Hic ita extulit: τοσαύτης

 ἀξιω-

ἀξιωθέντες τιμῆς, καὶ τοσαύτης ἀπολαύσαντες εὐτυχίας. Difficile exauditu viſum eſt, quod Tribonianus dixit, *tantaque reperti felicitate*. Itaque dixere quidam, Theophilum legiſſe, *referti*: idque probari ex voce, ἀπολαύσαντες. Viris doctiſſimis aſſentiri non poſſum. Nam ἀπολαύειν, potiri eſt. Gloſs. vett. ἀπολαύειν, *potiri, frui, perfrui*. Sic itaq; verba iſta ad helleniſmum referre poſſumus, ſed & alibi ἐνεργῶς vſurpatum hoc verbum. Paullus Diac. lib. 18. de Heraclio: Clamorem bellicum, & carmina, & iubilum, & impetum in alterutrum ſurgendi habere hos docebat: vt reperti in bellis nil mirarentur, ſed fidenter proficiſcerentur in hoſtem, niſi quis velit *repertos felicitate* dici pro *compertis felicitatis*: vt apud Tacit. Annal. 1. nullius flagitij compertum, illud tamen ſcitum eſt, quod viri græcè, latinèque doctiſſimi notarunt, verba hæc ita proferri poſſe: *Reperti digni tanto bonore, tantaque felicitate*, quamquam prior loquendi ratio frequentiùs ſe ſe nobis offert, vt in Nouell. 70. καὶ οὕτω τῆς ἐλευθερίας ἀπολαῦσαι, ὥστε μεγάλης αὐτοὺς ἠξιωμένους τιμῆς &c. Priſca etiam ſcriptura ex eodem aſſerenda apud Tribonian. in §. 1. quibus mod. re controu. obl. Ait: Mutui autem datio in ijs rebus conſiſtit, quæ pondere, numero, menſuraue conſiſtant: veluti, vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, vt accipientium fiant: & quandoque nobis non eædem res, ſed alię eiuſdem naturę, & qualitatis redduntur. Quo loco tentatum fuit, mutuum etiam conſiſtere, ſi res eædem reddantur: quod falſum, quidam hodieque, vt video, τελείαν τιγμὴν ponunt ante ea, *& quandoque*, incipientes nouam ſententiam, & priſcam lectionem peruertentes, ſubſtituenteſque *quoniam*, pro, *quandoque*: quod temerarium, credidiſſent rectiùs, verum eſſe quod annotatum fuit, *quandoque*, poni pro, *quandocunque*, vt ex compluribus Pandectarum locis conſtat, de hac huius vocis

nota-

otatione apud varios ſcriptores plura alibi congeſſi. Paaphraſtes quoque id probum eſſe oſtendit, quod illa ſic ertat: *& ſimpliciter vel numerando, vel metiendo, vel apendendo in hoc damus, vt fiant accipientis, non vt eadem es nobis reddantur, ſed alia eiuſdem naturæ, & qualitatis,* uod dixit Tribon. *& quandoque*, vertit ipſe vt puto, ἐπλῶς. Hæc eſt germana horum verborum expoſitio.

Compromiſſum, ſi diſſenſerint, tertium adſumant, *non valere, explicatus titulus Pandectarum, de recept. qui arbitr. Cap. XXII.*

PRæcipuus Canon in hoc tractatu eſt, vt Arbiter, poſt ſuſceptum arbiterium, officio ſuſcepto perfungatur, & ad id cogi poſſit. Igitur quæ hoc deſtruunt, minùs rata unt, non enim eſt ferendum, vt poſt nudata partium intina, & ſecreta negotij aperta, arbitro gratiæ dante, vel ſorlibus corrupto, inexplicata controuerſia maneat, & moræ ectantur, l. 2. de recept. Hinc pendet, quod dicitur, non alere compromiſſum, vt, ſi diſſenſerint, tertium adſunant. Nam in adſumendo, diſſentire poſſunt, ſi eludere oluerint; valet autem ſi in adſumendo diſſentire ion poſſunt, & quæ legitima ſunt, minimè deſiderentur eluti ſi compromiſſum, ſit, vt ſi diſſenſerint, tertius adſunerint, tertius adſumeretur Sempronius. Nam vtique unc diſſentire, & eludere non poſſunt. Impar itaque umerus hoc nomine potior eſſe creditur: vt tamen, & par dmittatur, quia, ne res ſine exitu futura ſit, ſi diſſenſerint Prætor partes ſuas interponere debet, vt tertium eligant, .17. item §. 3. & 4. eod. frequenter tamen videmus hodie lla etiam forma compromitti, & complures in illud im-

pin-

pingere, hoc in eo arbitrorum genere, quos arbitratores vulgò appellant, minùs obtinere, quidam opinantur. Sed an illo caſu compromiſſum omnino non valeat, quæſitum eſt, quidam enim crediderunt, non omnino non valere, Vlpianum voluiſſe, ſed quoad hoc modo, vt ſi diſſenſerint tertium adſumant, & vtique non dixit, *compromiſſum non valere*, ſed *tale compromiſſum*. Igitur ſi duo ſententiam dixerint, dicendum videtur, valere. Hæc ſententia antiqua eſt, vt oſtendit Accurſius, qui eam ſequitur, eamdemque comprobare viſus eſt Azo. Ego puto falſam eſſe cum ratio ab Vlpiano ibidem allata ſatis apertè declaret, compromiſſum omnino non valere, quia poſſent diſſentire in hoc non minùs, quam in eo, quod receperunt. Sunt & aliæ rationes, quas benè digeſſit Tyndarus Seuerinus lib. VII. de Arbitris: cuius Syntagma formis expreſſum non video. Sed ſumma ratio illa eſt, quia præcipuè hoc ſpectatur, ne poſſint eludere, vt diximus. Procliues homines ſumus ad diſſentiendum, & vt ait I. C. *facilitas ad diſſentiendum naturalis eſt*, hæc ratio eſt, cur impar numerus aptior habeatur, quia maior pars inuenietur. Sed longum videtur, vt in adſumendo tertio vſque diſſentiant, niſi perfidioſe velint eludere, vt exitus non inueniatur, cum par eſt numerus, ſi diſſentiant in ſententia proferenda, facilè credetur id inuiolata fide contingere, quòd ſi tertium eligere debeant, & diſſentiant, quaſi nemo vnus reperiatur, in quem conſentire poſſint, manifeſti erunt, in id diſſentire, ne exitus inueniatur. Ab æquitate verò abhorrere, credidit Prætor, vt in Arbitri ſit poteſtate, eos decipere, qui eum, quaſi virum bonum, diſceptatorem inter ſe elegerunt. Dixit Vlpianus, *quaſi*: vt puto. Arbitri finem ad ſimilitudinem iudicis reuocans, l. 1. de recept. is eſt nimirum arbiter, qui iudicis partes ſuſcepit, l. 13. §. recepiſſe. eod. & ſicuti dicimus iudicem, *virum bonum diſceptandæ rei cauſa datum*, ſic arbitrum dicemus, *virum bonum*

diſce-

Digitized by Google

liſceptatorem de receptis a partibus adſumptum , & ne quid
liſſimulem, hac deſcriptione non modò arbitrum oſtendi,
ed quædam etiam fortè adhuc obſcura declarari poſſunt.
Nam qui conceptus eſt Pandectarum titulus, *De receptis,
iui arbitrium receperunt, vt ſententiam dicant?* κοινη, ſeu vul-
;ata habet, *De receptis Arbitris*, hanc mittamus. Sunt
jui *Recepta* hic accipiant, vt ſint arbitrorum quaſi iudi-
andi pacta. Alij Receptum, ipſum compromiſſum ap-
ellari volunt, & titulum in complures articulos ſecernunt
nihi compertum eſt, ἀναστροφὴν hic latere, & vno ſpiritu hæc
mnia enunciari oportere. Igitur τάξον οὕτω: *Vt qui arbi-
rium receperunt, de receptis ſententiam dicant*. In hoc
Prætor edictum propoſuit, vt ſententia dicatur, ſed de re-
eptis modò, ideſt, non niſi de his, quæ compromiſſo con-
ineantur, & de quibus Arbiter aſſumptus ſententiam ſeſe
dicturum eſſe recepit. l. 32. non diſtinguemus §. quæſitum
od. *ut*, jubentis eſt, ſimilia ſunt, & ea: *Quod quiſque iuris
n alterum ſtatuerit, vt ipſe eodem iure vtatur. In ius vo-
ati vt eant, aut ſatis, vel cautum dent. Vt ſponſalitia
irgitas ſpecialis ſit contractus*, & alia ſexcenta in jure
oſtro, idemque legimus apud Pontifices, & in Synodis
aque gloſſematia quædam deleri poſſent, vt in c. 1. de
ff. Archipręsb. *Vt Archipræsbyter ſciat ſe ſubeſſe Archi-
iacono*: Gloſſema, *ſupple, ſtatuimus*. Cum enim ex
Concilio Toletano relatum ſit, ad Patres ipſos referen-
um eſſe, creditum eſt. Sed hæc ſunt Iſidori, cujus Epi-
tolam ad Ludifredum Cordubenſem Epiſcopum legimus
d fin. lib. 2. de offic. Eccleſ. quod etiamſi Patrum verba
ſſent, non eſt cur ita flecti debeant, ſed & alia ſimilia
loſſemata induci poſſunt.

Qui

Qui eſt apud hoſtes, hæres inſtitui poteſt. Co-hæres, Co-habere in l. 7. fam. erciſc. Cap. XXIII.

SVnt, qui conſtanter decernant, eum, qui ciuis Romanus non ſit, heredem inſtitui non poſse, quaſi cum eo hujus juris communio nulla ſit, ex Vlp. in fragm. tit. 22. Non eſt vndequaque verum: nam cum Latino Iuniano teſtamenti factio eſt. Idem Vlpian. tit. XI. & XX. Ratio apud eumdem tit. XIX. notata, quia ei commercium datum eſt; poteſt igitur familiam mancipare, vel emere, per imaginariam nempe venditionem, §. 1. de teſt. ordin. ideo hæres rectè inſtituitur, etſi non capiat, niſi intra cretionum dies, puta centum, ciuis Romanus fiat, ſi Latinus manſerit, non capiet. Cum quærimus, an extraneus hæres inſtitui poſſit, ad hoc maxime reſpiciendum eſt, nempe an cum eo ſit teſtamenti factio, §. 4. de hęr. qualit. & differ. Reſpiciunt etiam illud, ſibine, an alij acquirere poſſit, ſed incidunt in ambiguitates. Hac certe ratione qui apud hoſtes eſt, hæres inſtitui non poterit, quod nec hoſtibus, nec ſibi quærat qui ſeruus eſt hoſtium, l. 3. §. fin. de V. S. Sed dicemus ne, cum eo eſſe teſtamenti factionem, vt ſaltem capere poſſit? Id ſanè dicendum non eſt cum ſeruus eſt hoſtium quoniam vero pendet jus poſt-liminij, dicemus tacita conditione hæredem jure inſtitui, vt ſi ab hoſtibus euaſerit, hęres ſit. Id puto, Venulejum religioſè notare voluiſſe, dum in l. 7. ſi hæres, famil. erciſcund. hunc hæredem dicere noluit. Florentini Pandectæ hanc ſcripturam præferunt. *Si hæres vnus, cum ſub conditione adiectum cohæredem, aut apud hoſtes adiectum eo haberet, dixerit, ſe hæredem eſſe, & actione expertus vicerit, deinde condicio hæredis exſtiterit, vel poſtliminio redierit, an victoriæ commodum debeat*

Digitized by Google

beat cum eo communicari? Scripſit Venulejus, *cohaberet.* Cohęredem non dixit, quia nec erat, ſed cohæredem dicere voluit. Ita nec vſucapio dicitur, quæ legitimum tempus non habet, ſed dicitur poſſeſſio: nondum enim eſt vſucapio: quæ nimirum per continuationem definiti temporis dominij adjectione perficitur, l. 3. de vſuc. & hanc ego puto rationem eſſe, ob quam in libris noſtris vſucapionis nomen aliquando deſideratur, juris nempe Auctores, poſſeſſionem, quæ plenum tempus a lege definitum non haberet, vſucapionem dicere noluerunt, ex cujus rei ignoratione, niſi fallor, Interprætes quidam, *vſucapionem*, pro, *poſseſſione* in l. 19. denique, ex quibus cauſ. maior. ſubſtituendum eſſe crediderunt, ſed dicemus, *interruptam poſseſſionem*, quæ in vſucapionem exitura erat, & ita ferri poteſt illa πλοκη, qua dictum eſt, poſseſſionem ſine poſseſſione non conſiſtere, ſimile quiddam in l. 30. cum milles, cod. animaduertere licet, dum defuncti poſſeſſio dicitur non completa, ſed inchoata vſucapio, proprium eſt Iuris-Conſultorum, verborum proprietatem ſectari, quod cum maxime apud Papinianum intelligimus. Eadem ratione Venuleium, *cohæredem* dicere noluiſſe credo. Nunc plerique particulam illam expungunt, fortè nec verbum hoc inauditum ferre volent. Ego meam ſententiam protuli.

De vſucapione. M. Tullij locus obſcurus propoſitus. *Cap.* XXIV.

A Iure gentium abhorret, vt cuiquam inuito rei ſuæ dominium auferatur, l. 5. ex hoc jure, de iuſt. & jur. l. 13. venditor, commun. prædior. Duabus tamen rationibus vſucapionem defendimus, quæ ex iure ciuili deſcendit; nam bono publico introducta fuit, ne dominia rerum diu, & ferè ſemper in incerto eſſent, l. 1. de vſuc. quod re-

ferendum eſt ad illud, quod M. Tull. ſcribit 3. de ll. *Salus populi ſuprema lex eſto*, ita contra litium immortalitatem itum eſt, l. fin. pro ſoc. Qui non inuigilauerit, ſibi imputet, non eſt ferendum, vt per ſocordiam, & oſcitantiam illius, qui rebus ſuis indormitauerit, digladiationes, & iurgia in Republica alantur. Sed & reſponderi poteſt, peccari largiter in eo, quod dominum inuitum prolixè facimus, potiùs patientia quædam intercedit, l. 6. qui in aliena, de acquſit. her. Hinc illa: Alienationis verbum, etiam vſucapionem continet. vix eſt enim, vt non videatur alienare qui patitur vſucapi, eum quoque alienare dicitur, qui non vtendo amiſit ſeruitutem l. 28. de V. S. Igitur æquitatis quoque ratio hic habetur. M. Tull. in Topic. Quod in re pari valet, valeat & in hac, quæ par eſt. At in lege ædes non appellantur, & ſunt cæterarum omnium, quarum annuus eſt vſus, valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Sed quid illa ſignificant, & ſunt cæterarum omnium? Boetius obſcuritatem ſenſit, & explicare voluit, fortè vix explicat. Ait: Aequitas enim paribus in cauſſis paria iura deſiderat. Quæ etiam maxima propoſitio a Tullio clariſſime expoſita eſt, ſed exemplum reſtrictius dictum eſt, nec promptiſſimè ad intelligendum. Ita namque ait, vt quoniam vſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. Hic igitur ædium vſus auctoritate biennio fieri ſentit, ſed adijcit: At in lege ædes non appellantur, & ſic ſunt cęterorum omnium, quorum annuus eſt vſus. Hic rurſus ædes in bis videtur ponere, quæ annuo vſu capiuntur, & concludit nihil definiens, niſi valeat æquitas, quæ paribus in cauſſis paria iura deſiderat. Sed videtur ita dictum. Quoniam immobiles ſunt ædes, ut fundus, biennio verò fundus vſucapitur, Aedes quoque biennio uſucapientur, & ſibi ipſe rurſus opponit: ſed in lege XII. tabular. de ædibus nihil adſcriptum eſt, & inter eas relictæ ſunt res taciturnitate legis, quarum uſus eſt annuus.

Nam

Nam cum de fundo præſcriberet lex biennij uſucapionem tacuit ædes, & his potius hac taciturnitate eas iunxit, quarum annuus eſt vſus. Sed ſoluit obiectionem, ita ſcilicet: Aequitas paribus in rebus paria iura deſiderat. Itaque quoniam, æque fundus atque ædes immobiles ſunt, æque biennio vſucapientur. Hæc eſt Boetij explicatio, vt mihi videtur, ſuſpenſa, & vix emergens: eam tamen retuli libenter, quod malè in editis libris diſtincta ſit, & quod ex ea conſtet M. Tullium ſcripſiſſe, *Quoniam vſus auctoritas fundi bienniũ eſt*, nõ *biennis* vt quidã ex I. C. noſtris emendandum eſſe voluit. Ego ſemper credidi priora potius verba apud M. Tulliũ corrupta eſſe, & leuiſſima mutatione reſtitui poſſe, ſi legamus: *At in lege ædes non appellantur, & ſunt citra rerum nomina, quarum annuus eſt vſus*. Nam puto id M. Tullium velle: Videbatur, Aedes nullo pacto vſucapi poſſe, tum ex eo, quod in lege nulla ædium mentio facta fuiſſet, nec vſucapionis cauſa ad conſequentias trahi debere videatur, l. 141. quod contra, de reg. iur. l. 14. & 15. de ll. tum etiam ex hoc dilemmate nam aut Aedes nomine immobilium contineri dicimus, & fruſtra eſt, quia lex fundi tantùm meminit: aut dicimus appellatione mobilium, ædes quoque cenſeri poſſe; & eſt abſurdum, cum ſint citra nomina rerum omnium mobilium, quarum annuus eſt vſus, vt eſt manifeſtum, igitur nullo pacto ædes contineri dici poteſt. Sed quod priori loco obijcitur, diluere licet: *Nam, vt ait Pedius, quoties lege aliquid unum aut alterũ introductũ eſt, bona occaſio eſt cetera, quæ tendunt ad eamdẽ vtilitatẽ vel interpretatione vel certe iuris-dictione ſuppleri* l. 13. de ll. Diximus verò, vſucapionem receptam eſſe ob publicam vtilitatem. Quod item poſteriori loco obijciebatur, diluit M. Tullius, ratione ſumpta ab æquitate, quæ in paribus cauſſis paria iura deſiderat, l. vlt. C. ad l. Falc. Confirmat I. C. *fundi appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur, ſed in vſu, vrbana ædificia, ædes*

ruſtica, villa dicuntur, l.211.fundi, l.115.quæſtio, de V. S. Idem & M.Tullius pro Cæcinna: *lex vſum, & auctoritatem fundi iubet eſse biennium, at vtimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur*. Gloſs. vett. *Citra*, Διχα, Χωρὶς, Εκτὸς.

Propoſita Taciti verba ad ius noſtrum pertinentia, & enarrata. Cap. XXV.

AGitata eſt quæſtio apud Tacitum Annali 14. quæ propriè ad ius noſtrum pertinet, eam hoc altero capite explicare placuit in gratiam Politici Scriptoris, & Hiſtorici Principis. Cyrenenſes reum agebant Acilium Strabonem Prætoria poteſtate vſum, & Diſceptatorem miſſum à Claudio agrorum, quos Regis Apionis quondam habitos, & Populo Romano cum regno relictos, proximus quiſque poſſeſſor inuaſerant, diutinaque licentia, & iniuria, quaſi iure, & æquo nitebantur. Igitur abiudicatis agris, orta aduerſus iudicem inuidia, & Senatus ignota ſibi eſſe mandata Claudij, & conſulendum Principem reſpondit. Princeps nec probata Strabonis ſententia, ſe nihilominus ſubuenire ſocijs, & vſurpata concedere ſcripſit.

Dicit, *reum*, qua verò ratione Cyrenenſes reum Strabonem agebant? fortè id moliebantur, quaſi iudex litem ſuam feciſſet, hæc intentio. Nam, vt ſcribit Vlpianus in l. 15. filius-familias, de iudic. *iudex tunc litem ſuam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudē legis ſententiam dixerit*

Dicit Tacitus, *agebant*, propriè dicit, nam actor reum agere dicitur, fluxit ab antiquiſſimo ritu vocandi in ius. Adigebant ſi quidem, impellebant, cogebant, rapiebant reos. Horat.

--- rapit in ius, clamor vtrinque
Vndique concurſus: ——

conſtat

conſtat ex verbis ll. XII. tabular. quæ refert, & Caius in l. 233. ſi caluitur, de V. S. Dictum etiam *ſatis-ago* eodem ſenſu, pro *ſatago*, vt dixit Lucifer lib. 2. pro Athanaſio: *Si te hæretico ſatis-agente damnarem innocentem, tecum eſſem futurus in gehennam*. Alijs etiam vſurpata vox. Tertullianus alia notatione ad vxorem lib. 1. *Nam ſæcularibus ſatis-agentes ſumus, & vtrique noſtrum conſultum volumus*, n Gloſſis, *Satagit*, Ἀγωνιᾷ. Sed, vt ad priorem redeam, Actiones quoque in iure noſtro indè dictæ, vt alibi dico.

Dicit, *Acilium Strabonem*, ideſt priuatum iudicem. Nam iudices aut priuati ſunt, aut Magiſtratus. Priuati à Magiſtratibus deligebantur ad diſceptandum, qualem ſe uiſſe ſcribit Gellius, vel vt alij malunt, Agellius, lib. 14. 2. & dicuntur ſpeciales, delegati, arbitri, l. 15. à D. Pio, le re iudic. & ijdem pedanei, quod Tribunal non habe-ent. Gloſs. vett. Χαμαιδικαστής, *Pedaneus iudex, Arbiter*, le his eſt Nouell. 82. de iudicibus. Hi nec abſoluere, nec ondemnare poterant niſi permiſſu Prætoris: adeoque non udicabant, niſi quatenus Prætor iudicium dediſſet, & pro a conceptione verborum, in quæ iudices dati eſſent, quod ertinet ad Acilium, ſequitur in Tacito.

Prætoria poteſtate vſum, a Principe data, vel aſſumpta? n ambiguo videtur: nam ignota mandata Principis mox icuntur, ſed ſiue conceſſa, ſiue aſſumpta, ea Strabo vſus ſt, vt omnino iuriſdictionem habuiſſe videretur, adeoque gros abiudicare potuiſſe, quatenus non modo diſceptator, t iudex miſſus fuerat, ſed etiam veluti Magiſtratus, ut qui rætoria quoque poteſtate uſus eſſet. De Prætoribus ex-oſita quædam à Iuſtiniano Nouella XIII. Iudex notionem abet, non iuriſdictionem: licet notio, & pro iuriſdictione imatur, l. 99. de V. S. ideoque Vlpianus in l. 5. ait Prætor, ere iudic. Prætorem repræhendit, quod iuriſdictionem le dixerit judicis, iuriſdictionem habet Magiſtratus, qui ius dicit, notionem tantùm iudex datus, ſed & Prætor uandoque cognoſcit.

Ait

Ait, *& diſceptatorem à Claudio miſſum*: reſpiciens ad iudicis officium. Nam iudex dicitur *vir bonus diſceptandæ rei cauſa a Magiſtratu partibus datus*. Apud Varr. lib. 5. de l. l. *Iudex quod ius dicat, accepta poteſtate*, illud propriè, *accepta poteſtate*, cetera minus propriè. Eſt tamen diſceptandi verbum πολύσημον. Cic. lib. 3. de ll. *Prætor iuris ciuilis diſceptator eſto*. Apul. lib. 4. Florid. *Et qui penès extrarios ſæpenumero promptiſſimè diſceptaui, idem nunc penes meos hæſito*. Gloſſæ: *Diſceptatio*: διάγνωσις, διάσκεψις, διαδικασία, διάλεξις, διαίτησις Heliodor. autē lib. 10. finem Iudicis ſic eleganter expreſſit δικαστὴν γὰρ ὁρίζομεν γνήσιον τὸν τῶν δικαίων συνήγορον, id *germanũ enim iudicẽ definimus, iuſti patronum.*

Sed Diſceptator Strabo cuiuſnam rei? Inquit Cornelius, *agrorum, quos Regis Apionis quondam habitos, &c.* Hinc diſcimus qua nam ratione cauſam Cyrenenſes inſtruerent. Ideo enim ſententia Strabonis ſtare nolebant, quod tempore niterentur, & quidem longiſſimo, ideo dictum, *quondam*, quot verò annorum? Supra C. L. ſi putentur anni a Conſulatu C. Cœlij, & L. Domitij, qui incidit in annum A. V. C. DC. LX. quo ex humanis exceſſit Rex Apion, ad Conſulatum Vipſanij, qui incidit in annum V. C. DCCC. XII. Igitur quaſi Strabo per iniuriam iudicaſſet, quod ſecundum Populum Romanum contra diutinam, & longiſſimi temporis poſſeſſionem dediſſet, reum iudicem agebant.

Sequitur: *& populo Romano cum Regno relictos*. Diſtinguit Tacitus hoc ab illis: nam licet Regnum quoque Regis ſit, quædam tamen Principis propria propriè dicuntur, & appellantur res priuatæ, aut res dominicæ, vt conſtat ex tit. 66. & 67. lib. x i. Codic. Iuſtinian. Apud Petrum Diacon. de not. R. P I. *Rei priuatæ*, ſic & apud Magnonem in notis iuris, R. Pr. *Rei priuatæ*. Differt tamen patrimonium priuatum a patrimonio ſacro, & hæc a largitionibus, & vt ſemel dicam, Res, ſeu ſubſtantia Principa-

lis

s triplex, Largitiones, Res priuatæ, Res patrimoniales, e quibus in tit. 32. 33. & 34. lib. 1. Codic. Quod verò dici olet, omnia Principis eſſe, Cuiacius explicat ex l. 3. C. de uadr. præſcr. vt intelligamus omnia, ideſt tam fiſcalia, uam patrimonialia: nam priuatorum res in imperio Prinipis potius eſſe dicemus. Denique fiſcalia ad Principis hæedes non tranſeunt, vt patrimonialia; quod probari puant, etiamſi hæres non ſuccedat in Imperio, ex l. 56. de egat. 2. rem potius credam, quam argumentum. Dicitur utem tam Comes largitionum, quam Comes priuataum curaſſe theſauros, ſed diuerſimode, ſanè quod dicitur n l. 3. C. vbi Senat. vel Clariſs. ciuilit. *cuius ſacros numinis heſauros, aut res priuatas noſtræ pietatis, vel Sereniſſimæ Auguſtæ noſtræ coniugis gubernandas iniunxit*, ad vtrumjue Comitem pertinet, ideſt tam largitionum, quam rei riuatæ: nam theſaurorum principalium cura ad Comitem argitionum refertur, ita theſauros nunc accipiemus. Caſiodorus autem lib. 6. formul. IIX. hæc de Comite priuataum ſcribit: *Depoſitiuæ quoque pecuniæ, quæ longa vetuſtae competentes dominos amiſerunt, inquiſitione tua noſtris pplicantur ærarijs.* ex quibus diſcimus, theſauros reperos, eorumque curam ad Comitem priuatarum pertinuiſſe Hinc puto, in græca conſtitutione relata in tit. l. 33. lib. 1. Codic. vetitum eſſe, ne Comes priuatarum delatorem ſuer theſauro admittat. verba conſtitutionis: Μήτε ὁ Κόμης ῆς ἰδικῆς περιουσίας, μήτε τις ἕτερος τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἢ αῖς ἐπαρχίαις ἀρχόντων, τὸν τοῦ θησαυροῦ καταμηνύοντα προσδεέσθω. De vtroque Comite plura in Notitia.

Ait Tacitus: *proximus quiſque poſſeſſor inuaſerant*, magni ſiquidem, & plurimi refert, vicinum probum habere. Themiſtocles agrum venditurus, vicinum habere probum, præconem ploclamare iuſſit. Similia cecinit Heſiodus, t notatum eſt ab alijs ad l. fin. C. de pact. inter empt. & vendit.

Subdit:

Digitized by Google

Subdit: *diutinaque licentia*, dicitur & mos, & vſus, & licentia vetus, & longum dominium, l. 4. C. de aquæduct. lib. XI. ſimile videtur quod ab Hygeno de limit. conſt. dicitur, *Vetuſtas longi temporis*. Dominium verò longum accipiemus pro longa poſſeſſione, quia dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpiſſe Nerua filius dixit, l. 1. de acq. poſſ. at vſucapio ſine poſſeſſione non conſiſtit, l. 25. ſine de vſuc.

Rurſus ait: *& iniuria* nam iniuria dicitur omne, quod non iure fit; l. 1. de iniur. eſt itaque hoc veluti Taciti præiudicium, quod dicat, Cyrenenſes per injuriam agros illos retinuiſſe, dum etiam inuaſiſſe dixit, vt prædones notauit. Si tamen propoſito, vt fit, aliquo ingenti honorario, aliquem ex neotericis Pragmaticis aduocaſſent, fortè negotium Straboni feciſſent, nec ita facilè Tacitus eos notaſſet, quin & Princeps manifeſto ſecundum eos dediſſet. Nam, etſi non conſtet inter omnes, quænam præſcriptio immemorabilis dici debeat, quod quidam centenis annis eam concludi velint, quidam plures requirant, alij pauciores: ex eo tamen abundè, vt diximus, Cyrenenſium cauſam patroni inſtruere poterant, quod C.L. annis niterentur. Quod ad ius pertinet, licet Pontifices negare videantur, dominij adiectionem ſine bona fide ſtare poſſe, plures tamen opinantur, in hac præſcriptione minimè requiri. Hoc igitur pro Cyrenenſibus allegaſſent. Nec turbaſſet eos inuoluta illa quæſtio, an ſcientia requiratur illius, contra quem præſcribitur, & in hac ſpecie defendiſſent, ſatis fuiſſe, reciſſe Magiſtratus, aut Actores Pop. Romani. Nec prætermiſiſſent, dominium per id temporis acquiri, inſuper & cauſam, quam titulum vocamus: & alia adeo multa addidiſſent, vt putem Strabonem in magnum diſcrimen adduci potuiſſe.

Quod ait, *quaſi iure, & æquo nitebantur*: ſi propriè rem acceperis, ius æquum hic locum non habet, etiam ſemota

licentia,

licentia, & iniuria; nam in hac parte pugnat jus ciuile cum naturali æquitate, defenditur tamen, vt diximus, & eſt æquitas quædam ciuilis.

Hinc ſequitur: *& Senatus ignota ſibi eſſe mandata Claudij, &c.* Mandata a Principe dabantur non modò Præſidibus, de quibus in Nouell. 17. & 25. ac in alijs, & in l. 6. ſolent, §. vlt. de offic. Proc. ſed etiam his, qui extra ordinem in Prouincias mittebantur, veluti militibus Conſiſtorianis, aut Tribunis, vel Notarijs, l. 1. C. de mand. Princip. Mandatis verò, & poteſtatis, & iuriſdictionis modus certus continebatur, vt inde penderet auctoritas omnis, & facultas eorum, qui mitterentur. Prudenter igitur Senatus ac rite, rectèque fecit, qui hanc cauſam, & cognitionem a ſe ad Principem ablegauit, cum enim mandata ſibi ignota eſſent, cognoſcere non poterat, quænam partes Acilij fuerint. Interprætes apud Tertullian. in Apologetic. non videntur benè confundere edicta cum Mandatis Principum. θεολογήματα non ſunt ſatis: gnauiter verſaſſe oportet ſcripta Iuris-Conſultorum, qui omnia in Tertulliano aſſequi velit.

Ait igitur: *Princeps nec probata Strabonis ſententia.* Nam videbatur ita pronunciandum, vel bene, vel male iudicatum. Vult verò Tacitus, niſi fallor, Principem nec probaſſe ſententiam, nec improbaſſe, vt tamen dinoſceretur, non improbaſſe, potiùs ideo id tantum dixit, *nec probata.*

Se nihilominus ſubuenire ſocijs: indulgentiam enim Reſcripti verba præ-ſe ferunt. Ideoque dictum

& vſurpata concedere ſcripſit, inquit I. C. *Vſurpatio eſt vſucapionis interruptio. Oratores autem vſurpationem frequentem vſum vocant*, l. 2. de vſuc. in iure quoque hoc pacto vſurpationis vox flectitur, l. 6. de aquæduct. C. lib. XI.

Hæc ego ita ferme Auditoribus meis quandoque expli-

cabam, cum de vſucapionibus, & præſcriptionibus diſſerebam.

De Lege Hoſtilia. Cap. XXIV.

EX eo, quod in Faſtis reperiatur A. Hoſtilius Mancinus Conſul anno II. belli Perſici, dicere Hoſtiliam ab eo latam eſſe, nimis infirmum eſt argumentum. Quid, ſi dicamus, Hoſtiliam ab hoſte appellatam fuiſſe? Scio, Romanas leges ab his, qui eas rogaſſent, ferme nomen ſumpſiſſe: ſed nemo, vt puto, pernegauerit, hoc nomen Tribonianum ei tribuere potuiſſe, vt hoſtilem diceret, quæ de hoſtilibus præcipuè lata eſſet, nam hac lege permiſſum erat furti agere eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reipublicæ cauſa abeſſent; & in §. præterea, de his, per quos ager, poſſum, complures antiqui Codices, vt video, ſcriptum præferunt, *lege Hoſtili*, non, *lege Hoſtilia*. Quin, ſiue Hoſtilem, ſiue Hoſtiliam dixeris, vtro modo volueris, ad hoſtem referes. Sicuti etiam dicimus *iniuriam*, *quaſi non iuriam*, l. 1. de iniur. & ex Næuio, *iniurie*, pro, *inuriose*, retulit Nonius. Apud eumdem: *ſingularia*, *pro ſingulari*, *Turpil. Demetrio*: *Homo vnica eſt natura, & ſingularia*. Sic etiam *ſingularia littera* apud Gellium, lib. XVII. c. 9. & *vulgaria interpretatio*, lib. XIII. cap. 23. & *Venus vulgaria* Apuleio in Apologia, quam Plato πάνδημον appellat in Sympoſio. Ita *coloria*, & *verſicoloria veſtis* in l. 32. pediculis, de aur. arg. mund. & in l. 70. ſi cui lana, §. verſicoloribus, de legat. 3. Gloſs. vett. *verſicoloria*, ποικιλόχροα. *Multicoloria*, apud Gell. lib. XI. c. 16. Apud Vopiſcum quidam *colorias*, alij *coloreas* legunt, quæ à veſtibus verſicolorijs diſtinctæ, & quibus vtebantur qui aliquid publica auctoritate facerent, ex Codic. Theodoſ. tit. de hab. quo intr. vrb. vti oport. Auguſtus in teſtamento *co-*

loreas dixit: *Gauſapes, lodices, purpureas, & coloreas meas.* Chariſ. lib. I. Apud Ezechiel. c. 16. quo loco ex Hebraic. legitur: *& ſumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa hinc-inde conſuta: & fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum, neque futurum eſt*: LXX. referunt: *Et tuliſti de veſtibus tuis, & feciſti tibi Idola conſuta: & fornicata es ſuper eis, & non ingredieris, neque fiet.* Quæ Symmachus ita reddidit: *Cum tuliſſes de veſtibus tuis, feciſti tibi excelſa multicoloria, & fornicata es in eis, non facta, neque futura.* Pro quibus, Aquila, & Theodotio [illegible] reddunt, quam vocem Hieronym. ſignificare dicit *diuerſos pannos hinc-inde conſutos, & inſtar emplaſtri factum Idolum quaſi* [illegible] *veſtimentum*, puto his ſimilia quæ à noſtris muliercululis conſinguntur Idola monſtrifica, aut humanam figuram imitantia. Gloſſograph. Latino-græc. *Puppa*, Πλαγγόνες, Αἱ τ͂ παιδίων νύμφαι. Eadem forma *vniuiria* dicta vnius viri vxor. Romæ Lapis: VOLVSIÆ. IVSTÆ MATRI.....SIMÆ. OMNIVM. FEMINAR ...TIORI. VNIVIRIÆ, quæ *vniuira* dicitur Tertulliano, exhortatione ad caſtitatem, ſunt ſimilia complura. Quod ſi quis putet, hanc legem eſſe de Hoſtilio Mancino latam, l. vlt. de legat. quæ Accurſio impoſuit, quod Hoſtilium Legatos Numantinos violaſſe crediderit, defendi quidem poſſet contra lectionem, quam manu exaratos libros præferre diximus: Nam dicere licet, *lege Hoſtili*, pro, *lege Hoſtilij*, in gignendi caſu ſcriptum fuiſſe: Sed ego tamen adhuc obſcurum eſſe cenſeo, quomodo ad hæc pertinere poſſit, cum ea Hoſtilij lex priua fuerit, non generalis. Niſi diuinamus, aliquod præterea generale iuſſum eadem lege conceptum fuiſſe, de quo fateor, mihi non liquere.

De Caninia. φανερῶς *apud Theophilum, In circulo manumittere apud Caium.* *Cap. XXVII.*

NOn ſic obſcura originatio Caniniæ, ſicut Hoſtiliæ Legis eſt, propter nominum duplex argumentum. Nam dicunt, rogaſse illam P. Furium Camillum, & C. Caninium Gallum conſules A. V. C. DCC. LII. licet alij ad alium referant & annum, & Conſulem. Hinc *Fuſia* dicitur, & *Furia* tam à Græcis, quam à Latinis: Nam antiqui *Fuſium*, & *Valeſium*, pro, *Furio*, *& Valerio* dicebant. Appius Claudius R, litteram inueniſse dicitur, vt ſcribit Pompon. in l. 2. §. iuris ciuilis ſcientiam, de orig. iur. Accurſij ſane quam faceta, & vrbana eſt originatio, qui eam à Cane quodam dici vult, temporibus ignoſcendum eſt. Hæc vulgo quoque nota ſunt. Sed ego Theophilum Caniniæ vim, aut quod ad Caniniam pertinere poſſit, vna voce exprimere voluiſse ſuſpicor, dum ſcribit: ὁ Φούριος Κανίνιος, ὃς φανερῶς ἐλευθερῶσαι ἐβούλετο ἐν διαθήκῃ. Nam vetitum fuit, teſtamento confusè libertates ſeruis præſtari, nominatim tantummodo permiſsum, idque vſque ad certum numerum. Vlp. in fragm. tit. 1. in fin. Confusè libertates præſtabat qui καθολικῶς omnes ſeruos ſuos ſe ſe manumittere dicebat, vt qui prior, qui poſterior nominatus eſſet, dinoſci nequiret, φανερῶς igitur, ideſt diſtinctè teſtatorem manumittere oportuit, denique nominatim, §. libertas de legat. l. 24. nominatim, de manumiſs. teſt. Interpræs apud Theophilum eam vocem aliter expreſſit. Manumiſſione verò in circulo adſcripta nemini libertatem valere ſcribit Caius lib. 1. Inſt. tit. 2. l. 42. qui ſoluendo, de hær. inſtit. ſed ſi ordo ſcripturæ obſeruari poſſit, quod contingit cum nominatim manumiſſi fuerint, priori loco nominati

minati vſque ad legitimum numerum liberi erunt: de quo idem Caius, & Paullus lib. 4. ſent. tit. vlt. quod obſeruatur etiam in l. Aelia Sentia, l. 83. ſi non lex, §. 1. l. 60. qui ſoluendo, de hær. inſt. In circulo, quod Caius dixit, referunt ad ſcribendi rationem in orbe, aut materia tereti. Adeo nempe differentiarum expers eſt quod ſphæricum, vel circulare ſit, vt circumpoſita ſphæra, illa ipſa, quæ habuerint, habere minimè videantur, διὰ τὴν ὁμοιότητα τ͂ σχήματος. id. *propter figura* (quam in partibus habet) *similitudinem*, vt ſcribit Ariſtoteles. Sed mihi compertum eſt, neminem ex Interpræribus noſtris, quos ego quidem viderim, aſſecutum eſſe, quid apud Caium ſignificet, *in circulo manumittere*. Vnus præcipuus æui noſtri Criticus rem acu tetigit, nam veriſſimè dicit, apud Græcos, κύκλῳ ποιεῖν id ſignificare, quod dicimus καθολικῶς: vt & Medici dicunt, κύκλῳ θεραπεύειν, cum in curatione nihil omittunt. Id ipſum apud Grecos iuris Interpræres eum præſtitiſſe dicere poſsumus, qui ex re ipſa nomen inuenit, & appellatus eſt τὸ πλάτος: legum enim verba diligenter expreſſit, nec quidquam omiſit. *In circulo* igitur *manumittere*, apud Caium ſignificat, in vniuerſum omnes nullo nominatim appellato, libertate donare.

Explicatum ἐναντιοφανὲς *inter l. 23. §. pactus ne peteret, & l. fin. de pact. Cap. XXVIII.*

SI quid video, longè alia eſt ſententia Furij Anthiani in l. fin. de pact. quam adhuc Interpræres noſtri crediderint. Scribit Furius: Si reus poſtquam pactus ſit à ſe non peti pecuniam, ideoque cœpit id pactum fideiuſsori, quoque prodeſse, pactus ſit, vt à ſe peti liceat, An vtilitas prioris pacti ſublata ſit fideiuſsori, quæſitum eſt, ſed verius eſt, ſemel adquiſitam fideiuſsori pacti exceptionem, vlterius

rius

rius ei inuito extorqueri non poſse. Hæc pugnare videntur cum his, quæ Paullus ſcribit in l. 27. ſi vnus ex argentarijs, §. pactus ne peteret, eodem. Pactus ne peteret, poſtea conuenit vt peteret, prius pactum per poſterius elidetur: non quidem ipſo iure, ſicut tollitur ſtipulatio per ſtipulationem, ſi hoc actum eſt: quia in ſtipulationibus ius continetur, in pactis factum verſatur, & ideo replicatione exceptio elidetur, eadem ratione contingit, ne fideiuſsoribus prius pactum proſit. Ego puto, Furium hoc velle: Reus pactus eſt, pecuniam non peti à ſe, id eſt à nemine alio præter ſe, vel poſt ſe, ſic proſpexit hæredi, fideiuſsori, igitur ſtatim addidit, *ideoque cœpit id pactum fideiuſſori quoque prodeſſe*: ſtatim nempe fideiuſsori prodeſse cœpit. Mox pactus eſt, vt etiam à ſe peti liceret, nempe non modo à ſe reo, ſed & ab alijs. Quæſitum eſt, An exceptio prioris pacti ita per poſterius obliteretur, vt nec fideiuſsor ea vti poſſit. Nam quod ex pacto rei, exceptio fideiuſsori prodeſse poſſit, receptum eſt, d. l. 27. §. 1. Furius putat, inuito fideiuſsori exceptionem iam vlteriùs extorqueri non poſse. Dices id ipſum contingere in eo, quod Paullus tractat: ſiquidem per prius pactum ne peteret, quæſita eſt exceptio fideiuſsori, vt iam inuito per aliud pactum extorqueri non debeat. Sed hæc inter ſe diſtant, cum quis pactus eſt ne peteret, ſibi quærit reus, fideiuſsori non aliter, quàm per ſe ipſum: ideoque illud ab antiquis I. C. proponebatur, *fideiuſſori eam demum competere exceptionem, qua & reo*. Non acquiritur fideiuſsori exceptio per reum, quia per liberam perſonam acquireretur, quòd ſi pactus, ſit reus, ne à fideiuſsore petatur, exceptio fideiuſsori prodeſt, quia ipſi reo hac ratione conſuli conſtat, ita ferendum eſt, ſi dicatur, exceptionem fideiuſsori quæſitam eſse cum reus ſine perſona ſua pepigit, extra hunc caſum, cum quæritur, an exceptio fideiuſsori prodeſse poſſit, videndum eſt in primis, an exceptionem reus habeat:

beat: nam per hunc habet; & fideiuſsor, vt acceſsoriè. Furius non ſibi, ſed alijs reum proſpexiſse vult, ideo dixit, exceptionem fideiuſsori acquiſitam, ideo ei inuito vlteriùs extorqueri non poſse. Videamus quæſo, an in tanta ſententiarum varietate hæc ita demum recipi poſſint.

Ἄκρατον. Ἀποτέλεσμα. *Explicata l. 5. de V. S. Semel Vitruuius, bis reſtitutus Ambroſius Cap. XXIX.*

SCribit Paullus: *OPERE LOCATO, CONDVCTO, His verbis Labeo ſignificari ait id opus, quod Græci* ἀποτέλεσμα *vocant, non* ἔργον, *id eſt, ex opere facto corpus aliquod perfectum*, l. 5. de V.S. Hoc Labeo vult, non inchoatum aliquod opus accipiendum eſſe, ſed quod ad ſummam perfectionis manum ſit perductum, vt eſt in veteri lapide. Itaque olim opus probabatur, & in lege locationis compræhendebatur etiam cuius arbitratu probandum eſſet, l. 24. ſi in lege D. locat. Placuit exemplum antiquæ legis prolixius adſcribere, pulcherrimum antiquitatis monumentum ex veteri inſcriptione: Ab Colonia, deducta. Anno XC. N. Fufidio N.F.M. Pullio. Duouir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Coſ. Operum. Lex. II. Lex Parieti faciundo in Area quæ eſt ante. Aedem. Serapi. trans. Viam. qui redemerit. Prædes dato. prædiaq; ſubſignato Duumuirum. Arbitratu In Area trans. Viam Paries. qui eſt. propter. Viam. in. eo. Pariete. medio. oſtiei. lumen. aperito. Latum. p. vI. Altum p. vII. Facito, ex eo Pariete Antas. duas. ad. Mare. vorſum. proicito. longas. P. II. Craſſas p. I. - - Inſuper id. Limen. Robuſtum. Long. p. VIII. Latum P. I - - Altum p. S - - inponito. inſuper. id. &. Antas. Mutulos. Robuſtos. II. Craſſos. S - - Altos p. I. proicito. extra. pariete. in. vtramque. partem. p. III. inſuper. ſimas. pictas. ferro. offi-

offigito.inſuper.Mutulos Trabiculas.Abiegnieas. II. Craſſas. quoque.verſus inponito. Ferroque.figito. inaſſerato. aſſeribus.abiegnieis.ſectilibus.craſſeis. quoque.verſus- diſponito. ne.plus.S - - Operculaque.abiegn. a.inponito ex. tigno.pedario.facito.ante.Pagmenta. abiegnea.lata. S -- Craſſa. cumatiumque. inponito. ferroque. plano. figito. portulaque. tegito. tegularum Ordinibus.ſeneis. quoque. verſus.tegulas.prImores omnes.III.ante.Pagmento.ferro. figito.Marginemque. inponito. eiſdem. fores.clatratas.II. cum poſtibus.eſcul nieis. facito. ſtatuito. occludito. piccatoque.ita.vtei.ad.Aedem.Honorus.facta.ſunt.eiſdem.Maceria.extrema. paries.qui.eſt.cum. parietem. cum.margine altum.facito. p.X.Eiſdem.oſtium introitu. in. Area. quod. nunc.eſt.&.Feneſtras.quæ.in.pariete.propter.Aream ſunt. Parietem.obſtruito.&.parieti.qui.nunc.eſt.propter. Viam. Marginem.perpetuom. imponito. eoſque. Parietes. Margineſque.omnes. quæ. lita.non.erunt.calce.harenato. lita. politaque. &.calce.vda. dealbata.recte.facito. quod. opus. ſtructile. fIet. in. terra. calcis.reſtinctai.partem. quartam. indito.ni.ve.maiorem. cæmenta. ſtruito. quam. quæ.cæmenta. arida. pendat. p.XV.ni. ve. angolaria. altiorem. facito.Locumque.purum.pro.eo.opere.reddito. EIdem. ſacella. Aras.ſignaque. quæ.in.campo.ſunt.quæ.demonſtrata.erunt.ea.omnia.tollito.deferto.componito.ſtatuitoque.vbei.locus.demonſtratus.erit. Duumuirum.Arbitratu. hoc.opus.omne.facito. Arbitratu. Duouir.&.Duouiratium.qui.in.Conſilio. eſſe.ſolent.Puteoleis.dum.ni.minus. viginti.adſient. cum.ea.res. conſuletur. Quod.eorum.viginti.iurati. probauerint. probum. eſto. Quod.ieis.inprobarint.inprobum.eſto. Dies. operis. K.Nouembr. primeis. dies.pequn. pars. dimidia.dabitur. vbei.prædia ſatis. ſubſignata.erunt. Altera. pars. dimidia. ſoluetur. opere. efecto. probatoque. C.Bloſſius. Q.F.H-S. ∞. D. Idemque.præs. Q. Fuficius. Q.F. Cn. Tetteius.Q.F.C. Cranius. C.F.Ti.

Craſſi-

Digitized by Google

Craſſicius. *Vitruv. lib.* I. *c.* I. Item aquarum ductiones, & cętera, quæ eiuſmodi ſunt, nota oportet ſint Architectis, vti ante caueant, quam inſtituant ædificia: ne controuerſiæ factis operibus, patribus-familiarum relinquantur, & vt legibus ſcribendis prudentia caueri poſſit & locatori, & conductori. Idem de probationibus ita ſcribit extremo lib. 6. Itaque omnium operum probationes tripertito conſiderantur, id eſt fabrili ſubtilitate, magnificentia, & diſpoſitione, cum magnificenter opus perfectum adſpicietur, ab omni poteſtate impenſæ laudabuntur: cum ſubtiliter, officinatoris probabitur exactio: cum vero venuſtate, proportionibus, & ſymmetrijs habuerit auctoritatem, tunc fuerit gloria Architecti: obiter monebo, in antiquo Codice ita ſcriptum eſſe: *cum magnificenter opus perfectum, ab omni poteſtate impenſa* (non accipio *impensè* ἐπιῤῥηματικῶς) *laudabitur*. Sic & Tribon. in §. 3. de legit. agnat. ſucceſs. *laudamus quidem Prætores ſuæ humanitatis*. ſic & Luc. XVI. 8. καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν, *& laudauit dominus œconomum iniquitatis, quia prudenter feciſſet*. Celſus lib. I. *laudatur Hippocrates artis, & facundiæ*. At ex noſtris quidam crediderunt, Paullum in d. l. 5. de V. S. ſcripſiſſe ἔργον τὸ τέλεσμεν. Sed falluntur, idque refellunt Flor. Pand. & res ipſa. Nam artis eſt, & ἄκρατον, & ἀποτέλεσμα. Ante artem ſunt αὐτοσχεδιάσματα, rudia nempe principia, & artis expertia, quæ tamen ad artis conſtitutionem non parum conducant, ideoque Ariſt. in Poeticis ad tria illa reſpexit, τὴν φύσιν, τὰ αὐτοσχεδιάσματα, τὴν τέχνην. Diſtat igitur ἀποτέλεσμα a principio rudi quatenus imperfectum huiuſmodi eſt artis expers. Add. Gloſs. vett. *Axitas*, Ἀποτελεσματικοί ſed ſunt alia imperfecta quæ ad artem ipſam pertineant, cum ars ad perfectum perducat opus in imperfecto. Ambroſius ep. X. lib. I. *Denique in arte requiruntur præcipuè vt ſit* αἴτιον, ὕλη, ἀποτέλεσμα. ſic legitur in excuſis. At in antiquo meo optimo codice

ſic: vt, ſit αἴτιον, ἄκρατον, ἀποτέλεσμα. & ſignificat ἄκρατον imperfectum, quod eſt ante ἀποτέλεσμα: ac pertinet ad materiam potiùs, quam ad formam, vtpote cum adhuc forma non ſit, niſi inchoata, per infiguratum vero, & informe materia potiùs deſignetur. Ideò mox in Abrahæ ſacrificio ὕλη, ſeu materia explicatur, quod occaſionem mendo præbuit: quam etiam ſubijcientem appellat, dum ſcribit: *Quaeremus ſubijcientem materiam*, in excuſis corrupte, *ſubijcientes materiam*. Dixit *ſubijcientem*, παθητικῶς idest *ſubiectam*, ὑποκειμένην: vt & Tertullianum ſcripſiſſe crediderim, de Reſurrect. carn. c. XI. *Nam & quidam infirmiores hoc prius credere de materia potius ſubijciente* (vulgo *ſubiacente*) *volunt ab illo vniuerſitatem dedicatam ſecundum Philoſophos.* Inferiùs vero apud Ambroſium, ἄκρατον magis deſignatur illis verbis: *Interrogationes ergo illæ in medio, & reſponſiones habent ſapientiæ ſemina, & θεωρίας. Gratum tamen ἀποτέλεσμα eſt, quia ait, Ego ero tecum.* Igitur τὸ ἄκρατον habet ſemina τοῦ ἀποτελέσματος, ſicque ἀποτέλεσμα ex eo, quod dicitur ἄκρατον, vt perfectum, & conſummatum ex imperfecto, & vt id, quod gignitur in natura ex eo, quod eſt δυνάμει, ſeu ex materia, in qua ſunt rerum ſemina: vt etiam ſit cognitio, & ſcientia perfecta ex cognitione quadam media inter perfectam ſcientiam, & ignorantiam; Manifeſtum eſt enim, Ambroſium reſpexiſſe ad ea, quæ princeps Philoſophus ſcribit ἐν τῶν ἀναλυτικῶν ὑστέρ. & ἐν τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, cum dixit, Interrogationes illas, & reſponſiones habere ſapientiæ ſemina, & θεωρίαν. Verum eſt, ἄκρατον ſignificare immiſtum, merum, quod ad catharticam potionem retulit Hier. in Hier. lib. 5. c. 25. ſed & illam ſignificationem habet. Velim igitur iam viri docti ferant apud Homerum explicari ἄκρατον, ſeu Ionicè ἄκρητον, pro eo, quod ſi ἀτέλεστον, vel ἀπύρωτον.

Digitized by Google

De ſententiarum varietate, quod anceps fuerit, per mediocritatem dirimi. Cap. XXX.

AEſtuat Secundus lib. 8. ep. 14. ſuper ea quæſtione, qua ex triplici ſententia vna ſimplex in Senatu ſtatuenda erat. In libertos Afranij Dexteri ex ſententia quorumdam grauiùs animaduertendum erat, alijs eoſdem relegari, compluribus abſolui placebat. Dum hæc tractat, quandoque bilem mihi mouet. Quale enim eſt argumentum illud, quo duas illas ſententias priores coire poſse negat? *Quemadmodum igitur*, inquit, *cum alter puniendos, alter cenſeat relegandos, videri poteſt vna ſententia, quæ dicitur à duobus, quæ non videretur una ſi ab uno diceretur?* Quin, ſi ab vno diceretur, vna videri non poſset, cum duo diuerſa, vnum ſentire manifeſtum eſset. Si duo dixerint, vna videri poterit, cum vna quid amplius contineat: nam in id, quod minus eſt, conſenſiſse videntur; & quibus animaduerti placeat, & qui relegari velint, in eo conſentiunt, vt omnino aliquo pacto puniantur: & diſsentiunt non in pœna, ſed in ſpecie pœnæ, quod non reperimus in comparatione vtriuſque ex prioribus cum nouiſſima ſententia. At vult Secundus, & eum, qui relegat, & qui abſoluit, non leue quiddam commune habere videri, vitam nempè, hoc nihil eſt & ita reuinci poteſt. Cardo quæſtionis in eo vertitur, Debeant rei pænam aliquam ſubire, necne. Quod hac ratione manifeſtum erit. Fac referri, Quid de reis fieri placeat, ideſt, abſolui ne, an aliqua ratione coerceri. Vtique ſi diſceſſio fiat, duæ partes coercitionem probabunt, vna tantùm abſolutionem defendet. Supereſt igitur, vt de ſpecie pœnæ adhuc agatur, ideſt relegari ne placeat, an animaduerti. Eademque ratione, ſi dixeris ſententias rogari, Placeat ne viuere reos, an animaduerti, & pœnam capitis ſubire, illud conficietur,

Digitized by Google

viuere potiùs. Adhuc tamen illud ipſum quærendum erit, An ſine aliqua pœna dimitti debeant, nec dimittentur, duæ namque ſententiæ contra vnam pugnabunt. Denique ſtatuenda omnino pœna eſt. Ita in ſententiarum varietate quæritur in primis, an aliquid, in quo conſenſerint omnes, reperiri poſſit: Si non inueniatur, explorandum erit, in quo maior pars conueniat. Nam ita ferme dici poteſt, omnes iudicaſse, l. 36. Pomponius, l. 39. duo ex tribus, de re iudic. ſed illud in ſummis ſtatim apparet, quod maiori inſit minor, l. 1. §. ſi ſtipulanti, de verb. obl. vt, ſi ex tribus, vnus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnet, in poſtremam ſummam conſenſerunt, l. 27. diem, §. ſi plures, de recept. quid ſi pares ſint ſententiæ? humanior, & clementior obtinet, adeoque illa, quæ teſtamentum, & libertatem tuetur, l. 39. inter pares, de re iudic. Paull. ſent. lib. IV. tit. 12. dum tamen apertè non appareat, iudices contra ſcriptum hæredem iniquè pronunciaſse, l. 10. ſi pars, de inoffic. teſt. Si dati, ſeu ſpeciales iudices fuerint, Magiſtratus, qui dedit, partes deſiderantur. Igitur abſque circuitu in hac quæſtione relegatio eligenda, quod etiam ſuadet alia ratio, nimirum vt anceps controuerſia per mediocritatem dirimatur, vt ait Paullus in l. 7. vt leg. ſeu fideicommiſs ſeru. cauſ. cau. quod κάθαρμα placuit etiam his, qui corpora curant. Celſus lib. 1. *ea neque addicta alterutri opinioni ſunt, neque ab vtraque nimium abhorrentia, media quodammodo inter diuerſas ſententias. Quod in plurimis contentionibus deprahendere licet ſine ambitione verum ſcrutantibus, vt in hac ipſa re*, id etiam in iuriſdictione obſeruandum, l. 13. ſed hæc, de proc. id ipſum Philoſophus maximus in arduis pleriſque quæſtionibus feliciter ſectatus eſt. Ideoque cum vtriuſque partis rationes momentum par habere videntur, διαιτητοῦ, † inquit, δεῖ: ideſt, *arbitro eſt opus*. Vos illa, *quemadmodum*, apud Secundum, non παρακλητικῶς, ſed ἐρωτηματικῶς

† lib. Phyſic. c. 6.

vſur-

vſurpatur. Controuerſia ab eodem ſic relata: Referebatur de libertis Afranij Dextri Conſulis, incertum ſua, an ſuorum manu, ſcelere, an obſequio perempti, hos alius, quis? Ego (ſed nihil refert) poſt quæſtionem ſupplicio liberandos, alius in inſulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur, quæ ita potiùs diſtinguenda: *Hos alius (quis? Ego: ſed nihil refert) poſt quæſtionem ſupplicio liberandos.* Vult Secundus, mitioris ſententiæ ſe auctorem fuiſse: ſed ad propoſitam quæſtionem momentum id non habere, ſimilem locum legimus apud Heliodor. lib. I. cum ita de ſe narrat Cnemon: *Vt verò ad ſententias diſcernendas ventum eſt, qui mihi mortem decreuerant, ad ſeptingentos ſupra mille aſcendebant: quorum alij lapidibus obruendum, alij in barathrum præcipitem dandum eſſe iudicabant. Reliqui autem ad uſque mille, quotcumque nimirùm ſuſpicioni de nouerca aliquid dabant, perpetuo exilio me multandum eſſe cenſuerant. Attamen horum ſententia obtinuit, quod omnibus quidem alijs ſimul ſumptis pauciores eſſent. ſed cum diuerſa cenſuiſſent, diuiſis ſententijs, mille amplior numerus erant.*

De ratione, & cauſa patriæ poteſtatis. Plinius emendatus. Cap. XXXI.

ALia rurſus eiuſdem Scriptoris ad calculum reuocabimus, vt ſemel frontem perfricuimus. In Panegyrico ait: Tu quidem, Cæſar, illam exceptionem remouiſti, ſi modò filius in poteſtate patris fuiſset, intuitus, opinor, vim, legemque naturæ, quæ ſemper in ditione parentum eſse liberos iuſſit, nec vti inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem, & imperium valentioribus dedit. Qui ius Quiritium tractet, vix concedet, iure naturæ in poteſtate parentum liberos eſse, quantum pertinet ad imperium,

perium, & obſequium, facile ius gentium ad naturam reuocabimus, l. 2. de iuſt. & iur. quoad poteſtatem, ad auctores prouocabimus, l. 8. de his, qui ſui, vel al. iur. ſunt. Sed benignius eſt dicere, Panegyriſten de poteſtate quadam loqui, quam natura quoque patribus in filios tribuere videatur, cum in omnibus, quæ naſcuntur, hoc naturæ ius expreſſum appareat, quaſi nempè arbitrio illius moderanda ſit proles, cuius pars ſit. Caſſiodor. lib. 2. ep. 14. *Vbi eſt illa natura uis, quæ amplexu copulæ deſtinatur ad poſteros? ferarum catuli ſequuntur parentes: a ceſpite ſuo virgulta non diſcrepant: propago vitis propriæ ſeruit origini & diſcrepat homo à ſuo fuſus initio!* Poſſumus ad ciuilem quoque modum hæc redigere: Nam ad eamdem naturæ prærogatiuam, & ad laborem educandi Auctores noſtros reſpexiſse creditum eſt, dum ciuili iure tantam eſse patriam poteſtatem voluerunt, vt vſque ad necem patribus in filios impunè ſæuire liceret. Hinc præcipuum dicitur hoc ius Ciuium Romanorum, quod nulla alia gens habeat, §. 1. de patr. pot. Simplicius in Epict. hoc declarat, dum ſcribit, Romanas Leges hanc maximam poteſtatem parentibus in liberos permiſiſse, quod fiderent τῇ φυσικῇ φιλοστοργίᾳ τῶν γονέων, & reſpicerent πρὸς ἀληθῆς φύσεως ἀνοχὴν, καὶ πρὸς τοὺς πόνους, οὓς οἱ γονεῖς ὑπὲρ τῶν τέκνων πονοῦσιν. Hæc etiam patres prætendunt apud Tacit. Annali XV. qui *ius naturæ, laboris educandi aduerſus fraudem, & artes, & breuitatem adoptionis enumerant*. Hoc igitur veluti præmium educationis, & laborum Romanis Ciuibus datum eſt, eaque ratione Romanæ Leges voluerunt τοὺς παῖδας πάντοσ᾽ αὐτοῖς ἀποπρᾶξαι, quod etiam manifeſtat ius diſtrahendi, l. 2. C. de patr. qui fil. ſuos diſtraxer. ſed hoc poſtremum, & apud alias quaſdam gentes vſurpatum fuit; Sunt tamen qui rationem patriæ poteſtatis aliter flectant, & ad ciuilem modum, nimirùm vt in officio contineri, & erudiri liberi poſſint: quod è Republica eſse, manifeſtum eſt.

Di-

Diſertiſſimus Lactantius: Dominum verò, *inquit*, eumdem eſſe, qui ſit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonſtrat. Quis enim poterit filios educare, niſi habeat in eos dominij poteſtatem? Hoc amplius: apud eumdem Panegyriſten corruptum locum quidam ſanare voluerunt. Indignum, credo, ei viſum, ab homine peti, quod dij dediſſent. Sorores eſtis, & frater, auus, & nepotes: quid eſt ergo cur egetis, vt ſitis? vobis eſtis. Qui pro cætera ſua moderatione: non nimis inuidioſum putat dare hæreditatem, quam auferre, *reſcribendum eſſe dicunt*, quid eſt ergo cur rogetis, vt ſitis? vobis eſtis. Quin pro cætera ſua moderatione, &c. *Diſtingue, & reſtitue omnino ſic:* quid eſt ergo? cur egetis, vt ſitis? vobis eſtis, qui pro cætera ſua moderatione, &c. Vicem omnium neceſſitudinum in pium Principem explere vult Plinius, & neminem indigere auo, aut fratre, cum & auus, & frater Princeps ipſe videatur, hinc proximè dixt, *ſtatuit enim communis omnium parens ſummam, quæ publicanum pati poſſit.* Rurſus illi ipſi Critici fluctuant apud eumdem Paullo poſt in leui mendo, nec emergunt. In eodem genere ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt: nec vnus omnium nunc quia ſcriptus hæres: non tu falſis, non tu iniquis tabulis aduocaris: nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec quia offendit alius, nuncuparis, ſed quia ipſe meruiſti, puto ſcripſiſſe Plinium, nec vnus omnium nunc, qui adſcriptus hæres, ſugillat Domitianum, qui vnus ab omnibus in teſtamentis hæres adſcriberetur. Cætera, quæ dicit de falſis, de iniquis tabulis, expreſſa ſunt ex parte in l. 92. Imperatorem, de hær. inſt. & in l. 3. C. de teſtament. plura Tribon. in §. fin. quibus mod. teſtam. infirm.

Honor. Ius Honorarium. Diuerſæ Papiniani, & Triboniani ſententiæ. Elogia. Notoria. Vacantiui. Sophocles emendatus. item Lampridius.

Cap. XXXII.

IVs honorarium ad Prætorum honorem ſic nominatum voluit Papinianus in l.7.de iuſt.& iur. Id ipſum Theophil. expreſſit in §.7. de iur.nat.gent. & ciu. *Horum autem Legum-latio, ius honorarium appellabatur, quod in honorem Magiſtratuum, & conſtituentium hac obtinerent, & ciuilia dirigerent.* appellati ſunt, & tutores quidam honorarij, l.14.quod ſi fortè, §.1. de ſolut.l.3.§.1. de admin. & peric.tut.ſed & hęreditatis honor dicitur. Valer.lib. 7.c. 7. *queue ad alios, quam qui exſpectabant, honorem hæreditatis tranſtulerunt.* Itaque in teſtamentis elogia quoque addere ſolebant. Senec.lib.2.Controuerſ.8.& lib.2. declamat. 7. *Deceſſit negotiator. Teſtamento omnium bonorum ſuorum reliquit formoſam hæredem, & adiecit Elogium, quia pudicam comperi*, honeſtum Elogium legimus, & in l. 27. Aquilius, ff. de donat. In libris noſtris Elogium, & pro conuitio, ac vituperatione accipitur, adeoque pro cauſa exhęredationis, l.14. ſi poſtumus, §.vlt.de lib.& poſt.& in l.1.ff.idem ait, de Carbon. edict. ita pariter in l. 37.cum quis, §. Sejam, de legat.3. Addit. Fulgentius *Elogium eſt hæreditas in malo. Cornel. Tacit. lib. Facetiarum: Caſi itaque, morum Elogio in filijs relicto.* in antiquo mſs. Gloſſario: *Elogium: Carmen, vel Ordo criminum, an vitiorum* (fort. *conuitiorum*) *ſiue ignominia.* In Gloſſario Iſidori, *Elogium, reſponſum aliquod, vbi ratio redditur, tamquam ſi dicat aliquis de quoque, Exhæredabo eum. quare? quia mihi inſolens fuit.* Similia habentur in Excerptis Pithœanis:

nis: *Elogium, ordo criminum, reſponſum aliquod, vbi ratio redditur, tamquam ſi dicat aliquis de quoquam, Exheredabo eum: quare? quia mihi inſolens fuit*. & rurſus in iiſdem: *Elogium, textum malorum dictorum quod Notoriam dicunt*. In Gloſs. Græc. *Notoria* ἀνάφορα, & alibi μιώνυσις, *Indicatio Notaria, Iudicium*. Addit. Auguſtin. Ep. 160. *præmiſſa Notaria, ad iudicia, legeſque perduxit*, ad hanc eamdem rationis etymologiam idem Gloſſographus reſpexit, vt puto, cum ſcripſit: *Elogium*, Απόκρισις ἢ διαλέγον. addit, καὶ Προσίον, καὶ Ανακεφαλαίωσις. & alibi: *Elogium*, τὸ διάταγμα. ad Notoriam, vel, vt alij ſcribunt, Notariam reſpiciens, & ἀνάφοραν dicit; & etiam fortè ἀνακεφαλαίωσιν, & τα διατάγματα. Nam rei, & titulis notabantur, & cum elogijs poſt interrogationes ad proprios Magiſtratus remittebantur, vt & Mandatis continebatur, l. 6. Diuus, de cuſtod. & exhibit. reor. & ex cauſa obſeruandum eſt, l. XI. non eſt dubium, eod. l. 3. de re militar. Vulcatius Gallic. in Auidio: Vides multis opus eſſe gladijs, multis elogijs, vt in antiquum ſtatum publica forma reddatur. Sed redeo ad rem. Videtur etiam diſtingui ius honorarium ab ordinario, l. 10. creditores, de V. S. verum ibi *exordinarium ius*, vt ſcriptum eſt in Pand. Flor. ad extraordinarias cognitiones referendum puto. Ab ordinarijs hac ratione diſtinguuntur honorarij, vt ordinarij Conſules ab honorarijs, & alij, qui in actu poſiti, illuſtres peregerint adminiſtrationes, l. vlt. C. de Decur. lib. X. l. 3. de Conſul. lib. XII. l. 3. de ſpectac. & Scen. lib. XI. Actus Poteſtatem, & Magiſtratuum dixit, & Caſſiodor. lib. 6. formula 12. & uet. Schol. ad illud Iuuen: Sat. IIX.

Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo Tribunal
Vendit acerſecomes: ———

Si nemo ſeruorum tuorum actus tuos vendit, ſi ephebus intonſus non eſt puer, pro quo ſententia diſtrahatur. Diſtant honoraij a vacantibus, ſeu vacantiuis, l. 2. vt dignit. ord.

ſeru. C. lib. XII. ea vox minus perſpecta, & reſtituenda variè interpolato Lampridij loco in Seuero: *Iure iurando deinde conſtrinxit, ut quem adſcriptum, ideſt vacantium haberet.* olim praue ſcriptum erat, *vagantium*: monuerunt corrigendum eſſe, *vacantium*. Recentiores rurſus ex Trebellio Pollione legendum eſſe contendunt, *adſcriptitium ideſt vacantem haberet*, ego puto Lampridium ſcripſiſſe, *vacantiuum*. Ita & *confeſſiuam vocem*, & *abnutiuam* dixit Caper Grammaticus: vt *dedicatiuum*, & *abdicatiuum*, & alia ſimilia dicunt alij, dicit & Apul. ἐπίρρημα. *Erratiuum* etiam apud vett. † Grammaticos me legiſſe memini: & apud Tertulianum, *omnia naturalia anima, vt ſubſtantiua eius, ipſi ineſſe.* Præterea *Poteſtatiuum* tum alibi, tum in Concil. Cabillonenſ. 2. ſub Carolo Magno, can. 30. non eſt cur plura congeram, ſed nec iſta protuliſſem, niſi cuperem, vt *vacantiuum* tandem apud Lampridium agnoſcerent. Video etiam adhuc quoſdam vacantes a cinctis diſtinguere, & ſi pridem alij monuerint, in eo peccari, & Nouell. Theodoſ. tit. 30. de Metatiſ. quod etiam ſatis liquet ex 70. Nouell. Iuſtinian. Vacantes quoque cincti: honorarij ἄζωσοι. Dicitur tamen, & vacantium honor, quod honorati ab honorarijs differant. Caſſiodor. otioſi cinguli honore præcincta dignitas. Honor dicitur adminiſtratio Reipublicæ cum dignitate in Gloſſis, τιμὴ ἐπὶ ἀξίας. Nam dicitur, & aliter, vt τιμαί, τὸ ἐπὶ τιμωρίᾳ τὸ διδόμενον; *Honorarium*; item τιμὴ ἀγορᾶς, *Precium*. Itaque Tribonianus a Papiniano recedens, hac potiùs ratione ius honorarium dici voluit, cum ſcripſit: Hoc etiam ius honorarium ſolemus appellare, quod qui honores generant, ideſt Magiſtratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Suet. Claud. c. 14. Ius & Conſul, & extra honorem laborioſiſſime dixit. Apud Sophoclem hanc eamdem vocem latere puto, in Ajace μαστιγοφόρῳ.

† Apud Fronton.

ἄρχοντές εἰσιν, ἀφ' ὑπεικτέον, τί μή;
Καὶ γὰρ τὰ δεινὰ, καὶ τὰ καρτερώτατα
Τιμαῖς ὑπείκει. ——

legendum eſt, niſi fallor, ἀφ' ὑπεικτέον τιμῇ. Inde honorati dicuntur, Nouell. Theodoſ. tit. 46. *de honoratis, & quis in gradu præferatur* in l. 1. C. de honorat. vehicul. lib. XI. omnes honorati ſeu ciuilium, ſeu militarium dignitatum, vehiculis dignitatis ſuæ, ideſt carruchis intra vrbem ſacratiſſimi nominis ſemper vtantur. In C. Theodoſ. lib. 16. tit. 4. l. 44. Huiuſmodi autem conditionibus, etiam honoratos reliquos obligamus, ſcilicet vt Senator, qui nullo monitus, extrinſecus (fortè legendum, nullo munitus extrinſecus) priuilegio dignitatis, inuentus in grege Donatiſtarum, centum libras ſoluat argenti, ſic & apud Ambroſium honorati dicuntur ep. 14. ad Marcellin. & in *de obitu Valentiniani* ſcribit: *Iam promiſeram me profecturum, reſpondens vel honoratis petentibus, vel Præfecto.* Iuuenal. Sat. 1. *Summus honor*. vet. gloſſema, *Senatorum.* Spartianus id ipſum Senatoriæ dignitati Hadrianum tribuiſſe refert: quod teſtatus ſit cum Tatianum ex Præfecto Prætorij Senatorem faceret, ſe nihil amplius, quod in eum conferri poſſet, habere dicens. Ex eiuſdem Principis oratione ſumptum quod noſtri I. Conſulti retulerunt, a Senatu Principem non appellari, l. 1. ff. a quib. appell. non lic. eodem pacto & Decurionatus honor dicitur, l. 5. ff. de vacat. & excuſat. mun. quandoque tamen ab honoribus cęteris diſtinguitur tam Decurionatus, quam Senatoria dignitas, l. 7. §. 9. de interdict. & relegat. Idem Spartian. *Ad honores explendos, non ſolùm amicis, ſed etiam paſſim aliquantis multa largitus eſt.* in quibus verbis notant, *aliquantis*, pro *aliquod* dici, quorum in ſententia comprobanda minime difficilem me præbuerim: niſi tamen ita potiùs ſcriptum fuit, *aliquam multa*: quam ſcripturam, verbis offenſi, Librarij poſtea corruperint. Cornel. Fron-

to: *Honor, dignitatis conſummatio vel priuatim, vel publice, laus ſecunda exiſtimatio rectè factorum.* Ariſt. lib. 1. Ethicor. alia ratione inter honorem, & laudem diſtinguit. Nos honorem cum dignitatis gradu dicimus, vt Caliſtrat. in l. 14. honor, ff. de muner. & honor. Nonius c. 4. *Honor eſt dignitas.* Iure quoque noſtri dignitatem ad Reipublicæ adminiſtrationem referunt, & munera, vel onera honoribus iungunt. Varr. lib. 4. Itaque Honeſtus dicitur, quod honoratus: & dictum Honus eſt honos, qui ſuſtinet Rempublicam. Diſertus Scriptor Saluian. lib. 4. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio ciuitatum? Aut quid aliud quorumdam, quos taceo, Præfecturæ, quam præda? Nulla ſiquidem maior pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor a paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſoluatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt. Commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt, vt pauci illuſtrentur mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt. Ad hanc eamdem honoris notationem pertinet, vt opinor, quod Græci Canoniſtæ referunt ex Conc. Carthaginenſ. can. 31. ὁ μείζω τιμὴν ἀποθέμενος, ἀνάγκης καλούσης, καὶ ἣν εἶχεν προσαπολέσει: ideſt; *Ampliorem recuſans honorem, ad quem exigente neceſſitate, vocatur, & quem geret, amittet.* Apud Latinos id ipſum relatum eſt, can. 4. diſt. 74. Iuuenal. Sat. 10.

——————*inſignis honorum*
Pagina. ——————

Ad quæ V. Sch. *Aenea pagina, quæ ante imaginem eorum ſtans, omnes eorum gradus honorum inſcriptos continet, quam nunc dicunt tabulam Patronatus.* Intelligit titulos, quorum adhuc varia in lapidibus exſtant exempla. Vitras I ſtatuæ ſubſcriptum.

Honori

Digitized by Google

Honori
Memmio. Vitraſio. Orfito. V. C.
Nobilitate. actibus. que. ad. exem
plum. praecipuo. Praefecto. Vrbi
et. iterum. Praefecto. Vrbi. Procon
ſuli. Africae. ac. Tertio. ſacrarum
cognitionum. Iudici. Comiti. in
Conſiſtorio. Ordinis. primi. Le
gato. ſecundo. difficilimis. tem
poribus. petitu. Senatus. et. P. R
Comiti. Ordinis. ſecundi. Expedition
Bellicas. gubernanti. Conſulari. Sicil
Pontifici. Solis. Pontifici. Veſtae
XV. Viro. S.F. Conſuli. Praetori. Q. K. Om
nibuſq. perfuncto. honoribus. intra
aetatis. primordia. ob. providentiam
et. Statum. optimum. Vrbi. Romae. ab. eo
redditum. Corpus. omnium. Manci
pum. Statuam. ſub. aere. conſtituit

Tabulæ Patronatus fortaſſe dictæ, quod Patronis Municipiorum, ſeu Prouinciarum ponerentur, vt variæ paſſim Inſcriptiones antiquæ docent: quibus etiam frequenter illa formula inſcripta; *omnibus honoribus, & oneribus functo.* Vet. Scholiaſt. Iuuenal. ad illud;

——*& immeritis franguntur crura caballis.*

Quibus, *inquit*, vecti ſunt honorati. Nam Poëta Equeſtres Statuas, & Conſulares, dicit immeritò pœnam ſuſtinere, aut ad reſtem trahi. *Cic. in Piſonem, de Capuanis*: me inaurata ſtatua donarant: me patronum vnum adſciuerant, *& initio*: me cum Quæſtorem in primis, Aedilem priorem, prætorem primum cunctis ſuffragijs Populus R. faciebat; homini ille honorem, non generi; moribus, non maioribus meis: virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat. *Apud eumdem*, frumentum honorarium *lego*,

qui

qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarij? ſi quidem poteſt, vi, & metu extortum, honorarium nominari. *Sed & vinum honorarium Cato dicit*, de innocentia ſua, *verba Catonis*: Cum eſſem in Prouincia Legatus, quamplures ad Prætores, & Conſules vinum honorarium dabant: numquam accepi, nec priuatus quidem, quod Iſidorus non honorarium à Præturæ, & Magiſtratuum honore, ſed quod Regibus, & potentibus honoris gratia offerretur, dici voluit: vt Papinianus de iure honorario ſenſit. Succeſſores tamen honorarios à Prætorio, vel honorario iure dictos eſſe puto, licet aliter Accurſius alicubi exponere videatur, vt in l. 24. ſed & eius, *ff.* famil. erciſc. Honorarij ſucceſſoris ſpecies eſt lib. 29. Digeſtor. tit. 4. Nam qui omiſſa teſtamenti cauſa, quocumque modo hæreditatem poſſidet, nihilominus tamen ex Edicto Prætoris Legatarijs, & Fideicommiſſarijs relicta præſtare tenetur. Inſequentibus etiam temporibus manſit hoc, vt honor præſertim Præturæ diceretur, C.lib. 12. tit. *de Prætoribus, & de honore Præturæ*. Pomponij verba in l. 2. §. eodem tempore, de orig. iur. tam ad Papiniani, quam ad Triboniani ſententiam trahi poſſunt, vt apparet. Ait: *Honorarium dicitur, quod ab honore Prætoris venerat*. Triboniani alluſio, & ipſa fortè antiqua eſt, & ab antiquis deſumpta. Ego ſanè in hoc tam libenter eum, quam Papinianum ſequar.

Cauſæ fortuitorum, ad Taciti lucem.
Cap. XXXIII.

LOco *omnium*, inquit ille, *fortuna*. Ita cum multa dixerimus, quæ videantur ad cauſas ingentis rei, aut euentus pertinere, quaſi alia quæque minoris ſint, ad fortunam demum rem omnem referre ſolemus. Ad hanc retulit princeps Hiſtoricus Veſpaſiani, & filiorum Imperium,

Nam

Digitized by Google

Nam quid ingenium Titi, quid oris maieſtas, quid præſaga reſponſa pro ſummo illo faſtigio? cætera nihili ſunt, ſi cum fortuna conferantur, vetus verbum eſt apud Suidam, θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον: *malo fortunæ guttam, quam dolium mentis*, quæ ſapienter diſiuncta, nam licèt mens, & fortuna circa idem verſari dicantur, attamen, vt ἐν τῷ βιβλ. μεγάλ. ſcribit Philoſophus maximus, ὅπου πλεῖστος νοῦς, καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη: ὅπου δὲ πλείστη τύχη, ἐνταῦθα ἐλάχιστος νοῦς: *ubi plurimum mentis, & rationis, ibi minimum fortunæ: ubi verò plurimum fortunæ, ibi minimum mentis*. Mentis igitur, & fortunæ vix eſt cõmercium. Sic a Minucio, *legibus ſoluta fortuna* dicitur, aliqua tamen ratione, & ipſa fortuita ad cauſas referri poſſunt. Quod enim alterius gratia fiat, κατὰ συμβεβηκὸς fortuiti euentus cauſa dicitur, ita in partem rerum aſſumptus, domita Britannia, fatis monſtratus dicitur Veſpaſianus: cum tamen militare miniſterium, & opera illius quæſita, non ad imperij ſpem vocatus fuiſſet: eſt verò in his, quæ conſequuntur ſeries quædam, vt conſtitui poſſit, quid proximè ad fortunam, & euentum ſit referendum. Nam quæ cauſæ profectionis Tito fuere, *officium erga Principem, matura petendis honoribus iuuenta*, proximiora ſunt Imperij deſtinationi. Itaque haud iniuria Tacitus initio 2. Hiſtoriar. ſcripſit: *Struebat iam fortuna in diuerſa parte terrarum initia, cauſaſque imperio*, ſic etiam *initium venturæ mox fortunæ* eſſe dixit, quod à Claudio aſſumptus fuerit Veſpaſianus. Hæc minùs animaduertiſſe mihi videntur, qui corrupta crediderunt ea verba 1. Hiſtor. Cæterũ antequã deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus Vrbis, quæ mens exercituum, quis habitus Prouinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit: vt non modò caſus, euentuſque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam, cauſæque noſcantur. Nam, inquiunt, ſi caſus, euentuſque rerum fortuiti, quomodo

remit-

Digitized by Google

remittis me ad cauſas? quaſi verò fortuita nullo pacto ad cauſas reuocari poſſint. Itaque immiſſa negatione, locum commaculant, ſed ipſi potiùs ad Lycæum remittendi; vt apparet. Vidit Tacitus Fortunam: vtinam & Prouidentiam vidiſſet! cui nos illam ipſam ſubijcimus, & cum Auguſtino hanc orbis Rempublicam ad Supremi illius Auguſtiſſimi Magiſtratus, ideſt ad Diuinitatis nutum, regi, & moderari credimus. Aurelij verba lib. 3. de Trinitat. c. 4. Nihil fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiori, inuiſibili, atque intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in iſta totius creatura ampliſſima quadam, immenſaque Republica. Ita Fortunæ nomen admittimus: aliter cum Lactantio dicturi nihil eſſe, huius verba lib. 3. de falſ. ſap. c. 29. *Fortuna ergo per ſe nihil eſt: nec ſic habendum eſt, tamquam ſit in aliquo ſenſu*. (Credidi aliquando, ſcripſiſſe Lactantium, *tamquam ſit in aliquo cenſu*, ſuadebat habendi verbum, quod ad rem frequenter pertinet, & ad poſſeſſionem, quæ corporum eſt, ita *non habendi neceſſitas* dicitur in l. 4. de mun. & hon. nunc tamen nihil muto.) Vanum nomen, cæcum numen cæcarum gentium, quod nihil eſt, deam eſſe credebant: adeo vt aliquando cum Romæ Fortunæ templum conflagraſſet, & ad reſtinguendum incendium milites etiam concurriſſent, [nam incendijs arcendis cohortes diſpoſitæ erant ſub Præfecto vigilum, l. 3. ✶. de offic. Præf. vigil.] vnus militum, qui contumelioſa verba in falſum numen protulerit, a plebecula ſuperſtitioſa interemptus fuerit, vt refert Zoſimus. Eamdem ob cauſam Cæſarienſibus infenſus Iulianus, quod Fortunæ ſacellum euertiſſent. Sozomen. in Tripartit. lib. 6. c. 4. Complures tamen ex illis vanitatem numinis, & nominis ſenſerunt. Nam, vt ait Etnichus Poëta,

... ſed

——— *ſed nos*

Te facimus fortuna deam, cæloque locamus.

Senſit, & Epicurus ipſe, de quo Laërt. τὴν δὲ τύχην οὔτε θεὸν, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, ὑπολαμβάνων, (οὐδὲν γὰρ ἀτάκτως θεῷ πράττεται) οὔτε ἀβέβαιον αἰτίαν. id. *fortunam verò neque deam, ſicuti vulgò opinantur, (quod nihil à Deo temere fiat) neque inſtabilem cauſam arbitratus eſt.* Iſidor. lib. 1. de differ. verbor. *Inter fortunam, & felicitatem hoc intereſt, quod fortunam non eſt, felicitas opus hominis.* Alij nudo huic nomini, & dona vouebant, & vota nuncupabant: hoc ipſum variè, ſæpeque nouè cognominabant. Tacit. Annal. 3. de *fortuna Equeſtri*. A Varrone *Virgo* dicta, apud Nonium, quam *Virginalem* alij dixere, & *Virginenſem* appellat Auguſtin. de C. D. lib. 4. c. 11. *Fortem* etiam dicebant, non tamen à fortitudine, in quo Græci Scriptores notantur, quibus *Fors Fortuna* ſit Ἀνδρεία, vel Ἰσχυρὰ, ſeu Ἀριστατικὴ. *Regia* item dicta, quæ & *Aurea*. Capitolin. in Antonin. Pio: *Fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni ſolebat, transferri ad eum iuſſit.* Idemque in M. Ant. Philoſ. *Fortunam auream, quæ in cubiculo ſolebat eſſe, ad Marci cubiculum tranſire iuſſit.* Spartian. in Seuer. Fortunam deinde Regiam, quæ comitari Principes, & in cubiculis poni ſolebat, geminare ſtatuerat, vt ſacratiſſimum ſimulacrum vtrique relinqueret filiorum. Sed cum videret ſe perurgeri, ſub horam mortis iuſſiſſe fertur, vt alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Habuit & Tullius Rex fortunæ ſimulacrum, quod ad Seianum perueniſſe narrat Dio lib. 58. Apud Antium, item quod fortunarum ſimulacra ad danda reſponſa promouerentur, ſcribit Macrob. lib. 1. c. 23. Mitto alia cognomenta Muliebris, Primigeniæ, Viſcatæ, Breuis, ſeu Paruæ, Maſculæ, Obſequentis, Reſpicientis, Reducis, Seiæ, Barbatæ, Mammoſæ, Publicæ, Priuatæ, Dubiæ, Bene-ſperantis, Vicinæ, Liberæ, Statæ, Adiutricis,

Conſeruatricis, Opiferæ, Felicis, Manentis, Auguſtæ, Mitto diuidias doctorum virorum de *Fortuna huiuſce*, vel *huiuſquemodi*, apud M. Tull. lib. 2. de ll. Mitto alia, quia dicta alijs.

Explicata l. 8. ſicut, ſi ſeruit. vindic. *Cap. XXXIV.*

VIdeo quoſdam adhuc hærere in l. 8. ſicut, ſi ſeruit. vindic. quaſi pugnet ſententia in §. Ariſto cum §. apud Pomponium. Ait Vlpian. Ariſto Cerellio Vitali reſpondit, non putare ſe ex taberna caſiaria fumum in ſuperiora ædificia iure immitti poſſe, niſi ei rei ſeruitutem talem admittit. Idemque ait, & ex ſuperiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet: in ſuo enim alij hactenus facere licet, quatenus nihil in alienum immittat: fumi autem, ſicut aquæ, eſſe immiſſionem, poſſe igitur ſuperiorem cum inferiore agere, ius illi non eſſe id ita facere. Alfenum denique ſcribere ait, poſſe ita agi, ius illi non eſſe, in ſuo lapidem cædere, vt in meum fundum fragmenta cadant: Dicit igitur Ariſto, eum, qui tabernam caſiariam à Minturnenſibus conduxit, a ſuperiore prohiberi poſſe fumum immittere: ſed Minturnenſes ei ex conducto teneri, agique ſic poſſe dicit cum eo, qui eum fumum immittat, ius ei non eſſe fumum immittere, ergo per contrarium agi poterit, ius eſſe fumum immittere, quod & ipſum videtur Ariſto probare. *At in §. apud Pomponium, ita ſcriptum eſt*: Apud Pomponium dubitatur Libro quadrageſimo primo lectionum, an quis poſſit ita agere, licere fumum non grauem, puta ex foco in ſuo facere, aut non licere, & ait, magis non poſſe agi, ſicut agi non poteſt, ius eſſe in ſuo ignem facere, aut ſedere, aut lauare. Idem in diuerſum probat: Nam & in balineis, inquit, vaporibus cum Quin-

ctilla cuniculum pergentem in Vrſi Iull inſtruxiſſet, placuit potuiſſe tales ſeruitutes imponi. Dicunt, hæc inter ſe pugnare, nihil minus. Poſteriori loco dubitatur, detur ne actio confeſſoria, an negatoria, vt quis faciat, vel non faciat quid in ſuo, cum nihil alterius intereſt. Pomponius dari negat. Ratio eſt: Nam nec ſeruitus eſt, quid igitur vindicabitur? ita dictum fuit, nec confeſſoriam, nec negatoriam dari, quia nec eſt ſeruitus. Quotiens enim nec hominum, nec prædiorum ſeruitutes ſunt, quia nihil vicinorum intereſt, non valet: veluti ne per fundum tuum eas, aut ibi conſiſtas, nec eſt natura ſeruitutium, vt aliquid faciat quis, l. 15. quotiens, de ſeruit. Eadem ratione ne in tuo ignem facias, aut ſedeas, aut laues, aut fumum non grauem, puta ex foco, facias, non eſt ſeruitus: quod Pomponius tractat. Sanè poterat Pomponius dubitare, an eſſet ſeruitus, & ex eo concludere, agi, vel non agi: quod fecit poſtea in diuerſum idem probans quod antea improbauerat, ideſt, eſſe ſeruitutem, adeoque agi poſſe. Nam Quinctilla talem ſeruitutem impoſuit, vt liceret ei per cuniculum in Vrſi Iull, balinei vapores deriuare, & immittere, ſcilicet vaporis etiam, vt fumi, & aquæ immiſſionem eſſe dicemus: & intereſſe poterat Vrſi Iull, ne domus eius vapores exciperet, itaque ſeruitus rectè imponitur, exinde conſequitur, agi poſſe. At Ariſto, circumſcripta ſeruitute, aſſerebat ex taberna caſearia fumum in ſuperiora ædificia iure immitti non poſſe, quod ſi ei rei ſeruitus talis admiſſa fuerit, iure conſiſtit: nam ſuperioris intereſt, eadem ratio erit ſi è contrario quæratur, liceat quid ex ſuperiori in inferiora immittere, an non liceat: & vtroque caſu dabitur actio. Dictum eſt, *in Vrſi Iull*, ſicut etiam apud Aſcon. in orat. pro Milon. *multique ex Milonis ex improuiſo ceciderunt*, & antea: *plures tamen ex Flauij*, nam ἀπὸ κοινοῦ aliquid ſimilibus in locis repetendum eſt. De taberna caſiaria, quædam alijs pridem ſcripta.

Sententia l. 1. C. de furt. & ſeru. cor. *Cap. XXXV.*

NON video, cur non ſit recipiendum quod dictum eſt furti, & mandati, vel furti, & commodati actiones naſci, ſed inuicem tolli. illud vult l. 14. ſeruus, D. commodat. hoc l. 1. C. de furt. & ſeru. cor. Manifeſtum eſt ex eo, quod dicitur, alterutram eligendam eſſe; vtraque igitur nata erit. manifeſtum eſt etiam ex equitatis ratione. Nam hinc colligimus, Summo iure vtramque conſiſtere, ex vtraque cauſa, eſt ius perſequendi; ex alterutra perſequi oportet, ſed hæc Gloſſatores tam Græci, quam Latini ad legitimos canones referunt, ne ſibi contrarius nempe videatur, qui agat, quæ ratio diuerſa eſt ab æquitatis ratione; quæ Seuero, & Antonino magis placuit, poſſunt tamen, & ad vnicam rationem pertinere. Nam qui vtraque actione vti velit, videbitur ad alterius iniuriam contra æquitatem pugnantia proponere. Hanc rationem Græci luculentiùs explicant βασιλικ. lib. 60. Actio mandati δίπλευρος eſt, & conſenſum habet ex vtraque parte. Igitur non dabitur actio furti poſt actionem mandati, nempe ſi daretur, ageret idem aduerſus ſe ipſum, ſed nemo aduerſus ſe ipſum agere poteſt, quia nec ſibi ipſi obligari poteſt, l. pæn. de arbitr. l. 2. de ſtipulat. ſeruor. Quo vero pacto ageret aduerſus ſe ipſum furti agens, qui prius mandati egerit? ita nempe. Numerationem a ſeruo factam ratam habuiſſe dicimus eum, qui mandati egerit. Mandatum enim comprobauit, & vt aiunt Imperatores, bonæ fidei contractum per hoc impleri poſtulauit. Quod ſi mox furti agat, idem dicet, ſe inuito rem ſuam contrectatam eſſe, qui antea comprobato contractu, conſenſum profeſſus fuerat. nam ex contractu ad conſenſum ritè retrò deuenitur, l. 1. de pact. Hoc amplius: Quod dictum fuit in l. 8. etiam, C. de furt. ſi ex-

Digitized by Google


ſi exactor tributorum, ſciens vendiderit res collatoris non indeuoti, furti teneri, καὶ ἀντιδιαστολὴν iidem Interpretes exaudiunt: Nam ceſſante collatore, exactor bona illius rectè diſtrahit, l. 1. tit. xx1. C. lib. x. Tributa etiam noto δημόσια dici in contextu βασιλικῶν. Idque retuli, quòd publicorum, & vectigalium appellationem pro tributis apud noſtros quidam minimè agnoſcere videantur.

Χίασις. Χιασμός. Χιάζειν. *De famoſis libellis Pſalterium.* Ἐπιγράμματα. Χρηστομάθειαι. Χειάσματα.

Cap. XXXVI.

AIT Modeſtinus. Si Chirographum cancellatum fuerit, licet præſumptione debitor liberatus eſſe videtur, in eam tamen quantitatem, quam manifeſtis probationibus creditor ſibi adhuc deberi oſtenderit rectè debitor conuenitur, l. 24. de probat. Græca metaphraſis lib. 22. ἐὰν χιωθῇ τὸ γραμματεῖον, ὁ χρεώστης ἠλευθέρωται, πρὸς λήψεως, εἰ μὴ δείξει ὁ δανειστὴς ἔτι χρεωστεῖσθαι. quod etiam dicimus, ſi cautio reddita fuerit: nam videtur conueniſſe, ne pecunia peteretur, l. 2. de pact. Scribebant nempe debitores certas formulas, quas cautiones appellabant, l. lectas de reb. cred. Itaque vet. interpr. apud Luc. XVI. 6. γράμμα non modò litteras, ſed & cautionem reddidit, quo loco nõ minùs dici poteſt, Oeconomũ deleri cautionem voluiſſe, vel, vel aliud ſuperſcriberetur, vel aſcriberetur quã priori reddita aliam rurſus ſcribi iuſſiſſe, ait enim: δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ καθίσας ταχέως γράψον πεντήκοντα: *accipe cautionem tuam, & ſedens, celeriter ſcribe quinquaginta*, ex celeritate, non minus Oeconomi trepidationem, quam nouam conficiendam fuiſſe cautionem quis conijciat. De hoc ipſo Tertullianus lib. 4. aduerſ. Marcion. Admonens enim nos de ſæcularibus ſuffragia nobis proſpicere amicitiarum, ſecundum ſerui illius exemplum, qui ab actu ſummotus, domini-

minicos debitores diminuit, cautionibus releuat in ſubſidium ſibi. Similibus quoque verbis idem tractat in de fuga in perſecut. trahens hoc ad populum Iudaicum, vt & alij poſtea ſcripſerunt, ad populum Iudaicum dictum; qui commiſſam ſibi rationem Domini cum malè adminiſtraſſet, deberet de mammonæ hominibus, [puto legendum eſſe, nominibus] quod nos oramus, amicos ſibi potiùs proſpicere, quam inimicos, & releuare nos a debitis peccatorum, quibus Deo detinebamur. Quod diximus de reddita cautione, dicemus adhuc ſi cancellatæ ſint tabulæ, l. 1. ſi tab. teſt. null. extab. Nam ſi teſtator χιάσει voluerit teſtamentum non valere, vt Cyrillus ait, vocantur ij, qui veniunt ab inteſtato. Quandoque tamen non omnia inducta, vt aliqua rata dici poſſent, l. 2. de his, quæ in teſt. delen. χιάσαι puto ſcripturam vniuerſam examinaſſe, χ litteræ ad quatuor angulos protenſa. Gloſs. vett. χιῶ, χιασμός, *Induco cancello*. Add. *Caraxatura*, in teſtamento Bertichramni. Diuerſa ratione ab eadem littera Chiaſmus dictus ab Hermogene, alijſque: & notatur in illis: *non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam*. idem ſchema ſermonis, & litteræ.



Theophilus: οὐ μόνον ὅπλοις κοσμηθεῖσαν, ἀλλὰ καὶ νόμοις ὁπλισθεῖσαν. Dixit & Vitruuius lib. 1. c. 1. *pluribus telis diſciplinarum ſunt armati*, cum paulo ante dixiſſet, *vti omnibus armis ornati*. Onoſander principio Strategici: τοῖς ὑπάτοις, καὶ στρατηγικαῖς ἐξουσίαις κεκοσμημένοις: *conſularibus, & militaribus poteſtatibus ornatis*. χιάζειν rurſus, quantum pertinet ad poeſin, aliam longè diuerſam habet ſignificationem, vt ſcribit Suidas, & Pollux lib. 4. c. 9. Qua nota contraria quoque ſignificantur. Nam, vt ex Euſthatio, & alijs didicimus, Athenienſes littera χ, adulterinos nummos

mos notabant in contemptum Chiorum: Græci verò Critici ſuſpecta carmina, aut deculpata verba. Et eadem notata ſunt peculiaria ſiue verba, ſiue Dogmata Platonica, vt ſcribit Laertius. Famoſi etiam libelli ſimilibus notis inſcripti, quod quis conijciat ex his, quæ Nicetæ Chartophylaci propoſita fuere apud Orientales inter Reſponſa Patriarcharum. Quærebatur enim, cui pœnæ obnoxius eſſet σταυροὺς ἐν χάρτῃ οἰκείας χειρὸς ποιῶν, *Cruces in charta propria manu faciens contra proprium Epiſcopum, aut Poteſtatem, vel etiam contra priuatum quemuis hominem*, nempe *Charta* dicitur libellus, vt etiam eum definiunt Græci Interpr. Βασιλικ. lib. 60. tit. 63. quo loco relatus eſt Can. 18. Chalcedonenſ. vt & in Can. 21. Coniurationum, XI. quæſt. 1. & vberius pro interrogatione propoſita à Chartophylace. Nam addidit, ob huiuſmodi crimen, Clericos gradu excidere, Laicos excommunicari: deducens id ex eo, quod ſæpe Græci Canoniſtæ vſurpant, & Patres, *In quibus Clerici deponuntur, Laici excommunicantur*. hæc autem Eccleſiaſtica pœna eſt: cum Ciuilis ſit capitalis. *Chartulam* libellum dicit Anianus in Codic. Theodoſ. lib. IX. tit. 24. vt & habet l. 1. C. de famoſ. libell. & can. 21. Concilij Aurelianenſ. III. Attaliata tit. 88. φλυαρίαν ἐν χάρτῃ, vel, vt alij legunt, ἐν χαρτίῳ appellat. A Græcis etiam inteſtabilis alibi dicitur ὁ κατακλεισθεὶς ἐπὶ τῷ κολλῆσαι ταραχώδη φλυαρίαν, *damnatus* nimirum *ob tumultuoſum libellum*. Βασιλικ. lib. 21. Addit. Attaliata in Pragmatica, addunt alij Græci Βασιλικ. lib. 60. ἐν χαρτίῳ εἴτε ἐσφραγισμένῳ ἢ ἀσφραγίστῳ, *ſignato, vel non ſignato*, quod ad ſigillaria pertinere videtur, ſed trahi ne poſſet ad cruces, & notas, quarum mentio apud Nicetam? cum præſertim σφράγισμα quandoque crucem ipſam ſignificet, quam etiam imprecabantur, cum aliquem exſecrabantur, affirmare non auſerim. Sanè in notam aliquorum produci dicuntur Ἐπιγράμματα (ſic in Pand. Flor. non ἐπιθέσεις, vt Alciat.

volunt

voluit *nat.* 1 c.8. & 5. c. 4. & Prætermiſs. 2. quod & notat Auctor illius Auguſtinus Emendat. 4. c. 16. alijque) vel quid aliud ſine ſcriptura l. 5. lex Cornelia, §. fin. de iniur. Nam *ſine ſcriptura productum* dici puto quod notis, aut figuris, ſignis que famoſis, turpibuſue exaratum eſſet. Sed & vindicatur, ſi quid in alterius infamiam publicè cantatum fuerit, *Pſalterium* nempe, quod vulgò *Canticum* dicitur. Paull. ſentent. lib. 5. c. 4. idque antiqua Decem-virali lege, quà petulantia, & procacitas carminum, & canticorum coercebatur, vt ſcribit Arnob. lib. 4. & ex M. Tull. in 4. de Rep. refert Auguſtin. de C.D. lib. 2. c. 9. Priſca legis verba hæc creduntur: SEI. QVIS OCCENTASIT CASMENVE CONDVIT. QVOD. ALTERI. FLACITIOM. FAXSIT. KAPITAL. ESTOD. Similia verba in Plin. lib. xxiix. c. ii. ad aliud tamen, vt puto, pertinentia. Illius legis meminit etiam Horat. lib. 2. ep. 1. quo loco Porphyrio *fuſtuariam* credidit ſupplicium conſtitutum in auctorem famoſi carminis Add. de l. 15. de iniur. ago alibi. Feſtus: Occentaſſint, antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint, dicimus, quod id clarè, & cum quodam canore fit, vt procul exaudiri poſſit, quod turpe habetur, quia non ſine cauſa fieri putatur, inde cantilenam dici; quia illam, non cantus iucunditatem puto, quidam pro illis, quia illam, legendum monent, querellam. Paullus Diac. eodem ferme pacto hæc retulit. Proba igitur, & vera eſt priſca lectio apud Senecam lib. 5. controuerſ. 6. quam fruſtra quidam ſollicitant: Numquid cecini? numquid carmen famoſum compoſui, aut (vt proprium genus iniuriæ tuæ dicam) numquid te rapui? Cic. lib. 4. Tuſculan. Id etiam XII. Tab. declarant, condi iam tum ſolitum eſſe carmen; quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, leges ſanxerunt. Quod igitur Annali primo Tacitus ſcripſit, ad male-dicta referendum eſt, & ad Maieſtatis exercitionem, ad quam olim alia crimina pertine-

rent

rent, non hoc. Ait de Tiberio: Non tamen ideo faciebat fidem ciuilis animi, nam legem Maieſtatis reduxerat cui nomen apud veteres idem, ſed alia in iudicium veniebant. Si quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique malè geſta Rep. Maieſtatem Pop. Romani minuiſſet. facta arguebantur, dicta impunè erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis, ſpecie legis eius tractauit, commotus Caſſij Seueri libidine, qua viros, fœminaſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat. Mox Tiberius, conſultante Pompeio Macro Prætore, ac iudicia Maieſtatis redderentur exercēdas leges eſſe reſpōdit. Hunc quoq; aſperauere carmina incertis auctoribus vulgata in ſæuitiam, ſuperbiamque eius, & diſcordem cum matre animum. Sed redeo ad χ. quem characterem variè exprimebant: nempe modò ſimplicem, & decuſſatim ſcriptum, modò duplicem: aliquando περιεστιγμένον, aut etiam inſerta littera ρ. dicebant περιεστιγμένον, cum puncta duo adijciebant, hoc pacto .χ. Inſerebant ρ. dupliciter: in rectum, & per angulos. in rectum, ita ⳨; angulatim vero ſic exprimebant ☧. Quibus notis varia ſignificabant. Simplici, χ. aut etiam inſerta, ρ, χρήσιμα præcipuè, & χρηστομαθεῖαι, vel vt alij ſcribere malunt, χρηστομαθίαι deſignabantur: *Excerpta* nempe, vel, vt ex Valer. Probo reddunt, LL. ideſt *loca laudabilia*. Habentur *Chreſtomathiæ* ex Strabone: & in Photij Bibliotheca relatæ ſunt *Chreſtomathiæ Helladij Beſantinoi*, ac eiuſdem Photij *Ecloga*, ſeu, Plinij voce, *Electa ex Procli Grammatica Chreſtomathia*. Iſidor. de hac ipſa littera lib. 1. c. 2. *Hæc ſola ex uoluntate vniuſcuiuſque ad aliquid notandum ponitur*. Dixit Iſidorus, *ex voluntate*, intelligens hac nota conſignata fuiſſe

quæ quiſque animaduerſione digna duxiſſet, aut etiã multiplicem illius vſum his verbis ſignificare voluit, cum eadem damnanda quoque notarentur, vt proximè retulimus, quamquam verbis, aut locis deculpatis potius ſcrale θ appingerent: quod ὀβελίζειν dicebant, vt Pithœus, Caſaubonus, Schottus, alij pridem monuerunt, cuius etiam vſum in Breuiculis militum Ruffin. Inuect. 2. retulit. Mendosè quædam apud Caſſiodor. ſcripta ſunt huc pertinentia, de Diuin. lect. c. 1. *loca, quæ contra Regulas Patrum dicta ſunt, hæreſim diſputatione ſignaui.* Alij legendum monent, *Achreſimi repudiatione.* Ego puto ſcriptum fuiſſe, *Achreſimi diſpunctione*, ſic etiam c. 9. *Cui tantum in bonis dictis χρεσιμῶν, in malis ἀχρειστῶν, quantum tranſiens valui reperire, vt arbitror, competenter affixi.* Lego, *in bonis dictis χρήσιμον, in malis ἄχρηστον.* Iiſdem illis notis, ☧, aut ⳨ & Chriſtus, & Chryſoſtomus ſignificatur: qua captus ambiguitate Interpræs olim in Nouella Manuelis Comneni de Ferijs, die XIII. Nouembr. qua memoria Patris Chryſoſtomi celebrari dicitur, memoriam Patris Chriſti ineptè retulerat. In quibuſdam etiam Iſidori Codicibus Gothicis ea verba leguntur lib. 1. c. 4. *Et digni hoc tempore, quo Xbriſti nomen innotuit, quod per eam, quæ Crucis ſignum figurat, ſcriptitatur*, quæ tamen vt minùs Iſidoro digna, reiecta ſunt: nec ego ſanè reperio in mſs. quibus vtor. In lapidibus, & monumentis Conſtantini æuo, inſcriptio huiuſmodi frequentabatur:

A ☧ ω

Apocalypſ. 1. & 22. Vidi Cluſij lapideam Arcam ſic inſcriptam, & quantum illa tempora ferebant, eleganter inſculptam. Præferunt & inſignia Pontificum, ſed potius pietatis, quam gentilitia: præſertim poſt annum Chriſti CD. in nummis libris. Viſitur & in Patriarcheio Lateranenſi Romæ, & in alijs antiquis monumentis. Frequenter etiam vnica illa nota occurrit in Labaris, vt præferunt nummi ☧

eodem

eodem illo æuo cuſi. Luculenter de hoc Conſtantini Amuleto Euſeb. lib. I. de vit. Conſtantin.

Nomen Principis in ſtigmate tironum. Pœna illegitima, facies inſcripta. Obeliſci. Locus ad Galat. 6. Mos Barbaricus, ſtigmata vltro præferendi.

Cap. XXXVII.

QVod tirones olim pungerentur, in libris quoque noſtris relatum eſt, l. 3. C. de Fabric. lib. XI. quo loco ad hunc morem pertinentia complura obſeruata fuere. Brachijs, & manibus impreſſa huiuſmodi ſigna, quibus conſtat, nomen Imperatoris exaratum fuiſſe, l. 10. eod. lib. Cod. de aquæduct. *Vniuerſos autem Aquarios, vel Aquarum-cuſtodes, quos Hydrophylacas nominant, qui omnium aquæ-ductuum huius Regiæ Vrbis cuſtodiæ deputati ſunt, ſingulis manibus eorum felici nomine pietatis noſtræ impreſſo, ſignari decernimus.* Ad id pſum LXX. trahere quis dixerit illa Iſaiæ 44. *Iſte dicet, Domini ego ſum & ille vocabit in nomine Iacob. & hic ſcribet manu ſua Domino: & in nomine Iſrael aſſimiliabitur*, nam hæc poſtrema illi ſic vertunt; ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ θεοῦ εἰμί. ideſt: *ſcribet in manu ſua* add. (ſic vertit Hieron.) *Dei ſum* Ad hunc etiam morem reſpexit Hieronymus, ſcribens: *vt nouo tirocinio ſeruitutis, Chriſti ſe militem glorietur*, dicit, *tirocinio ſeruitutis*, quod & milites quaſi ſerui haberentur, ideoque ſtigmatias tiro, vt ſeruus. Ita forte & apud Ezechiel. virorum gementium frontes. Tau impreſſione ſignantur. Nam Apocalypſ. VII. 3. ſerui Dei ſignari dicuntur: ἄχρι σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν. Inde Crucis ſignum in fronte Fidelium: Tertull.

lib.2. ad vxor. Cyprian. lib. 2. contra Iud. c. 21. qua conſignabantur, cum primum initiabantur. Eamdemque aliqua materia inſculptam mox retinebant, quem morem obſeruat Baronius à Chriſto nato anno 293. Inter Medicos Aetius idem de militum notis retulit lib. 8. c. 12. *ſtigmata appellant, quæ ori, aut alteri cuipiam membro inſcripta ſint, qualia ſunt in militum manibus*. Barbarum ſeruum compuctum notis Threcijs, Alexandrum Pheræum infelici, & miſera ſuſpicione, cum ad coniugem veniret, præire iuſſiſſe, ſcribit M. Tull. & de his ipſis Nonius: *Stigmatias, Veteres, punctos in notis dici voluerunt. M. Tull. de offic. lib. 2. O miſerum, qui fideliorem, & barbarum, & ſtigmatiam putaret*. Adde: Vide & Laert. in Bione. De pœna legis Rhemniæ, & de K in frontibus Calumniatorum, ſcripſerunt alij. Fugitiuorum Epigramma notatum in Petronio, in Valerio Maximo lib. 6. c. 8. in Polluc. lib. 3. c. 8. & in l. 2. de fugitiu. vt & litteratæ frontes, & alia complura omnibus iam nota, & vulgata. Huiuſmodi frontis Inſcriptiones poſtea Principibus improbatæ, l. 17. C. de pœn. licet illegitima hæc pœna ſæpe à Tyrannis in Martyres ſit vſurpata. Sanctorum Theodori, & Theophanis frontes fuiſſe notatas, Græci ſcribunt lib. 60. tit. 51. idem in Actis, & in Quæſtionibus legimus, cum non modò ſuris, & alijs partibus, ſed etiam maxillis martyrum igniti obeliſci infigerentur. (ſic *obeliſci* nomen in Actis Proconſularibus Martyrum vſurpari animaduerti, licet ea ſignificatio vulgo minus recipiatur, in Gloſs. ὀβελίσκος, *Veru.*) Quod verò illegitima pœna non ſit, ſi ſuræ, aut manus inſcriptæ fuerint, conſtat & ex d. l. 17. & etiam ex Colonarijs legibus Harmenopuli Hexabiblo adiectis. Nam in tit. *de incendio*, pœna eius, qui tectum alienum incenderit, aut alienas arbores ceciderit, his verbis ſancita eſt: σφραγιζέσθω ἡ χεὶρ αὐτοῦ. *manus ipſius conſignator*, eidemque pœnæ obnoxius dicitur, qui vineæ ſæ-

pem

pem incenderit. Hinc ſtigmata in ſeruis quoque indicia criminum erant, adeoque famoſum, & contumelioſum ſtigmatiarum nomen. Caius tit. 1. lib. 1. Dedititij verò ſunt, qui poſt admiſſa crimina ſupplicijs ſubditi, & publicè pro criminibus cæſi ſunt: aut in quorum facie, vel corpore quæcumque indicia aut igne, aut ferro impreſſa ſunt; & ita impreſſa ſunt, ut deleri non poſſint. Hi, ſi manumiſſi fuerint, Dedititij appellantur. *Auguſtin. in Epiſt. ad Galat.* Stigmata dicuntur notæ quædam pœnarum ſeruilium: vt ſi quis verbi gratia ſeruus in compedibus fuerit propter noxiam, ideſt propter culpam, vel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur, & ideo in iure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis, *Vlpian. tit.* 1. Dedititiorum numero ſunt, qui pœnæ cauſa vincti ſunt a domino: quibus veſtigia ſcripta fuerunt: qui propter noxiam torti, nocenteſque inuenti ſunt: quiue traditi ſunt, vt ferro, aut cum beſtijs depugnarent: vel in cuſtodiam coniecti fuerint, deinde quoquomodo manumiſſi ſunt. *id & in l. Aelia Sentia continebatur. Theophil. lib. 1. tit. 5. de Libertin.* δῆλον ἐὰν διὰ τὸ πταῖσμα λάβῃ στίγματα κατὰ τοῦ μετώπου, ἤγουν ἐμβληθῇ ἐν δημοσίᾳ εἱρκτῇ, ἢ καὶ διὰ τὸ πταῖσμα τυπτόμενος ὁμολογήσει τὸ πταῖσμα, καὶ μετὰ ταῦτα ἄνευ γενομένης τῷ δεσπότῃ, ἐλευθερωθῇ, ἐγένετο δεδιτίκιος ἀπελεύθερος. Cuius appellationis mox cauſam referens, ait: Hos autem dedititios dixit, ad exemplum peregrinorum, quidam enim peregrinorum vectigales quondam Romanorum, cum rebellantibus animis in eoſdem arma ſumpſiſſent, collatis ſignis, a Romanis deuicti fuerunt, impares nimirum eorumdem virtuti ſuſtinendæ, armis abiectis, ſe ipſos dediderunt. At Romani, ex commiſeratione, precariam illis vitam concesserunt, nomineque tantùm multatos, dedititios appellauerunt, quod nempe ſeſe dedidiſſent. Igitur & hi Libertini à Lege Aelia Sentia Dedititij dicuntur. Hæc ipſa dicere voluit antiquus Gloſſographus: *Dedititij*, οἱ, μετὰ τὸ πληρωθῆναι, τῇ τῶν νικησάντων

πολεμίων ἐξουσίᾳ ἑαυτοὺς ἐπιτρέψαντες. In Gloſſar. Iſidor. *Damnatitius, dedititius*, & rurſus: *Datitius relatiuum non eſt, ſed Dedititius, id eſt, ſi barbarus dedat ſe Romanis, dedititius id eſt.* Video tamen apud gentes quaſdam, id minimè ignominioſum habitum eſſe. Tertullian. de veland. virgin. Debebant & ipſi aliqua ſibi inſignia defendere, aut pœnnas Garamantum, aut ſtrobulos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut ſtigmata Britonum. *Iſidor. Origin lib. 19. c. 23.* Nonnullæ enim gentes non ſolùm in veſtibus, ſed in corpore aliqua ſibi propria, quaſi inſignia, vindicant; vt videmus cirros Germanorum, granum, & cinnabar Gothorum, ſtigmata Britonum. Quin etiam ſectatores, & diſcipuli, ſeu deuoti conſignabantur, &, vt ait Prudentius in Martyrio Romani, *accipiebant ſphragitidas*, add. Vide, & Leuit. c. XIX. 28. Irenæus lib. 1. c. 24. *Alij vero ex ipſis ſignant cauteriantes ſuos in poſterioribus partibus exſtantiæ dextræ auris*, intelligit Carpocratianos, de quibus idem retulit Epiphanius ſimilibus verbis, nam ſtigma appellat σφραγῖδα ἐν καυτῆρι, quod itidem inureretur ἐπὶ τὸν δεξιὸν λοβὸν τοῦ ὠτός, in cauſa fortè fuit, vt ita profeſſionis admonerentur, nam exſtantia auris memoriæ ſacra, quæ tangebatur etiam in conteſtatione, vt alibi dicam in his libris. Gloſs. vett. *Exſtantiæ*, Ἐξοχαί, & alibi: *Lannæ*, λοβοί. Rurſus: λοβὸς ὠτίου, *Lamna*, fortè quod laminæ ſimilis ſit, quin & lamina cutem vſtulabant. Prudent. *Inſignis auri lamina inſignit cutem.* Philo de Monarchia, notas corporibus inuſtas dicit σιδήρῳ πεπυρωμένῳ, *ignito ferro.* Sic accipio, & illud Apoſtoli ad Galat. VI. *de cætero, nemo mihi negotium faciat: Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto:* Alios dixerat, ita captare gloriam, vt in carne Galatarum, ex veſtigio, & nota circumciſionis nempe, gloriarentur, veluti qui complures proſelytos feciſſent. Iudæi enim vt vnum proſelytum faciant, mare, & aridam circuire dicun-

tur,

tur, Matth. XXIII. 15. ſe verò non huiuſmodi gloriam appetere, nec perſecutionem hac ratione ſubterfugere: ſed & tantùm abeſſe ab huius gloriolæ lenocinijs, & blandimentis, vt ipſe potiùs vltrò ſtigmata in ſuo corpore præferret, tamquam ipſe ſeruus, & neminem habens in poteſtate, ſed in poteſtate communis Domini poſitus, quin & in profeſſione ſeruitutis gloriaretur, & Crucem, & Stigmata, quæ alij ad contumeliam trahant, ad gloriam pertinere crederet. Hieronymus: *Vt de carne veſtra apud Iudæos laudem habeant, ſiue quod diſcipulos ad ſe traxerint, glorientur*.

De Pandectarum, & Digeſtorum Epigraphe Cap. XXXVIII.

LEges & olim dicebantur Legum capita, vt hodieque appellamus. Græci κεφάλαιον, *Capita* dixere; Pandectarum verò, *Digeſta*; nam vt nos dicimus legem primam, legem ſecundam; ita ipſi vocant digeſtum primum, digeſtum ſecundum. Legimus apud Euſtathium ἀξ. χειρικῶν διατάξεων, & apud alios. Hinc etiam intelligimus, quænam ſit vocis *Digeſtorum* alluſio. Nam *Digeſta* dicta, quod contineant διακεχωρισμένα τε, καὶ διατετυπωμένα νόμων, nempe quolibet digeſto illius centonis, caput aliquod, aut aliqua pars antiqui iuris continetur. Miſeræ cladis fatalia λείψανα. An alludit, & ludit in his Arnobius quoque lib. 3. ſi modò liquet, & conſtat, *inquit*, præter ipſum Regem, & Principem, eſſe alia non capita, quæ digeſta, & ſeparata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. Antiquus Gloſſographus: *Digeſtam*, Διάστρωμα. At *Pandectæ* dicti, ἐπειδὴ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι, in Conſtitut. δέδωκεν. Igitur non video, qua ratione princeps noſtræ tempeſtatis Lexico-graphus in con-

trouer-

trouerſiam reuocet, an Epigraphe Pandectarum Græci vſi ſint; quaſi ſcutica, & flagris dignus eſſet Tribonianus, ſi πανδέκτας βίβλους dixiſſet, & voces illas illegitima quadam coniunctione copulari voluiſſet, add. Harmenop. 1. tit. 1. §. 6. πανδέκτην, ὡς πάντων δεκτικὸν τῶν νόμων ἐκάλεσεν. Idem: ἃ (βιβλία nempe) ὡς πάντων δεκτικά. Hanc præcipuè Conſtitutionem (nam in Primordijs Pandectarum, & alibi idem dicitur in alijs) Criticus fortè minùs perſpectam habuit, aut id ei mente exciderat, quod in ea ſcribit Tribonian. ὅπερ βιβλίον *Digeſta*, ἤτε Πανδέκτην προσαγορεύσαμεν. Hac ratione neque βιβλίον *Digeſta* dici poſſet. Sed potius credendum eſt, Tribonianum, & Symmyſtas reliquos, etſi Græcos, in Romanæ Iuſtitiæ templo, vt aiunt, ſeu in opere Romano in noua Roma interpolando, Romanorum I. Conſultorum perſonam ſuſtinere voluiſſe, & πατρῴαν φωνὴν vt alibi in Nouellis dicitur, vſurpaſſe, adeoque Libros Pandectas intellexiſſe. Nam & Vlpianus, & Modeſtinus eadem *Pandectarum* inſcriptione vſi ſunt, vt *Digeſtorum* Iulianus, Alphenus, Celſus, alij: docet aureolus Index Pandectarum. Illecebroſa vox: propter quam vadimonium deſeri poſſe, verè Plinium dixiſſe, res ipſa clamat, cum imperfectos Pandectas nos accepiſſe, ex Græcis alij obſeruauerint. Tironi placuit, vt Gellius ſcribit lib. XIII. c. 9. & Soſipater lib. 2. ſed & alijs pleriſque. Exſtat hodieque Pandectes Hiſtoriæ Turcicæ, ſunt & Medici Pandectæ quidam, ſed minùs manibus Aſclepiadarum teruntur, & latent ferè in angulis, tineis, blattiſque confecti, corruptique. Beda de Orthograph. *Pandecta, omnia ferentes. Ideo vetus, & nouum teſtamentum, ſi inſimul ſcribitur, Pandectes dicitur* add. Caſſiodor. de Diuin. lect. lib. 1. c. 14. *Ideoque vobis, & Græcum* Pandecten *reliqui comprahenſum in libris* 75. Ad hanc originationem, & ſignificationem, noſtrorum Pandectarum Conditores reſpexerunt. Nam & alia ſignificatione Pandectæ dicuntur, quæ

cum

cum Digeſtis minùs conueniat, nec ſanè confundi velim, vt quidam fortè faciunt. Dicunt enim Pandecten dici poſſe, quod veluti per ſaturam collecta recipiat: & verum eſt. Ita Stoici, Orationis partem, *aduerbium* dico, πανδέκτην vocabant: *Nam*, vt ait Chariſius, *omnia in ſe capit, quaſi collata per ſaturam.* Rurſus apud eumdem: *Nam cum* πανδέκτην *iure dicatur, cur non alliget conſortium ſui?* Sunt etiam, qui *ſtipulationem*, *Pandecten* appellent, quod omnes actiones, obligationeſque, quaſi per ſaturam collatas, recipiat. Sed hac notatione πανδέκτης a Digeſtis abhorret, quod per ſaturam collata, potiùs perturbata dicantur. in Proem. Digeſtor. *Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non ſecundum Edicti perpetui Ordinationem, ſed paſſim, & quaſi per ſaturam collectum, & vtile cum inutilibus miſtum, maxima parte inutilibus deputata.* Sane *ius Papirianum*, vt opinor, *iuris Regij Pandecten* dicere poſſumus, id in eam notam minimè incurrit. Nam Papirius Regias leges ſine ordine latas in vnum compoſuit, vt Pompon. ſcribit in l.2. de orig. iur Illa priori ratione, *Hiſtoriam per ſaturam*, Peſcennium Feſtum appellaſſe crediderim; quam laudat Lactant. de falſ. relig. lib. 1. c. 21. nam cęteroqui temporum ordo, & ſeries in Hiſtoria ſeruatur. Hinc etiam *Satura lex*, *Miſcella* nempe, quæ varia capita contineret, qualis *Iulia Papia Poppæa*. Gloſs. Vett. *Satura*. νόμος πολλὰ περιέχων. Nam *Satira lex* non eſt aliqua lex quæ hoc proprio nomine cenſeatur, ſed *Satiræ leges* dictæ quæ ex diuerſis legibus, ideſt ex varijs capitibus conſarcinatæ eſſent. Iſidor. Origin. lib. V. c. 16. Feſtus apud Paullum Diac. *Satura, & cibi genus ex varijs rebus conditum eſt, & lex multis alijs legibus conferta. Itaque in ſanctione* (male apud Paull. *in ſectione*) *legum adſcribitur: NEVE PER SATVRAM ABROGATO, AVT DEROGATO*, quod ipſum vult. l. 1. C. de Lat. lib. toll. Addit: *T. Annius* (in Schedis Feſti, *T. Ennius*) *luſcus in ea, quam dixit*

aduerſus Ti. Graccbum: Imperium, quod Plebs per ſaturam dederat, id abrogatum eſt, & C. Lælius in ea, quam pro ſe dixit: Dein poſtero die, quaſi per ſaturam ſententijs exquiſitis, in deditionem accipitur. Apud eumdem. *Satura & cibi genus dicitur ex varijs rebus conditum: & lex multis alijs conferta legibus: & genus carminis, vbi de multis rebus diſputatur,* conſimilia quædam leges apud Diomedem lib. 3. apud Saluſtium, & alios, vt complures notant poſt Alciat. de V.S. lib. 4. Quam vtique ſignificationem, ſi quis Pandectis noſtris impingat, ne is Triboniani os verberare, aut quaſi turbatæ Iuris-prudentiæ arceſſere velle videbitur. Dicemus igitur, id modo Pandectarum nomine ſignificari, quod vniuerſa ad ius pertinentia in vnum collata hi libri receperint, Ordinis tamen ad præſcriptum in compluribus Edicti perpetui, habita ratione. Et ab hac eadem mente Pandectarum Syntagma ἀσπὶς τῆ ἡρακλέως, *Herculis clypeus* ob rerum pulcherrimarum, & tot antiquorum fragmentorum, quæ ad ius pertinent, varietatem, meritò, & venuſtè appellabitur, quod legimus in græco hexaſtico Florentinor. Pandectar. fronti præfixo. Quæ ſi vera ſunt, intelligemus etiam, vt puto, cur non ſola Pandectarum voce, ſed & Digeſtorum appellatione Tribonianus vti voluerit, cur poſteriorem potiſſimum recenſuerit, adeoque priori loco vſurpauerit.

De pœna parricidij. Surrigi. Concedi. Viui-comburium. Cap. XXXIX.

DE pœna parricidij, quam Modeſtinus refert in l. 9. de l. Pomp. de parricid. ex ſententijs Hadriani hoc amplius accepimus, Reum ſuper plauſtrum iunctum nigris bobus ad mare deferri, & in profundum mergi debuiſſe. Sententia ſic habet: Εὐσεβέστατε ἴσθι τοιοῦτο τὸ τρόπον τῶν πανουργησάντων, ὅπως ὅστις πατροκτόνον πεποιηκε, δημοσίως εἰς μίαν ... πυρὰ.

περιφθεὶς σαυρᾷ μετὰ ἐχίδνης, καὶ κυνὸς, καὶ πιθήκου, καὶ ἀλέκτορος, ἀσεβῶν ζώων ἀσεβὴς ἄνθρωπος, καὶ ἐπὶ ἁμάξης ἐζευγμένης μελαγχοῖς βουσὶν κατενεχθῇ εἰς θάλασσαν, καὶ ῥιφθῇ εἰς βυθόν. Antiqua Interpratatio apud Philoxenum: *Fuit lex quadam huiuſmodi omnibus hominibus, vt qui parricidium feciſſet publicè in culleo miſſus conſueretur cum vipera, & cane, & ſimia, & gallo, impijs animalibus impius homo, & ſuper plauſtrum iunctum nigris bobus deferretur in mare, & proijceretur in profundum.* Fulgentius de priſc. ſerm. *Culleus dicitur ſaccus, in quo rei concluſi in mare mittuntur. Plaut. Vidularia: Iube nunc inſui culleo, atque in altum deportari, ſi vis annonam bonam.* Conſtantinus eamdem pœnam poſtea renouauit, & reum in mare, vel in amnem (Anianus, *in quolibet gurgite*) proijci voluit. C. Th. lib. IX. tit. 12. C. Iuſtin. lib. IX. tit. 17. Iuuenal. Sat. IIX.

Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, nec ſerpens vnus, nec culleus vnus.

Ad quæ Vet. Schol. ita ſcribit. *Hoc ideo, quia parricidis in culleo clauſis, ad pœnam Simia, & ſerpentes iungi ſolebant.* Idem Sat. XIII.

Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.

Ad quæ Interpr. *Culleo nam inſui conſueuerant qui hæc ſcelera tentarent, id eſt parricidæ, cum ſimia, & ſerpente, & in mare mitti.* Ad eam Hadriani ſententiam reſpexit Modeſtinus cum ſcripſit: *hoc ita, ſi mare proximum ſit, alioquin beſtijs obicitur ſecundum D. Hadriani Conſtitutionem.* Eiuſdem ſuccedaneæ pœnæ meminit, & Marcianus in l. XI. perſpiciendum, de poen. *Capitis pœna eſt, beſtijs obici, vel alias ſimiles pœnas pati, vel animaduerti.* Alibi quoque mentio ſimilis pœnæ apud aliquem ex priſcis I. Conſultis, cuius verba, vt puto, hodie non exſtant. A veteri Gloſſographo ex Libris iuris ita ſcriptum animaduerti: *Ad ſubrigenda, lib. de Offic. Proconſulis,* εἰς ὑπόρρωσιν τιμωρίας. Idem

Pppp 2 alibi:

alibi: ***Subrigit*** ,Ὑπορθοῖ, Ὑποστηρίζει. ***Subrigo***, Ἀναβιβάζω, Ἀνορθῶ. Et rurſus idem alibi: Ὑπορθῶ, ***Brigo, Subrigo, Fulcio***. Quæ aliter ſi quis acceperit, vt quidam accipit, niſi fallor, aberrauerit. Sed parcendum eſt manibus viri doctiſſimi, & optimè de Iuris-prudentia meriti, ne cum Laruis luctari videamur. Qui beſtijs obijciebantur, ad ſtipitem aliquando deligabantur, ideſt ſurrigebantur. Vopiſcus in Aureliano: ***Sanè Mneſtheus poſtea ſurrectus ad ſtipitem, beſtijs obiectus eſt***. Tertullian. de pudicit. c. vlt. ***puta nunc ſub gladio iam capite librato, puta in patibulo iam corpore expanſo, puta in ſtipite iam leone conceſſo: puta in axe iam incendio adſtricto***, quo loco quidam legi volunt, ***puta in ſtipite iam leoni conceſſo***, ſed mihi non perſuadent. ***leonem conceſſum*** accipio, emiſſum, & e cauea productum, facta exeundi poteſtate. Similè notat Nonius lib. 4. ***Remiſſum, ſignificat conceſſum*** Trebell. Poll. in Gallienis. ***Idem cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet eius vxori atque illa, re prodita, vindicari vellet, ſurrigi, quaſi ad leonem, venditorem iuſſit. Deinde e cauea caponem emittit, mirantibuſque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iuſſit, Impoſturam fecit, & paſſus eſt; deinde negotiatorem dimiſit***. Quod autem dicit Tertullian. ***in axe iam incendio adſtricto***, explicat idem Apologetic. c. 50. Nam ***ſemaxij*** appellabantur Chriſtiani, ab axe, ad quem religabantur, ***licet nunc ſarmentitios, & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti, ſarmentorum ambitu exurimur***. Significat ***Viui-comburium***, quæ vox mihi lecta apud eumdem, vt puto, in lib. de anim. Hanc ***ſummam pœnam*** idem dicit, ***ad Martyres***. Noſtri quoque, licet ſummum ſupplicium aliud dixerint, eamdem tamen pœnam ſummam eſſe crediderunt. Paullus ſanè Sent. lib. 1. tit. 23. Magicæ artis conſcios, ſummo ſupplicio affici placuiſſe refert, Magos vero viuos exuri. Calliſtrat. in l. 28. de pœn. Capitalium pœnarum ferè iſti gradus ſunt. Summum ſupplicium

eſſe

Digitized by Google

eſſe videtur ad furcam damnatio, item viui-crematio, quod quamquam ſummi ſupplicij appellatione meritò contineretur, tamen eo quod poſtea id genus pœnæ adinuentum eſt, poſteriùs primò viſum eſt, ſcripſerat Calliſtratus, ad Crucem damnatio, ſed ſublata Crucis pœna à Conſtantino, vox etiam in libris iuris à Triboniano immutata, vt alij notarunt. Tacit. de Chriſtianis, Annal. XV. Et percuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut Crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur, priori loco antiquioris ſupplicij meminit, eodem ordine, quo Calliſtratus, licet acerbior, & ſeuior haberetur flamma. Hæc & in crimine Maieſtatis aliquando vſurpata, niſi fallor, indicat l. 2. C. de falſ. monet. Vulcat. Gallican. in Auidio: Sed eos Commodus Antoninus poſt exceſſum diui patris ſui, omnes viuos incendi iuſſit, quaſi in factione depræhenſos. Equidem *in factione deprahenſos*, accipio *rerum nouarum cupidos*, vt olim dicebant, ſeu qui noua molirentur, ita *inire factionem* dicitur in l. 5. C. ad l. Iul. Maieſt. Gloſs. *Factioſus*, Νεωτεριστής. *Factionem*, ζυσκδλω, & alibi: σαυσκδαςυς, *Facionarius*, quam vocem ad ſpectacula quoque referri ſcio. Frequenter legimus, viui-comburio Martyres exſtinctos: Nam & Impietatis, & Maieſtatis arguebantur, & hoc præſertim crimen prætendebatur, cum illud Principali Edicto non vindicabatur. Magiſtratus enim iuramentum per Genium Principis exigebant, recuſantes animaduertebantur: quod in Actis Martyrum Scitillanorum legimus, Seuero Imperante. Cum verò veluti ſacrilegij, & impietatis rei producebantur, pœnæ exacerbabantur, quod ſacrilegium grauius ſit crimen, l. 1. ad l. Iul. Maieſt. licèt poſtea mitius, & clementius iudicibus id punire permiſſum fuerit, l. 6. ad l. Iul. peculat. Eadem ignis pœna in haruſpices à Conſtantino ſancita, l. 3. C. de malefic. & Mathematic. Et licèt de pœ-

narum

narum moderatione quædam conſtituta fuerint, vt quod in nullo delicto liceat Iudici exarthare, vt loquitur Iulian. Anteceſſor. in nouell. 134. non vtrumque pedem, aut vtramque manum abſcindere: Viui-comburium tamen in compluribus delictis infligitur, ita viui comburuntur qui ſcelerata factione barbaris facultatem deprædationis in Romanos dederint, ait idem Conſtantin. in l. 9. de re milit. C. lib. XII. ſed & parricidæ poſtea ſic puniti, quod Græci docent lib. 60. tit. 40. Marcian. dixit teneri pœna ea, *quæ eſt legis Corneliæ de Sicarÿs*, l. 1. de l. Pomp. de Parricid. Index, & Cyrillus lege de parricidis teneri dixerunt. Contextus Baſilicῶ Viui-comburium expreſſit, πυρὶ παραδίδοται, *igni datur*. Quod refert etiam Harmenopulus lib. 6. §. 16. Idem Paull. Sent. lib. V. tit. 24. *Hi etſi antea inſuti culleo in mare præcipitabantur, hodie tamen viui exuruntur, vel ad beſtias dantur*, Add. Firmicus de err. profan. relligion. *Quid enim merebatur aliud parricida, niſi vt perpetua mutatione flammarum ante ſententiam Dei quotidie flammis vltricibus concremetur?* Itaque pœna, quæ more maiorum introducta fuerat abolita eſt: & reuocata rurſus a Conſtantino. Comburuntur & Iudæi, qui in Neophytum ſeditionem mouerint, l. 3. C. de Iud. & Cælicol. & Verberones, qui cum domina concubuerint, l. 1. C. de mul. quæ ſe prop. ſeru. iunxer. quod & in crimine raptus, miniſteria ſeruilis conditionis patiuntur, l. vn. §. fin. C. de rapt. & Tabularij, qui cuiuſpiam iniuſtam profiteantur immunitatem, l. 1. de immunit. nom. conced. lib. X. vide ll. 8. 28. & 38. de pœn. & l. 9. vbi cauſs. fiſcal. & l. vn. C. de Nili agger. & l. 9. de incend. De Viui-comburio hæreticorum, & aliorum, nil addo: vt & alia complura prudens omitto. Vulgus etiam cum aliquem execratur, cum in deuotum caput pœnas maximas exigit, inter diras flammam imprecatur. Apul. lib. 2. *Sæuire vulgus interdum, & facti veriſimilitudine ad*

crimi-

Digitized by Google

criminis credulitatem impelli. Conclamant ignem, requirunt ſaxa. Apud Ammian. lib. XXXI. *Viuus ardeat Valens.* Lucianus tamen flammam alicubi (in opere damnato) velociorem, ac properantiorem eſſe voluit. Et ſane memini me quandoque apud Dionem Chryſoſtomum notaſſe, in Dialogiſmo 51. qui Neſſus ſeu Deianira inſcribitur. Herculem quoque *Viui comburium* molli comburio prætuliſſe: ſi licet hoc pacto languorem ex affluentia; & delicijs contractum appellare. Elegantiſſima, & grauiſſimo Philoſopho digna fabulæ illius explicatio. Verba Dionis: εἰ ἀσθένειαν, καὶ μαλακίαν ἐμπεσὼν τοῦ σώματος, καὶ ἡγησάμενος μηκέτ' εἶναι ῥᾴδιον ἀψάμενος τρυφῆς ἀποθέσθαι αὐτὴν, οὕτω δὴ ἐνέπρησεν αὐτὸν. ἅμα μὲν κρεῖττον ἡγούμενος ἀπηλλάχθαι τοῦ τοιούτου βίου, ἅμα δὲ δυσχεραίνων ἔτι ἠνέσχετο τρυφῆς ἅψασθαι. Contra Cæſar. Dialog. 2. Herculem in Tyro abominabilem igni conſumptum propter improbitatem dicit.

Offerre. Ingenium. Viſiones. Κενὴ μακαρία *In Apuleio Gloſſema indicatum. Taciti vera ſententia.*
Cap. XL.

VEtant Imperatores, certis locis Picturam offerre Pantominum, aut Agitatorem, Hiſtrionemue, vel alium ab arte famoſum in l. 4. de ſpectac. C. lib. XI. Imagines aliquando dictæ etiam marmoreæ, aut argenteæ, l. 6. ff. fin. de aur. arg. mund. Alibi a ſtatuis diſtinctæ, nec paſſim extra Principale beneficium permiſſæ, l. 1. & 2. C. de ſtat. & imagin. Iure igitur vetitum, propudia hominum offerre. Aptè dixerunt, *picturam offerre*. Sic & ſpecies, & idola, & ſpectra oblata dicuntur, quaſi diuinitùs mortalibus oculis edita: vt de Africa Curtio Rufo oblata ſcripſit Tacit. Socrates vocem quoque oblatam, quin & ſignum aliquando

do oblatum ſibi dicebat, ſic nempe verba Socratis reddidit Apuleius non mirum, quod is in auribus oculatus eſſet, in oculis auritus. Ita tacentem adoleſcentem aliquando conſpicatus, niſi loqueretur, ſe nequaquam eum videre dixit. Platonis verò ingenium de exteriori conſpicatus eſt, Apul. ait in *de Dogm. Plat.* Nam, vt id obiter moneam, eam reperio in antiquis libris illius loci ſcripturam: vt dixerit Socrates, ſe de exteriori Platonis ingenio, ideſt de filo corporis coniecturam feciſſe intimi. Gloſſæ: *Ingenium*, Ευφυΐα, Φύσις, Ἕξις. Ingenium ad inanima quoque trahi, iam antea innotuit. Tertull. de hab. mul. c. 2. *herbarum ingenia traduxerant*. In l. 7. C. de bon. proſcript. & plena deſcriptio compræhendat, quod ſpatium, & quod ſit ruris ingenium. Nonius lib. 4. Ingenium Veteres dixerunt, & ſua ſponte, vel natura. Næuius Licurgo: Vos, qui regalis corporis cuſtodiam Agitis, ite actutum in frondiferos lucos, Ingenium, arbuſta, vineta ſunt, non obſcuritas. Saluſt. Hiſtor. lib. 3. Caſtriſque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. Virgil. Georgic. lib. 2. Nunc locus aruorum ingenijs, quæ robora cuique, Quis color... In vulgatis Apuleij editionibus τὸ *facie* gloſſema eſt. Comprobat appoſitè Gellij locus lib. 1. c. 9. Iam à principio adoleſcentes, qui ſeſe ad diſcendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. id verbum ſignificat mores, naturaſque hominum coniectatione quadam de oris, & vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu ſciſcitari. Illud etiam hoc loco ſub-monebo, Platonis verba in Phędro manca Interprætem retuliſſe. Nam cum dixiſſet Socrates, τὸ δαιμόνιόν τε, καὶ τὸ εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο, & dæmonium, & quod mihi offerri ſolet ſignum, oblatum eſt: mox ſubdidit, καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι: & vocem quamdam indidem audire viſus ſum. Interpræs non vocem quamdam, ſed vocem reddidit. Quod ſi quis id leue duxerit, & verba Platonis tum alibi, tum in Apo-

logia, & Platonicum Apuleium ſuadeo legat in libello de deo Socrat. Ita dæmonum genus τοῖς ἀνθρώποις φανταζόμενον, καὶ προσφθεγγόμενον appellat Maxim. Tyr. in priori Diſſertat. de Deo Socr. Vocem etiam oblatam, aut viſam legimus alicubi apud Prophetas, & in Apocalypſi, ſed & ipſi Prophetæ *Videntes* dicti, 1. Reg. 9. de quo tamen ſeorſim agere decreui. Fulgent. Mythologic. lib. 2. ad rem: Primam Paſiphaën, vt viſum, quaſi Paſiphanon, quod nos latinè omnibus apparentem dicimus. Viſus enim reliquos quatuor inſpicit ſenſus, quia & eum, qui clamat, videt, & palpanda notat, & deguſtata adſpicit, & odoranda intendit. Reſpicit hæc omnium tamen expers eſt. Idem alibi: Tantalus enim græcè quaſi θεὰν θέλων, ideſt Viſionem volens. Omnis enim auaritia ieiuna fruendi vſu, ſola viſionis imagine paſcitur. Oſtenta, & prodigioſas viſiones, φαντάσματα Græci vocant, vt auctor eſt Vlpian. in l. 38. oſtentum, de V. S. In veter. Gloſſar. φάντασμα *Larua Viſio, Oſtentum* In Gloſſis Iſidori: *Mania, formidinum imagines.* quales Aiaci obtuliſſe ſeſe Minerua dicit apud Sophoclem:

—— δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι
γνώμας βαλοῦσα. ——

Viſiones item, & φαντασίαι, pictorum conceptus dicuntur, quibus concipiendis præſtantem fuiſſe Theonem Samium, Quinctilian. ſcribit lib. 12. c. 10. Lucianus autem in Antiocho Zeuxin. Zeuxin, quem dæmonem Athenienſium pinxiſſe fama eſt, mirabili argumento: ſed maiore vſus eſt adhuc qui tonitrua, fulgetra, fulgura, brontem, ſteropenque, alia quoque, quæ pingi nequeunt, pinxit, vt verbis auctoris huius rei vtar, alieno nempe periculo narraturus. Eo proceſſerat ars illa, quæ principio rudis, res exprimere, niſi addita inſcriptione, neſciebat. Aelian. lib. 10. Plin. lib. 35. c. 3. *ideo & quos pingerent, adſcribere inſtitutum.* φαντασίας forte, aut quid ad eas pertinens idem Plin. dice-

re voluit c. x 1. cum cogitationum meminit, quæ in imperfectis operibus appareant, vt & lineamenta reliqua. *Viſiones* notatione ſimili vſurpauerunt I. Conſulti noſtri varijs Pandectarum locis (nempe, vt ait Philo de Mundi opiſic. quod mens in animo, id oculus in corpore) pro his nimirum, quæ θεωρίαι appellantur, ſeu mauis Inſpectiones, quaſque *ſpecies* non diſſimili voce nuncupamus, l. 25. ſed & ſi lege, §. adeo, de hered. petit. l. 8. §. 2. ad Velleian. l. 29. ſi fideiuſſor, §. in omnibus autem viſionibus, mandat. l. 25. cum de indebito, §. in omnibus autem viſionibus, de probat. l. 2. §. ſi quid autem, C. de vet. iur. enucl. θεωρίαι in græca conſtitutione de confirmat. Digeſtor. §. 13. ad quas etiam θεωρίας, & hypotheſes fortè reſpexit Hieron. in Ezechiel. dum agit de Viſionum Propheticarum coniunctione, quidam tamen ſuſpicantur *Viſionis* vocem in Pandectis, non antiquorum Prudentum, ſed a manu Triboniani eſſe. Plin. ad Traian. ep. 64. *ſpeciem* dixit, *Nam hæc quoque ſpecies incidit in cognitionem meam*. Hæ viſiones, & ſpecies, vt puto, in regulam contrahebantur, vt eſſent quaſi cauſæ coniectiones, vt Sabinus ait, l. 1. de reg. iur. quæ antequam cauſæ agerentur, olim vſurpabantur, cum per indicem, ſicuti loquitur Aſcon. in 3. in Verr. & Tribon. in §. fin. de publ. iudic. rem exponebant: παχυμερῶς nempe, & vt ait Theophil. διὰ σαυτόμου παραδόσεως, quod eſt ἀκρωδάκτυλῳ γεύσασθαι τῷ δακτύλῳ, *ſummo digito guſtare*. Add. in l. 40. ad l. Aquil. *ſummatim exponere*. Sicuti *admonitoria per indices* dicuntur in l. 1. §. noſtram, C. de vet. iur. enucl. Hinc etiam dictæ apud Rhetores προθεωρίαι, quæ ante declamationes ponuntur. Quâ voce vtuntur & Græci Interpræes, aliter tamen, id eſt non vt ſpecies contrahant, ſed vt quamdam præuiam inſpectionem proponant, quod præcipuè ad Paraphraſten pertinere videtur, adeoque ſæpe legimus apud Theophil. ἔχε ταῦτα ὡς ἐν προθεωρίᾳ. *Habeto hæc veluti præuiam quamdam inſpectionem*. Scripſit & Marinus inter-

Mathe-

Mathematicos ὑποθεωρίας. Igitur *oblatum* dicetur non modò quod oculis ſubijciatur, ſed etiam quod animo ipſi quandoque voluamus, & agitemus, imagines nempe quaſdam nobis ipſis offerentes vana ſpe, vt poſtea fiat quod eſt in prouerbio, θησαυρὸς ἄνθρακες, *Theſaurus carbones*. eſt autem ea felicitas, ἣν κινῶν μακαρίαν ἐκεῖ πολλοὶ κατὰ εὖ τι, vt Lucian. ait in *Nauigio*, ſeu εὐχαῖς. Italicum vulgus appellat, *Caſtella in aria*, quo figmenti genere non pauci delectantur, & vero ſimile eſt, in conuiuijs quoque, aut animi gratia morem huiuſmodi antiquos vſurpaſſe, quem odorari licet ex Senec. de benef. lib. 3. c. 27. & ex lege Timolai, quam Lucian. in eodem libello habet. Quinctilian lib. 6. c. 2. Quas φαντασίας Græci vocant, nos ſanè viſiones appellemus: per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur, has quiſquis benè conceperit, is erit in affectibus potentiſſimus. Hunc quidam dicunt εὐφαντασίωτον, qui ſibi res, voces, actus ſecundum verum optimè finget: quod quidem nobis volentibus facilè continget. Nam vt inter otia animorum, & ſpes inanes, & velut ſomnia quædam vigilantium, ita nos hæ, de quibus loquimur, imagines, proſequuntur, vt peregrinari, nauigare, præliari, populos alloqui, diuitiarum, quas non habemus, vſum videamur diſponere: nec cogitare, ſed facere. Hoc animi vitium ad vtilitatem non transferemus? Tacitus, vt puto, ſic dixit, *cogitationes cogitaſſe*, vel *agitaſſe* Domitianum, extremo lib. 4. Hiſtor. vt & *meditatam libidinem & conceptum animo facinus*, Annali 14. & *nomina ſumma cura & meditamenta* Torquati, Annali 15. qui locus olim eruditos quoſdam exercuit, licet in viam poſtea redierint. Fulgent. Mythologicon lib. 3. *Ideo pennatus, quia vniuerſam mundi naturam celeri cogitationum theoria colluſtrat.* Ariſt. de an. lib. 3. c. 3. πρὸ ὀμμάτων γὰρ ἔστι ποιήσασθαι, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς μνημονικοῖς τιθέμενοι, καὶ

 εἰδω-

εἰδωλοποιοῦντες. *Licet enim oculis offerre, vt illi faciunt, qui verſantur in artificio memoriæ, & idola diſponunt.* Paulo poſt: κατὰ δὲ τὴν φαντασίαν ὡσαύτως ἔχομεν, ὥσπερ ἂν οἱ θεώμενοι ἐν γραφῇ τὰ δεινὰ, καὶ θαρραλέα, *ex imaginatione vero perinde afficimur, ac hi, qui in pictura terribilia, & fiduciam præ ſe ferentia ſpectant.* Nam, vt & id rurſus moneam, ſic ego θαρραλέα apud Philoſophum acciperem: vt nempe imagines tantùm non proſilire videantur, cum Luciano dicam, μορμολυκεῖόν τι, καὶ γιγάντειον, ſanè & adſpectus fiducia eſt. Virgil. Aen. IX. *Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum,* & falſum eſt, quod a quibuſdam antiquis Grammaticis ſcriptum fuit. *Confidentia interdum in bona ſignificatione, interdum in mala ponitur: Fiducia ſemper in bona.* Cur igitur Nonius *Fiduciam* explicat *Confidentiæ* voce? Cur etiam Donatus in Andr. act. 3. ſc. 5. ſcribit, & fiducia modo impudentiam ſignificat? & Tacit. Annal. 15. dixit vanam fiduciam? Sed redeo ad viſiones & meditamenta: nam ad hæc ipſa pertinere videtur, quod Matth. 6. ſcriptum eſt: τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα, *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Hæc etiam meditamenta Scæuolæ, nec vacua tamen, vt Poeta ille cecinit:

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum,
(Dicebas nondum Scæuola factus Eques:)
Qualiter o viuam! quam largè! quamque beatè!
Riſerunt faciles, & tribuere dei.
In ius o fallax, atque inficiator eamus:
Aut viue, aut decies Scæuola redde deis.

Hinc quidam ex Græcis I. Conſultis Μελέτας quædam, ſeu Hypomnemata, ſeu Syntagmata appellauerunt, quæ *Meditata* non malè dicuntur. Habemus Μελέτας Balſamonis Demetrij Syncelli, aliorum. Vt autem Quinctilian. dixit *ſpes inanes*, ita & Sophocl. Electra, *elatum* ἐλπίζειν κενῶς, & rurſus, *velut ſomnia quædam vigilantium*, ideſt Luciani

verbis

verbis ὥσπερ ἤδη τῷ ὀνείρατι ἐνυπνίῳ ἐπιτεθέντες ἐφ' ὅσον ζαλέ-μεθα ἀποιήσοντι ἡμᾶς. Id vero mihi ita contingere videtur, vt in his, qui exceſſu mentis tentari dicuntur; quod enim imago non eſt, tamquam imaginem ſpeculantur, quod de Antipheronte Oreita proditum eſt, de mem. & remin. c. I. cui etiam Idolum ex aduerſo oblatum dicitur meteor. 3. c. 4. His adnecti poteſt & Epicureorum Dogma, in quo eleganter ludit M. Tull. lib. XV. Ep. 16. fit enim neſcio quid, vt quaſi coram adeſſe videare cum ſcribo aliquid ad te, neque id κατ' εἴδη, ἢ φαντασίας, vt dicunt tui amici noui, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius Inſuber, Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargetius, & iam ante Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat. His autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quod vel ijs ipſa currunt, animus qui poſſit, ego non video. Doceas tu me oportebit cum ſaluus veneris, in mea ne poteſtate ſit ſpectrum tuum, vt ſimul, ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat, neque ſolùm de te, qui mihi hæres in medullis, ſed ſi inſulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolet ad pectus, & ep. 19. nec tamen hoc vſu venit propter ſpectra Catiana, pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, vt Catium Athenis natum eſſe dicas, de hoc ipſo libro I. de Fin. Idem ep. I. eiuſdem lib. 15. metum oblatum dixit. Apul. Apolog. de ſimulacro in ſpeculo oblato: Aut quid ſibi ſtatuæ, & imagines varijs artibus effigiatæ volunt? niſi fortè quod artificio elaboratum, laudabile habetur, hoc natura oblatum, culpabile iudicandum eſt. Sic etiam accipio Tacitum de Agrippina: idemque dedecus Senatus, & Populi ſperauiſſet: ac poſteaquam fruſtra oblata ſint, infenſa militibus, patribuſque, & plebi, diſſuaſiſſet donatiuum, & congiarium, periculaque viris illuſtribus inſtruxiſſet, Annali XV. fruſtra oblata dicit,

dic, κενὴν φαντασίαν, & quod fœmina comminiſceretur pro-pudium Senatus, Populique Romani. Qui perſpicuum in Tacito mendum arguere, & emendare nituntur, φαντάσματα ipſi ſua nobis narrant, & viſiones.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

IOSEPHI NERII I. C.

ANALECTORVM

LIBER SECVNDVS:

In quo

& IVRIS AVCTORES explicantur,
& antiqui mores tam ſacri, quam profani,
CENSVRAE, & CRITICA quædam
admiſcentur.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QVVM primùm hoc Opus informari cœpit, propter loci conditionem, ſuſpicio mihi de exitu obrepſit; ſubuerebar enim, ne re aliquatenus producta, Operæ, quamquam aliud pollicerentur, abſterrerentur, & cum iactura vexato diu mihi ceſſandum eſſet. Planè diuinaui. Nam vt græca attigimus, mea, & meorum manu caracteres diſponere oportuit: mox, inſtructo Typographeo, Operæ ipſæ inſtruendæ fuere. Homines enim harum rerum ignari plus mihi polliciti fuerant, quàm præſtare poſſent: poſtquam ad rem ipſam ventum eſt, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν, vt dici ſolet. Animum tamen non deſpondi, nactus hominem diſcendi auidum, & induſtrium. Durius mihi viſum eſt, quod Typographi verba dantes, & lucellis inhiantes, nimirum Theſes, & alia huiuſmodi Opuſcula ſubinde cudentes, me exſpectatione torquebant, quam ego moleſtiam, homo tolerandi neſcius, deuorare non poteram. Mihi præla mancipata fuiſſe dicebam, hominum fidem implorabam, fruſtra, a ſubiratis, aut abalienatis animis duriora ſemper impendebant

 quid

quid facerem? hoc ipſe mihi intriueram, mihi exe-
dundum fuit. Sed vetus verbum eſt, πόνος πόνῳ πόνον φέρει; & πόνοι πρόγονοι πόνων. intra paucos dies penuria characteris ad ſummam deſperationem adactus, Typographiæ tantum-non ſalutem dixeram. Fortiter tamen id quoque ferre decreui: Opus, quod adornaueram, in fruſta ſecare, inuertere, immutare, interpolare adortus, neſcio quo commento ſuccenturiata vel ſuccedanea quædam elementa inuerſa, aut detruncata in eorum vicem, quæ deſiderabantur, ſubmiſi, quædam etiam incidenda curaui, licet plus eſſet in manus pretio, quam in re certus non dare manus & obſtinans animo, re omnino infecta non recedere. Per has difficultates Libro primo vtcunque abſoluto, hunc alterum, vt vides Lector, adieci, & ad vmbilicum perduxi. Opus verò cum iam affectum peruolutare cœpi, vix recognoui; tanta ex illo artificio metamorphoſis apparuit. Tertium quoque Librum a principio adnectere deſtinaueram; ſed dum rationem eam tempore ponebam (illud enim magis fidum expertus, pacta conuenta ſeruaturum eſſe ſperabam) quaſi Elephantis partum exſpectandum eſſe videbam. Nam nunc intelligo, aberraſſe me, cum Typos mihi mancipatos eſſe contendebam: & homines ponendi calidiſſimos ſimplicitatem meam ſuboluiſſe.

uiſſe, qui retro potius me typis mancipatum eſſe cognoſcebant. Itaque me ipſum ab iniuria aſſerere, & captatorum manus euadere decreui, quod vt mihi contingeret, vix mei ipſius rationem aliquam habui interim precibus, interim querellis vrgebam, exorabam, fremebam, in varias formas, veluti Proteus, vertebar. Deniquè en opus ſæpius de paxillo ſuſpenſum, interpolatumque. Vides, Lector, morum exceſſum typographicum, quem illi nimirum ſubſecivis horis, ne perirent, adſignarant: vt qualecumque lucrum vix ſentientibus, aut velut aliud agentibus accederet. Ita demum feſſus, & fractus ad calcem perueni, ſolutus labore tam ſinuoſo, tam inamœno. Hoc interim nomine me plurimum illis debere profiteor, quod doctior, & instructior ab Officina receſsi, vt typi conſultus olim mihi, & alijs melius conſulere poſsim: ſi modò malum iſtud ineuitabile non eſt. Quis enim conſilium hoc prabet, vt illos irritet, quorum opera indigeat? quin potius ex infeſtis placatos nobis, moderatoſque reddere nitemur: quin potius demereri oportet homines, cæteroqui Muſis amicos, quorum artificio nituntur Artes, nituntur litteræ. Et ego ſanè imprudens ingrati animi notam incurram, ſi tempori beneficium accepto-ferre maluero. Quid? Hoc æuo tribuam, aut tempori, quod noſtra potius excedere vim hoſtilem in res humanas exerere nouimus?

 mus?

Digitized by Google

mus? Quin igitur aut morbum, aut acerba funera, aut mala venena laudamus? Nam minora ex his mala proueniunt, cum vitam quidem adimant, ſed vitam morti obnoxiam, nec diu manſuram, exigeret breui natura quam tempeſtiuius aliquando adimunt iſta. Tempus verò immortalitatem adimit, & fœtus perdit animi, qui eſt immortalis. Itaque recantemus. Quot enim Scriptores à ſtirpe amiſimus, non amiſſuri ſi contra temporis vim ſtetiſſet Typographia? Quantum etiam impenſarum compendi fecimus, inuenta Tipographya? Quantum temporis in deſcribendo terebant homines, quot Antiquarij, quot Librarij, ſeu Libelliones alendi fuerant ante natam Typographiam? Quanto anguſtius doctorum Virorum fama regnabat, antequam Typographia σειρηδὸν, *(dicam auſpicatiori voce)* κρουνηδὸν, *aut* ποταμηδὸν *per Orbem terrarum* πηγάζουσα *exundaret, & immenſam voluminum vim ad exteras gentes intra breui temporis ſpatiū a prælo tranſmitteret, & transfunderet? Præclarum ſanè ingenij humani* μηχάνημα *quo Veteres confidenter prouocare poſſimus. Sed hæ laudes Typographiæ ſunt, dicet aliquis, non Typographorum. Quaſi verò non laudet artificem, qui artificium commendat, aut fullones, & ſarcinatores rem typographicam inſtruant. Nisi quis exigit etiam a me, vt quæ ad Typographicam gnauiter exercendam pertineant,*

neant,

Digitized by Google

neant, gnarus iam nimirum illius artificij, recenſeam. Age igitur, ſcito meum Typographum ſtrenuum fuiſſe, non dormitorem, non bambalionem aliquem, qui dies, noctesque ſtertere ſoleat. Si vis icona, veniat in partem laboris, & operis non thyparographus, ſed Zeuxis, vel Apelles aliquis. Corpus & vultum ſucci plenum, ſedulum iuuenem mihi fingat, qui ad thecam typographicam ſedens, hinc inde apium more, ſed rapidiſsima dextera, modo rude ad diſtinctionem operis ſui, modò effigiatum æs delibet: qui duplici ligneo retinacalo partim ſtanti, partim tranſuerſo, ac præciſo affixum chirographum ſubinde reſpectet, ſiniſtra vero cauum, & ligneum itidem receptaculum affabre ſtringat, quod ære idemtidem pulſet; mox ferrea lamina coaleſcentes iam typos artificioſe diſpoſitis digitis in ampla tabula altrinſecus admotis plumbeis fulcimentis diſponat, qui palma etiam eminentes retundat, ad æquum redigat, trudat, impingat. Nec mihi ſericeam, aut peregrinam veſtem comminiſcatur, non operoſæ ſtructuræ indumentum, ſed parabile, & ſimplex Typographus meus frugi eſt. ϛιϛυρίαν potius, vel ὑπόρυπον hominem mihi fingat, vt gliſcente in dies, hærenteque pellibus ex atramento librario illuuie, nec facilè deteratur, & ſonorum veſtimentum, cute facta velut tympanum, reddatur. Oris ingenium placi-

dum

dum ſit: quod tamen, ſi fieri poſsit, duplex appareat, veluti Paſſionis tabula quæpiam, vel quæ diuerſa parte reſpicienti, mirabili argumento diuerſa referat. Humanis, doctiſque humana, ſerenaque fronte hoſtimentum rependat: proteruos, & feſtinantes, elato ſupercilio toruum intueatur, ac Titanicum in morem, naſumque totum in eos expandat: flexu corporis vniuerſi iratum, implacabilem ſpiret, quaſi non antea flecti poſsit, quam ſupplices aduentores illos tumidos, & nimis properantes, ſupinis, non vacuis tamen manibus ad ſe redire coegerit. Artifex denique in æquo exſtantia oſtendat, in confracto ſolida. Nec diſsimilem admodum mei prœli Magiſtrum fingere oportet: niſi quod lacertoſum, & amplioris ſtaturæ hominem membranas forcipe diligenter alicubi reſectas amolientem, & omnia explorantem vidi: ne forte illæ papyris imponerent, & machina in partibus fruſtra recurreret. Sic induſtriam ſuam ſatis mihi probauit. Cæterum, quod liquor ater vndique ſcateat, ab illo artificio mihi cauendum duxi, nec propius acceſsi. Ab eo tu quoque, ſi meo conſilio vteris, bone Lector, abſtinebis. Haue.

IOSEPHI NERII I. C.

ANALECTORVM

Liber Secundus.

Auctores in l. 2. de orig. iur. & in l. 1. de aq. & aq. pl. arc. Emendatus Apuleius, Explicatus Liuius: itemque Velleius.

Caput I.

QVÆ vir doctus omiſerat in Commentario ad Pomponium, non erat cur alicubi adiecta vellet. Nam ſemel, & iterum ſugillata fide Flor. Pandectarum, *Auctoris* notionem adhuc nobis forte inexplicatam reliquit. Igitur facturum me pretium operę opinor, ſi oſtendero, quid Archetypi lectione ſignificari putem. *Auctorem* non ſemper eſſe crediderim Inuentorem, & conditorem principem, ſed illum etiam, qui Dogmata ab illo accepta meliora reddat, augendo nimirum ratione, oratione, ordine. Nam Principes familiarum ferme rudia quędam poſteris, & ſucceſſoribus tradidere, vt ipſi Auditores, poſtquam ad ſummam perfectionis manum illa perduxerint, non immeritò *Auctores* dici debeant, ſicuti & vocis etymon deſignat. Quin libri Scriptorem, *Auctorem* vix latinè dici, nec ſtante Republica dictum fuiſſe, traditum eſt. Illud ipſum certè indicabat, & veluti digito oſtendebat Pomponius in l. 2. §. poſt originem, D. de orig. iur.

Poſt

Poſt hoc deinde Auctorum ſucceſſione dicemus: quod conſtare non poteſt ius, niſi ſit aliquis Iuris-peritus, per quem poſſit cottidie in melius produci. Eodem modo *Seruij Auctores* accipiendi ſunt in l. 1. §. ſed apud Seruij, D. de aq. & aq. pl. arc. Et probari poteſt, nam idem ex Labeone, & Nerua relatum eſt in l. 2 §. 28. D. ne quid in loc. pub. Labeo verò à Seruio profeciſſe dicitur, d. l. 2 §. 44. de orig. iur. Chariſius lib. 1. Auctor ſiquidem propterea dicitur, quod augeret, & generaret: & Auctricem dicemus, quod pariter augere poſſit, cum vero ad auctoritatem referatur, pro communi accipiendum. Similia me legiſſe memini apud alios, & præſertim apud Seruium. Ad hos *Auctores* pertinent *Succeſſiones*, ſeu διαδοχαὶ, quarum frequens mentio apud Laertium, & alios. Ita Socraticæ Sectæ *Auctor* Plato dici poteſt, ſed & aliarum familiarum, cum is vnum ex omnibus, & quaſi proprij partus corpus effecerit. Apuleij verba, de Dogm. Plat. Et cum Principes harum Familiarum impolitas ſententias, & inchoatas Auditoribus tradidiſſent, eas hic cum ratione limando, tum etiam ad orationis auguſtæ honeſtiſſimam ſpeciem deducendo, perfectas, atque etiam admirabiles fecit. Altero quoque eiuſdem libelli loco Madaurenſis *Auctorem* graphicè expreſſit. Sed quia verba, quæ ab interpunctione, qua à ſcriptura, male ſana, variè poſtea corrupta, & interpolata fuere, adſcribam integrum locum expreſſum ex antiquiſſimis membranis. Verùm, cum ſe Socrati dediſſet, non ſolùm ingenio, atque doctrina cæteros Socraticos vicit, verùm etiam labore, atque elegantia illuſtrauit Sapientiam ab eo ſibi traditam: labore, quo aſſerere eam niſus eſt: elegantia, per quam venuſtate, & maieſtate verborum ei plurimum adhibuit dignitatis. Corruptè in editis; elegantia illuſtrauit. Sapientiam ab eo ſibi traditam labore quoque aſſerere niſus eſt: & eleganti, perque venuſta maieſtate verborum. Quæ partim olim etiam corruptè legebantur, partim

partim

partim recentiorum Criticorum licentia inter-verterat, quaſi verò Plato labore, & elegantia Socraticos cæteros, & non Socraticam potiùs Sapientiam illuſtrauerit. Equidem prioribus reſpondent Laertij verba: δοκεῖ δέ μοι Πλάτων ἀκριβώσας τὸ εἶδος, καὶ τὰ πρωτεῖα δικαίως ἂν ὥσπερ τοῦ κάλλους, οὕτω καὶ τῆς εὑρέσεως ἀποφέρεσθαι. Dixit Laertius τὸ εἶδος, quod Apul. *impolitum, & inchoatum*: ſpeciem nimirum rudem. Dixit τὸ κάλλος, quod Apul. *elegantiam*. Variè verò inter ſe diſtant *imitatores, aſſeclæ, ſectatores, ſucceſſores, familiares*: vt & γνώριμοι apud Græcos, & συγγενόμενοι, & ἑταῖροι, & ζηλωταὶ, quo nomine cenſetur Elias, cenſentur alij. Nicephor. lib. 3. c. 1. & lib. 8. c. 39. Γνώριμος, *familiaris* à Laertio dicitur: vt ἑταῖρος Leucippi dicitur Democritus ab Ariſtotele. Apud Suid. in Pythagora: καὶ οἱ μὲν τῷ Πυθαγόρᾳ συγγενόμενοι ἐκαλοῦντο Πυθαγορικοί· οἱ δὲ τούτων μαθηταὶ, Πυθαγόρειοι· οἱ δὲ ἄλλως ἔξωθεν ζηλωταὶ, Πυθαγορισταί. *Sane Pythagoræ familiares, Pythagorici appellabantur: horum vero diſcipuli, Pythagoræi: alij vero extra-ordinem æmulantes, Pytagoriſtæ.* Itaque Pythagorici, ſeu τὸν Πυθαγόραν ἐπιγραφόμενοι, dicuntur τῷ Πυθαγόρᾳ συγγενόμενοι. Gemina verba ex Ariſtide excerpſit Photius in Bibliotheca. Latini ζηλωτὰς exprimunt *æmulandi* verbo. Tacit. Annali VI. *quippe ſapientiſſimos veterum quique ſectam eorum æmulantur, diuerſos reperies.* Apul. in Apol. 1. *ex lectione, & æmulatione Ariſtotelis.* Nam cum ipſe Platonicus fuerit, ἔξωθεν ζηλωτὴς Ariſtotelis dicitur. Familiarum verò Principes, *maiores* dicuntur, ideſt parentes. Ita *maiorem* dixit Socratem Apul. Florid. lib. 1. Lucian. in Hermotimo: καὶ τῶν ὑμετέρων προγόνων τὸν Χρύσιππον, καὶ Ζήνωνα. Sed, vt ad vocem *Auctoris* reddeam, manifeſtò ab Inuentore diſtinguit Liuius lib. 2. ad auctoritatem, vt puto, hanc vocem referens: *Sed vt inuentor legis Volero, ſic Lectorius Collega eius, auctor tum recentior, tum acrior erat.* Nannij nænias, aut Buslidianos Codices non audio. Neque ſeciùs Vlpianum acceperim in l. 4. de

euict. cum *ſecundum auctorem* vulgò dici ait eum, quem βεβαιωτὴν, ſeu *confirmatorem* appellatum fuiſſe legimus in IV. Nouell. Gloſſæ vett. ad teſtes, ad ſcribas, & miniſteria hanc vocem trahunt: *Auctor*, Μάρτυς. Συγγραφεὺς. Ὑπηρέτης. Priores, ac teſtiores, itidem *Auctores* dici video. Spartian. in Hadrian. ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans, cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter vtens, hoc eſt larido, caſeo, & poſca, exemplo Scipionis Aemiliani, & Metelli, & auctoris ſui Traiani. Rufus Feſtus in Breuiar. ad Valentin. *Nunc tuas partes, totumque Orientem, ac poſitas ſub vicino Sole Prouincias, qui auctores ſceptris tuis parauerunt, explicabo.* Nec magis feliciter æui noſtri Critici, vocis huius vim adſecuti ſunt apud Velleium lib. 1. c. 13. Velleij verba ſunt: *Quippe Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ & auctor, & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumque præcellentes ingenio viros, domi, militiæque ſecum habuerit.* Quæ variè corrigere, mutare tentant: fruſtra.

Ius ciuile. CCC.um fori præſcriptio. Emendatæ Theodoſianæ Conſtitutiones. Cap. II.

IVs ciuitatis, *ius ciuile* dicitur, non modò quod ciuitas conſtituit, ſed quod etiam eidem debetur, aut quod ad rem ciuitatis pertinet. Sic accipitur in Nouella prima Theodoſ. & Valentin. tit. 28. *de locis Reipublicæ quoquomodo poſſeſſis, ciuitatibus reſtituendis.* In verbis perſpicuum eſt mendum. *Nec non etiam tabernæ, quæ ad ius ciuile pertinent, & à quibuſdam quolibet modo intra triginta annos ab hinc vero numerandos, detentæ ſunt*, nam quis non videt, reſcribendum eſſe, *ab hinc retro numerandos?* ἀπὸ νῦν, exacti temporis nota, *retro Principes*, & ſimilia in Conſtitutionibus paſſim, ſed & in Pandectis, *retro ve-*

currere in l. 16. ſi fundus, §. 1. de pignor. l. 16 retro, de capt. l. 44. ſeruum filij, §. 1. de legat. 1. l. 7. de offic. Proc. Quidam ex l. 5. omnes iudices, C. de delator. lib. 10. referunt, *retro iuris ordine*, ſed ibi profectò legimus, *recto iuris ordine*. At eadem illa verba, *retro numerandi*, vide quomodo accipiantur, & in l. 3. de priuileg. Scholar. C. lib. XII. & alibi. Sed & in Nouella prima tit. 1. *de patrimonialibus rei dominicæ, & limotrophis fundis ad Orientem poſitis*, verba illa corrupta manent: reddet noſtra maieſtas gratam poſſeſſoribus nouitatem, vt petitionis ſuæ ante formidinem, cui Romæ deſunt penates, ſecurus vomerem, ſecurus falcem poſſeſſor exerceat, quod parauit, relicturus hæredi. Nam qui corrigere tentant, *petitionis ceſſante formidine*, fruſtra ſunt, ſcripſerant Imperatores, *petitionis vacante formidine*, obuia apud Principes noſtros, alioſque ſcriptores, illa loquendi ratio. Sunt & corrupta quædam in Nouell. 4. tit. 14. *de amota militantibus fori præſcriptione*, verba conſtitutionis: *in cognitionibus cum autem futuris, omnes ex iure venientes aſſertiones patribus illibatas ſeruari ſancimus*, fortè ſcriptum fuit, *in cognitionibus cc.*m hic numerus eſt eorum, qui fori præſcriptionem habent, vt Nouella docet.

De Actionibus. Priſcum eſſe quod dicitur, Obligatio mater actionis. Cap. III.

OMnes dicimus, *Actionem eſſe ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur*. Græci quoque, ἐν δικαςηρίῳ vertunt. At Florentini libri Scriptura in l. 51. de obl. & act. ita Celſi verba refert: *Nihil aliud eſt actio, quam ius, quod ſibi debeatur, iudicio perſequendi*. Id aures magis tenere videtur. Græcos verò illud maluiſſe non eſt mirum, cum & verbo τῷ ἀπαιτεῖν vſi ſint, non τῷ ἐκδικεῖν & fortè minus

Digitized by Google

apte, cum petitio in rem, perſecutio in perſonam quoque inferatur, l. 25 actionum genera, l. 28. actio in perſonam, D. eod. Niſi dicimus, Græcos ita realem quoque deſignare voluiſſe, ne ad perſonalem tantùm, definitionem retuliſſe viderentur: quæ Latinorum quorumdam ſententia fuit. Difficile ſi quidem videtur, quod actionis cauſa id, quod debetur, eſſe dicitur. Hoc pacto perſonales tantùm actiones hac oratione contineri videbuntur, cum deberi propriè dicatur id, quod ex contractu, vel quaſi ex maleficio, vel quaſi debeatur, l. 10. l. 11. de V.S. Hæc res Interpretes omnes diu torſit, nec te facilè expedias, niſi καταχρηστικῶς debiti vocem acceperis, l. 76 ſi ſtipulatus, §. 1. l. 115. ita ſtipulatus, in fin. de verb. obl. §. ſi iudicio, de except. l. 178. pecuniæ, §. actionis, & §. hoc verbum, Debuit, D. de V. S. Præcipua tamen actionis cauſa obligatio eſt, quam titulus quoque de obligat. & act. præ-ſe-fert. Nam fruſtra ſunt complures ex noſtris Interpretibus dum ex eo titulo ὕστερον πρότερον captant: inter quos Iaſon, qui Anteſignanus in eo titulo à Pragmaticis præſertim dicitur. In Flor. libro ita conceptum video: *De obligation. & action.* non contra. Hinc tritum illud apud noſtros, *Obligationem eſſe matrem actionum*. Sic etiam Actionis originationem, & definitionem inter ſe apta percipiemus. Paraphraſtes enim in princip. tit. de Action. ſcribit: εἴρηνται δὲ ἀγωγαὶ παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς ἀγνώμονας ἐπὶ τὸ δικαστήριον: *dictæ ſunt actiones, quòd perfidòs in ius agamus*. Ex arte quoque probari poteſt, ſi damus, obligationem parere actionem, l. 42. licet, ſ. ea obligatio, de procur. Nam obligationes, gentium iure olim ex fide conſtitiſſe, docet Paull. in l. 84. cum amplius, de reg. iur. *Is*, inquit, *natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus*. In quibus verbis, & obligationes, & per his actionum veſtigia ſub-odorari licet: quæ pertineant etiam ad illud Interpretum Zetema, *An actio iuris gentium ſit*: de quo di-

uidiæ

Digitized by Google

uidiæ inter noſtros, ſed relinquamus id ſub iudice, & viam noſtram ire pergamus. Sic & in l. 9. eamdem, de duob. reis, & apud Vlpian. in l. 1. de reb. cred. Omnes enim contractus, quos alienam fidem ſecuti inſtituimus, complectitur: Nam, vt lib. 1. quæſtionum Celſus ait, credendi generalis appellatio eſt, ideo ſub hoc titulo Prætor, & de commodato, & de pignore edixit. Nam cuicumque rei adſentiamur, alienam fidem ſecuti, mox recepturi, quid ex hoc contractu, credere dicimur. Senec. de benef. lib. 3. c. 15. *Cogere fidem, quam ſpectare malunt.* Dixit *cogere*, quia *Debitor eſt, à quo inuito exigi poteſt*, ait I. Conſultus in l. 108. de V. S. adſcribam appoſita verba Senecæ fuſiùs. Vtinam quidem perſuadere poſſemus, vt pecunias creditas tantùm à volentibus acciperent! vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conuentaque impreſſis ſignis cuſtodirentur; fides potiùs illa ſeruaret, & æquum colens animus! Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam ſpectare malunt. Adhibentur ab vtraque parte teſtes; ille per tabulas plurium nomina, interpoſitis pararijs, facit; ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit, o turpem humani generis fraudis, ac nequitiæ publicæ confeſſionem! annulis noſtris pluſquam animis creditur. Quæ omnia eleganter ſanè declarant complura, quæ ad pacta conuenta, ad ſtipulationes, ad cauendi morem pertineant. Hinc apud noſtros ſequitur titulus de iure-iur. nempe ius-iurandum ad fidei confirmationem pertinet, & ab ea mente, vt puto, in titulo Codicis illa iuncta fuere, *de reb. cred. & iure-iur.* I. Conſulti tamen nullam huius rei mentionem fecerunt, ſed ad remedium tantummodo litium expediendarum retulerunt, l. 1. eod. Quod autem vulgus Interpretum iactat, *Obligationem eſſe matrem actionum*, quidam explodunt, cum & obligatio quandoque ſine actione pendere poſſit, contra naturam eorum, quæ ... dicantur, l. 4.

l. 9.

Digitized by Google

l.9. de tut. & rat. diſtr. l. 4. rem pupilli ſalu. for. Hæc de ſuggeſtu Stentorea voce clamant, & alia complura. Pax l. nam eam loquendi rationem antiquiſſimam eſſe oſtendere poſſumus. Complura ego credo per manus tradita, ſcholaſtico pulueri hæſiſſe, id mihi dicit Theophil. init. tit. XIV. de obl. lib. 3. *Quo igitur pacto ab actionibus diuertentes, ad obligationes deflexemus? ſed hic ordo defendi poteſt. Nam qui de obligationibus differit, ſenſim de actionibus quoque differit, ſiquidem matres actionum ſunt obligationes.* Nec eo tantùm loco hanc loquendi rationem vſurpat, verùm etiam lib. 3. tit. 20. §. 8. διάθεσιν, ſeu animi affectionem dixit eſſe matrem τῶν συναλλαγμάτων, ſeu contractuum. Cum verò ex contractu conſequantur, & oriantur obligationes, & præcipuè quæ aut re, aut verbis, aut conſenſu, aut literis contrahi dicuntur, §. 2. de obligat. verbis Theophili rem hanc in vniuerſum ſic explicabimus: *Mater contractuum eſt animi affectio: ex contractibus oriuntur obligationes; obligationes verò ſunt matres actionum.* Itaque veteres iuris Interpretes in eo minimè ſomniaſſe videntur: ſed qui aſſertores illius Dogmatis vituperat Gomeſius, ipſe potiùs ſufflaminandus eſt.

De in ius voc. explicata l. 2. præter ſententiam Græcorum, & Latinorum Interpretum.

Cap. IV.

CVm in ius vocare dicimus, & ad locum, & ad perſonam ius dicentis, & ad rem ipſam referre poſſumus: variè ſiquidem exauditur. Ad locum, quem ita determinamus, *vbicumque Prætor ſalua maieſtate Imperij ſui, ſaluoque more maiorum, ius dicere conſtituit.* τὸ δικαστήριον. l. pæn. de iuſt. & iur. Græci lib. 2. βασιλικ. in Synopſi ſic exprimunt: ὁ τόπος, ἐν ᾧ δικαιοδοτεῖ, σωζομένης τῆς μεγαλειότητος

τῆς

τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸ ἔθος τῶν πατέρων. Dicimus etiam *in ius vocare*, ideſt ad eum vocare, qui ius redditurus ſit, §. fin. de pœn. tem. litig. Præcipuè tamen *in ius vocare* dicimus, *iuris experiundi cauſa vocare*, l. 1. D. de in ius voc. Non omnes tamen, nec ſemper in ius vocare licebat, excipiuntur certi caſus, certæque perſonæ. Non ſemper, vt ſi vadimonium interceſſiſſet: nam qui ſatis-dediſſet, ex his erat, qui neque ſequebantur, neque ducebantur, quæ verba edicti fuiſſe conſtat ex Caio in epigraphe l. 48. ſolutum, de V. S. ad id pertinet titulus Pandectarum, *In ius vocati vt eant, aut ſatis-dent*. Cæteroqui *vas* ſponſorem ſignificat in re capitali, *præs* in re familiari, ſed illa ſignificatio confunditur, vt pleraque alia nomina cum quæſtionibus furtorum cum lance, & licio, & toto iure Faunorum, atque Aboriginum euanuerunt: qualia ſunt, *Proletarij*, *Aſſidui*, *Sanates*, *Vades*, *Sub-vades*, *XXV. aſſes*, *Taliones*, & alia huiuſmodi, vt reſpondit I. Conſultus quidam apud Gellium lib. 16. c. 10. Non omnes: ſi quidem complures perſonæ recenſentur, quas in ius vocare non licet, & inter eas in l. 2. D. de in ius voc. enumerantur ab Vlpiano, *qui propter loci religionem indè ſe mouere non poſſunt*, quæſitum eſt à compluribus, quinam illi fuerint, & puto pretium operæ me facturum, ſi in illius loci ſententia eruenda aliquam operam poſuero. Gloſſator Latinus, & plerique ex noſtris Interpretibus ad Monachos illa trahunt, & ad Nouell. 79. Verùm cum Vlpiani æuo non illæ eſſent Chriſtianiſmi vires, vt legibus inſtituta noſtra ab iniuria vindicarentur, quin potiùs vexarentur, & inauditis ſupplicijs conſtantes Martyres cruciarentur, alterum ex duobus dicendum ſupereſt, aut Vlpianum aliud intellexiſſe, aut Tribonianum ea verba adiecisse, quod poſtremum magis placuit quibuſdam non obſcuri nominis noſtræ tempeſtatis I. Conſultis, inter quos Duarenus, qui neque de Veſtalibus Vlpianum intelligi poſſe credidit. Verùm ſi dicatur,

Romani

Romani iuris Architectos, Græci nempe Imperij homines, & Conſtantinopolitanæ vrbis proceres, ea verba adiecisse; tunc ego ipſorum potiùs Græcorum I. Conſultorum, & eiuſdem nouæ Romæ Togatorum expoſitionibus credendum eſſe putarem, quam Latinorum, qui multis poſt-ſæculis, & diuerſis longè moribus innutriti, Gloſſemata iuris certè non pænitenda nobis reliquere. Igitur Græci Scholiaſtæ ad ea Vlpiani verba, tale Gloſſematium habent: ὁποῖοι εἰσιν οἱ τόποι, οἷς τισιν ἑαυτοὺς συγκλείουσιν οἱ λεγόμενοι στηλῖται. id. *qualia loca ſunt, quibus ſe ipſos includunt qui ſtelitæ dicuntur*. Sunt autem *ſtelitæ*, columnarij, nempe qui ſtelas, ſeu columnas aſcendebant, vt ſeorſim degerent, & Deo viuerent: quorum frequens mentio apud Hiſtoricos. Auctorem huius inſtituti Simeonem illum fuiſſe ferunt, quem & *magnum*, & *Stelitem*, ſeu *Columellam* inde appellatũ. Auctores Euagrius, Metaphraſtes, &, vt alij referunt, Glycas in Annalibus. Huius Simeonis Mandram, & Columnam accuratè deſcripſit, vel ex alijs potius retulit Nicephorus lib. 14. c. 51. Ab hac Mandra prodijt etiam Daniel Columella, qui Leonis æuo in Anaplo Columnam conſcendit, vt idem Calliſtus refert lib. 15. c. 22. erat autem ἀνάπλους, ideſt *tranſitus*, vel *traiectus*, regio quædam in parte dextra Euxinum pontum nauigare incipienti: quo loco Conſtantinus Archangelo Michaeli templum conſtruxit, quod poſtea reſtituit Iuſtinianus, vt ſcribit Procopius. Hos igitur Græca prudentia eſſe credidit, quos propter loci religionem indè ſe mouere non poſſe Vlpianus dixit: aut potiùs ex Ethnicis ad noſtros mores eo modo Græci I. Conſulti traduxere. Sed ſiquis Vlpiani ea verba fuiſſe deffendere mallet, & ſimul quid ille per ea voluerit, certiùs coniectare cuperet, licet res ardua, & aleę plena videatur, hanc tamen fortè rationem inire poſſet. Antiquitus non modò templorum, & ſacrarum rerum, verùm etiam religioſarum, & ſepulcrorum cura quibuſdam demandabatur

qui

qui loco perpetuo addicti indè ſe mouere non poterant. De vtroque exemplum exſtat in l. 17. & l. 18. §. cibaria, D. de cibar. & aliment. legat. vbi Scæuola refert, teſtatorem per fideicommiſſum cibaria, & veſtiaria reliquiſſe, & hæc verba adiecisse: *Quos libertos meos vbi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari iubeo, vt per abſentiam filiarum mearum ad ſarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent.* Papinianus etiam in l. 71. Titio centum §. Titio centum 2. de condit. & dem. tale legatum retulit: *Titio centum relicta ſunt, vt a monumento meo non diſcedat.* ſed & in l. 44. Mæuia, D. de manum. teſt. Modeſtinus ſcribit: *Mæuia decedens ſeruis ſuis nomine Sacco* (vel *Succo*, ut eſt in Baſil.) & Eutychiæ, & Eirenæ ſub conditione libertatem reliquit his uerbis: SACCVS SERVVS MEVS, ET EVTYCHIA, ET EIRENE ANCILLAE MEAE OMNES SVB HAC CONDITIONE LIBERI SVNTO, VT AD MONVMENTVM MEVM ALTERNIS MENSIBVS LVCERNAM ACCENDANT, ET SOLLEMNIA MORTIS PERAGANT. *Quæro, cum adſidue monumento Mæuiæ Saccus, & Eutychia, & Eirene non adſint, an liberi eſſe poſſunt.* De illis igitur Vlpianum ſenſiſſe, fortaſſe dici poteſt, cum in d. l. 2. de in ius uoc. negauit, in ius uocari poſſe illos, qui propter loci religionem inde ſe mouere non poſſunt. Nam religioſum locum dicimus, in quem λείψανα illata ſint, l. in tantum, §. religioſum, de rer. diuiſ. Nec mirùm, hos in ius vocari non potuiſſe: ſi quidem & alias propter religionem veluti vt mortui ſepeliantur, ſtricta ratio inſuper-habetur, ideſt παρορᾶται, vt Græci vertunt in l. 51. §. 1. D. ad l. Aquil. quæ ipſius Iuliani ſententia eſt, itemque Papiniani in l. 43. D. de relig. Olim quidem non modò Pyramides, ſeu Obeliſci, vel Columnæ monumentis ſuperponebantur, vt Iſidorus ſcribit Origin. lib. 15. c. 11. & Ariſt. 7. Politic. c. 2. verùm etiam caſulis, & ædificijs ſuper-poſitis ha-

habitabatur, in ſententia Alfeni Senctionis ſub Præfecti claſſis primæ Miſenatium, quam referunt Collectores antiquitatum: *cum igitur Aedificia ſolo puro poſita degrabenderim neque ullo ſepulchro ſuperpoſita vel coniuncta apparet. Venditionem eorum iure factam.* In alio item antiquo lapide: M. AVRELIVS. ROMANVS. ET ANTISTIA. CHRESIME. VXOR. EIVS. FECERVNT. SIBI. LIBERTIS. SVIS. POSTERISQVE. EORVM. MONVMENTVM. CVM. AEDIFICIO SVPERPOSITO. Macer etiam tale aliquid voluiſſe videtur in l. 37. funeris, §. 1. D. de relig. Extra cauſam hanc, neque ſupra, neque infra monumenta ius habitandi fuit, *ne adtactu conuerſationis humanæ piaculum admittatur*, vt ex Paulli ſententijs auctioribus alij retulerunt, niſi dicamus poſtea id omnino vetitum fuiſſe, l. 12. §. 11. D. eod. Sed de ſepulcralibus nunc hactenus.

De Antimonia multæ famæ inter l. 36. cum in corpus, de acq. rer. dom. & l. 18. ſi ego, de reb. cred.

Cap. V.

NEMO non videt, quam ex diametro pugnet Vlpian. in l. 18. ſi ego, de reb. cred. cum Iuliano in l. 36. cum in corpus, de acquir. rer. dom. & quam fruſtra pax tentata ſit adhuc, quam incaſſum varia doctorum virorum ingenia in eo componendo diſcidio laborauerint, rurſus nemo non videt. Ait Vlpian. Si ego pecuniam tibi, quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam accipias, Iulianus ſcribit, donationem non eſſe, ſed an mutua ſit, videndum, & puto nec mutuam eſſe, magiſque nummos accipientis, non fieri, cum alia opinione acceperit, quare, ſi eos conſumpſerit, licèt conditione teneatur, tamen doli exceptione

tione vti poterit, quia ſecundum voluntatem dantis nummi ſunt conſumpti. Ait Iulianus: Cum in corpus quidem, quod traditur, conſentiamus, in cauſſis verò diſſentiamus, non animaduerto, cur inefficax ſit traditio, veluti ſi ego credam me ex teſtamento tibi obligatum eſſe, vt fundum tradam, tu exiſtimes ex ſtipulatu tibi eum deberi, nam & ſi pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quaſi creditam accipias, conſtat proprietatem ad te tranſire, nec impedimento eſſe, quod circa cauſam dandi, atque accipiendi diſſenſerimus. Puto conſtituendum eſſe, ambiguitatem in primis ex Vlpiani verbis oriri, cum Iulianus perſpicuè ſcribat, proprietatem ad accipientem tranſire: nec aliqua tergiuerſatione vtemur, ego certè in Vlpiani ſententia hæreo; is enim in parte Iuliani ſententiam laudat: deinde profert quæ minus inter ſe reſpondere videantur. Dicit, nummos accipientis non fieri, addita ratione, *cum alia opinione acceperit*. quid? nonne potius conſtat ea opinione accepiſſe, vt nummi ſui fierent? ſanè ſic accipit qui mutuos accipit: ne dicamus, in mutuo non transferri dominium, quod viro docto excidiſſe nollem, ſed de litteris optime meritum, non eſt cur poſt rogum inſultemus. Dices, *aliam opinionem* hìc dici diuerſam, quaſi ideo proprietas ad accipientem non tranſierit, quod in cauſa conſenſum non fuerit, de hoc dicemus poſtea. Nunc ego magis puto I. Conſultum ita ſcripſiſſe: *Sed an mutua ſit, videndum, & puto nec mutuam eſſe magis, quam nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit*. Hoc vult Vlpianus, quod qui neget, donationem, aut mutuum eſſe, negare pariter videatur, nummos accipientis fieri, quaſi ſi dominium transferri debeat, ex alterutra harum cauſarum transferri debeat: ſibi tamen potius dicendum videri, quod nec mutua pecunia ſit, quam quod accipientis non fiat, hoc enim caſu dari medium quiddam, vt licet nec donatio, nec mutuum ſit, non ta-

men dici debeat, accipientis nummos non fieri, ſed potius fieri. Addit rationem, *cum alia opinione acceperit*, quæ verba & ad mutuum, & ad dominij translationem referri poſſunt: nam vtrumque proximè coniunctim pronuntiauerat, ſi ad mutuum reſpicimus, dicemus, nec mutuum eſſe, ideo pronunciaſſe, quod alia opinione nummos acceperit, ideſt diuerſa mente ab ea, qua dati fuerant: ideoque deficiente conſenſu, contractum dici non poſſe, cum contractus ſine conſenſu non ſit, ita nō eſt mutuū, ſi verò ad dominij translationem hæc verba pertinere placuerit, quod tamen minùs probo, dicemus ideo negari nummos accipientis non fieri, quod alia opinione acceperit, ideſt vt fierent, quaſi dicat, cur magis credemus, nec mutuum eſſe, quam nummos accipientis non fieri? *quia*, inquit, *alia opinione accepit*, nempe vt fierent, hæc opinio ex vtroque latere fuit, ideſt dantis, & accipientis. Nam & qui dabat quaſi donaturus, ea opinione dabat, vt pecunia fieret accipientis: & qui accipiebat quaſi mutuam, itidem in idipſum, vt ſua fieret, accipiebat. Meritò igitur dicemus, potius nec donationem eſſe, nec mutuum, quam nummos accipientis non fieri: fiunt enim, ſi vtriuſque voluntatem ſpectemus, nec Iuliano viſum, iuris eſſe, nullam vim voluntatem habere, licèt circa cauſam dandi, accipiendique non conuenerit, ſed ſatis eſſe, ex eo effici, ne ſit mutuum habet rationem, vtriuſque voluntas dominij translationem continet: ſequitur ex his, voluntatem ſpectandam eſſe, ſi quod actum eſt, alicui legitimo negotio comparari debeat: & ita ſecundùm voluntatem accipientis eſſe promutuum, ſecundùm voluntatem dantis eſſe quaſi donationem, ad hoc pertinent, quæ poſtea Vlpianus ſubdidit. Nam ſi nummi conſumpti fuerint, mutuum quidem, quod ab initio non conſtitit, non conualeſcit, ſed bona fide conſumpta pecunia conciliatur, ideo datur condictio de benè depenſis, vel ex conſumptione, l. 11. §. fin. l. 13. D.

de

de reb. cred. Hoc eſt, quod Vlpian. dicit: *Quare ſi eos conſumpſerit, licet condictione teneatur*. id tantùm ex parte accipientis, qui mutuam pecuniam eſſe volebat, ex parte verò dantis, qui donaturus, dabat, quid ſequi debeat, ſubdit: *tamen doli exceptione vti poterit.* ratio eſt, *quia ſecundum voluntatem dantis nummi ſunt conſumpti.* Itaque voluntas & dantis, & accipientis aliquatenus efficax erit, nec officiet, quod illis cauſæ diuerterint accipientis quidem, qua mutuum, quod volebat, conſumptione conciliatur, & pecunia condici poteſt: dantis verò, qua doli exceptionem accipienti parit, & benè conſumptam pecuniam aſtruit. Ita Vlpiani verba inter ſe apta eſſe videmus, & conſonare his, quæ Iulianus ſcribit. Sed videamus, qua ratione condictio de benè depenſis naſci potuerit, ſi nummi accipientis facti ſunt; ideſt ſi dominium pecuniæ in accipientem tranſiuit. Nam ea *totiens datur, quotiens ex ea cauſa numerati ſunt, ex qua actio eſſe potuiſſet, ſi dominium ad accipientem tranſiſſet*; l. 14. de reb. cred. Subſiſto, ſed propiùs eſt, vt dicamus, dominium, ex cauſa mutui eo caſu non tranſiſſe, vt retuli. Videndum eſt adhuc, ne dici incipiat, nuda traditione transferri dominium, contra quam Paullo placuit in l. 31. numquam, de acquir. rer. dom. Credat qui volet, tam obtuſo fuiſſe Iulianum ingenio, vt in illud temere impingat, vtriuſque voluntas fuit, vt diximus, vt nummi accipientis fierent, fuit etiam cauſa, ex qua traditio ſequi potuit, & licet circa eam diſſenſerint, hoc tamen impedimentum Iuliano non eſt tanti. Non videtur nuda traditio, quæ numeratione, & duplici cauſa inſtruitur, quod ſi admiſimus hodie, nuda pactione ex quolibet contractu creditam pecuniam fieri fictione quadam, & quod dici ſolet, breui manu, hoc multò magis admittendum eſt ſine fictione. Denique non eſt nouum, ſingularia quædam circa pecuniam creditam eſſe recepta: idque ex benignitate, vt ait Vlpianus in l. 15. ſingularia,

laria,

laria, ſi cerſ. pet. & Afric. in l. 34. qui negotia, manda.

Explicata l. 79. ſi chorus, §. area, de legat. 3. Cap. VI.

VEreor, ne aliter quam omnes adhuc acceperimus, exaudienda ſint verba Celſi in l. 79. ſi chorus, §. area de legat. 3. *Area legata, inquit, ſi inædificata medio tempore fuerit, ac rurſus area ſit, quamquam tunc peti non poterat, nunc tamen debetur.* Nam ſi de quolibet ædificio Celſum ſenſiſſe credamus, pugnat id cum l. 44. ſeruum filij, §. ſi areæ, & cum l. 8. ſi ex toto, & cum l. 24. quod in rerum, §. ſi quis, de legat. 1. pugnat etiam cum l. 39. ſi areæ de legat. 2. cuius hæc verba ſunt: *ſi area legata, poſt teſtamentum factum, ædificium impoſitum eſt, vtrumque debebitur, & ſolum, & ſuperficies.* Itaque ſuſpicor, Celſi verba longè aliter eſſe accipienda. Si dixerimus, ita dici aream inædificatam, vt in ea ædes ad diuina miniſteria, aut ſepulcralia, vt quartum Analectum docuit, extruerentur, pax erit. Nam licèt locus ſacer, etiam poſt dirutum ædificium ſacer maneat, l. 6 §. ſacræ res, l. 73. æde de contr. empt. id tamen huic ſententiæ non obſtat: *in ædificatam* enim aream, non conſecratam, aut dedicatam Celſus diceret, quod pariter dicemus, ſi locus purus manſerit, non illatis reliquijs. Definiebant areas, inædificabant, macerijs titulisque diſpoſitis, reliquijs recipiendis deſtinabant. in vet. lap. *Inferendi. in area. humandi. ſepeliendique. ius. poteſtaſque. eſto. ut. huic. area. quam ego. deſiny. &. a fronte. materiam duxi. &. titulum. poſui. vltra. eam. aream. &. materiam. in fronte. in agro. verſus. late. p. xx. retro vſque. ad. Canabetum. huic. area. cedet. in. qua. pedatura neque. humari. neque. tumulum. fieri. volo. vt habeat. ea. area. &. a tergo. &. a latere, acceſſum. ſuum.* Hieron. in 18.

Eſaiæ,

Eſaiæ, lib. 7. Quomodo enim aceruí lapidum, qui in agris diſperſi ſunt, in vnum tumulum comportantur, ſic de vniuerſis nationibus aceruus credentium congregatus eſt in ruina populi Iudæorum, illis cadentibus, & nobis ſurgentibus, niſi quis malit, *cumulum*, non *tumulum* Hier. ſcripſiſſe. In Pandectarum etiam Indice titulus poſtremus lib. XI. ita conceptus eſt: *De mortuo inferendo, & ſepulcro inædificando.* id fortè vult etiam Pomponius in l. 3. eod. *ſi propius ædes tuas quis ædificet & ſepulchrum.* Nam induci volunt τὸ &, quaſi ſuperſit. Videamus, an explicari ſic poſſit: *ſi adiacens ædibus tuis quis aliud quoue ædificium, ſed ſepulcrale inædificet.* Veteres ſepulcralibus ſubſtructionibus maximè intenti erant, quod ſi ædificium adhuc paratum non eſſet, cuicumque temporali tumulo interim reliquias commendabant. l. 14. & ſi quis, §. impenſa, de relig. Locus ædificari dicebatur. Eiuſdem noſtri Iuuentij Celſi I. Conſulti ſubſcriptio, & monumentum elegans exſtat in hanc rem. Velius Fidus, Iubentio. Celſo. Collegæ. ſuo. Salutem. Deſideri. Frater. Arrij. Alphij. Ariæ. Fadillæ. Domini. N. Imp. Antonini. Aug. Matris. Liberti. Libellum Tibi. miſi. cogniti. mihi. ex longo. tempore. primæ. iubentutis. etiam. miratus. cum. ab. Aedibus. eſſem. quot. eo. loco. ſe contuliſſet. a. quo. didici. cauſas. erequitionis. ſet. &. religionis. magnope. a. Domino. N. Imp. impetraſſe. ita. ne. qua. mora. videatur. ei. per. nos. fieri. Libellum. ſubſcriptum. per eundem publicum. ſine. mora. mihi. remittas. Opto. te ſaluon. &. Pedm. es

Exeplu. Libelli. dati

Cum. ante. hos. dies. Coiugem. & filium. amiſerim. epreſſus. neceſſitate. corpora. eorum. fictili. ſarcofago. commendauerim. doni. quis. locus. quem. emeram. ædificaretur. Via. Flaminia. inter. miliar. II. &. III. euntibus. ab. vrbe. parte. læua. cuſtodia. Monumenti. Fla. Thumeles. Mæſola. M. Seli. Orcili. Rogo. Domine. permittas. Mihi.

hi.

hi. in. eodem. loco. in. marmoreo. ſarcofago. quem. Mihi. modo. comparaui. ea corpora. colligere. vt. cuando. ne. ego. eſſe. deſier. pariter. cum. eis. ponar. Feretrum. fieri. placet. Iubentius. Celſus. Promagiſter. ſubſcripſi. III. nonas. Noemb. Antio. Polione. &. Opimiano. Koſ. Ordinalis. Seuero. &. Sabiniano. Coſ. Verùm ſi damus, locum purum fuiſſe, aut non dedicatum, cur Celſus in d. l. 79. ſi chorus, negat, medio tempore peti potuiſſe? Puto quia teſtator Deo, ſeu DIs manibus, vt tunc loquebantur, deſtinauerat, vt iam extra commercium videretur ſed & per hoc mutatam eſſe voluntatem ex diuerſa deſtinatione, vt in d. l. 24. & in d. l. 44. de legat. 1. Macrob. Sat. lib. 3. c. 6. *Nam quidquid deſtinatum eſt dijs, ſacrum vocatur*, vocatur tamen, non eſt, l. 2. ff. de pollicitat. l. 3. C. de furt. & ſeru. corrupt. equidem *ſacrum, ædificium conſecratum Deo*, inquit Feſtus. Hæc ſi non admittimus, dicendum fortè videbatur, hanc Celſi ſententiam improbatam eſſe, l. 98. qui res, §. aream, de ſolut. quaſi peti, & vindicari poſſit, quod præſtari tamen non debeat, ſed tantùm pretium, vel æſtimationem dari oporteat, quod ſcitum de tigno iniuncto in XII. ſed tunc aram alienam legatam fuiſſe, in verbis quoque Celſi dandum eſt, quod de hac Paullus ibi tractet: & ſuper-erit Antinomia.

Actio efficax, ad §. 1. de except. *Cap. VII.*

Efficacem dicimus conditionem, quæ ad conſtituendam obligationem ponitur, dicitur efficax, quia hæc ſpectatur, vt ſit obligatio, quæ poſt perfectam obligationem adijcitur, non eſt efficax, quia nullam ad obligationem conſtituendam efficacitatem habet: vt in illa ſtipulatione, CENTVM DARE SPONDES, NISI NA-

VIS

VIS EX ASIA VENERIT? hæc conditio non pertinet ad conſtituendam obligationem, l. 44. obligationum, §. conditio, de obl. & act. Actio quoque dicitur efficax, quæ reum iure condemnare poſſit, l. 34. Titia, §. qui inuita, de leg. 2. Quæ tamen efficax iure ſit, quandoque inefficax reddi dicitur per exceptionem metus cauſa, aut doli mali, vel in factum, l. 13. ſi mulier, de iur. dot. vel etiam ſine effectu relinqui, l. pænult. C. de adopt. ſed, quantum pertinet ad actionis naturam, quæ vim habebat, & iure ciuili efficax erat, ſi exceptione eliditur, non ideo dicendum eſt, efficacem non fuiſſe, efficacem dicimus actionem, quæ poſſit condemnationis effectum ſortiri, quod ſi exceptione elidatur, nihilominus tamen efficax fuit, non exigitur, vt effectum habeat, quæ dicitur efficax: exigitur vt habere apta nata fuerit, & haberet vtique, niſi exceptio obijceretur, ſic accipiendus Tribonianus in §. 1. de except. Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt iure ciuili te obligatum eſſe, & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax eſt: ſed iniquum eſt te condemnari, ideoque datur tibi exceptio quod metus cauſa, aut doli mali, aut in factum compoſita ad impugnandam actionem, dixit ad impugnandam, nimirum ne vim ſuam exſerat actio efficax, dicetur efficax, quæ vim habet iure ciuili, ἐῤῥωμένη. Theophil. in exceptionis definitione: δικαιολογία τις, ἁρμόζουσα τῷ ῥέῳ κατ' ἀγωγῆς ἐῤῥωμένης μὲν τῷ νόμῳ, ἄδικον δὲ τῇ φύσει προςβαλλομένης ἰσχύν. ideſt: *iudicialis allegatio quædam reo competens aduerſus actionem, quæ ſi ius ſpectes, efficax ſit; ſi naturam, citra iniuriam ad effectum perduci nequeat*. Igitur non eſt, cur in his verbis diſtinguamus, vt efficax actio ſit origine, non exitu, vt putat Cuiac. Efficacia eſt eorum, quæ dicuntur τῇ δυνάμει. Priſcianus in Theophraſtum de anim. c. 13. ſpecies ipſas efficacem habere potentiam dixit, quod ſi aliquod impedimentum ob-

 ſtet,

Digitized by Google

ſter, non ideo ſtatim dicendum, efficaces non eſſe. Speuſippus, ſeu quis alius ex Platonicis, in definitionibus: *δύναμις, τὸ καθ' αὑτὸ ποιητικόν. potentia, quod per ſe ipſum efficax*. Itaque potentia effectum re ipſa non continet, ſed vim ad effectum, & momentum. Ideoque fortaſſe Philoſophus lib. 5. diuinæ Philoſophiæ, potentiam, & actum ad effectus non retulit, vt cæteras cauſarum differentias retulerat. Quo tamen loco Interpræces alia comminiſcuntur, quidam etiam paratragœdiant, vt hodie fit. Sed hoc ego nunc non ago. Sic efficacem puto dici actionem.

De Malefic. & Mathematic. Vlpiani fragmenta reſtituta. Cap. VIII.

MAthematici, ait ille, *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax: quod in ciuitate noſtra, & vetabitur ſemper, & retinebitur*. Sæpius illis olim Roma, & Italia interdictum: demum S. Conſultis de his arcendis cautum ſub Tiberio, quorum meminit Tacit. Annal. 2. & Vlpian. vt refert Collator Moſaicar. & Romanar. legum. Fragmentum eſt huiuſmodi. Vlpian. lib. 7. de offic. Proconſ. ſub titulo de Mathematicis, & Vaticinatoribus. Præterea interdictos. (*Pith.* interdicta) eſt Mathematicorum callida impoſtura, & obſtinacitate perſuaſio. Nec hodie primum interdici eis placuit, ſed vetus hæc prohibitio eſt. Denique extat S. Conſultum Pomponio, & Ruſo Conſs. factum, quo cauetur, vt Mathematicis, Chaldæis, Hariolis, & cæteris, qui ſimilem incertum fecerunt, aqua, & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur: & ſi cæternus gentium quis id fecerit, vt in eum animaduertatur. Locus varie corruptus, & maculis reſperſus. Pro illis, *qui ſimilem incertum fecerunt*, Pithœus legi

legi vellet, *ſimilem artem*, nimis abit à vet. ſcriptura. Lipſius mallet, *ſimilem ceſtum*, aut *quæſtum*, nec adſequi videtur. Vocem haud tritam mendo cauſam dediſſe crediderim, & legam, *ſimilem incentum*, ſignificat, vt puto, Magorum cantamina: vt apud Gellium *incentiones*. Mox reſcribe, *&*, *ſi cæterarum gentium quis id fecerit, in eum animaduertatur*. Significat, non modò in Chaldæos animaduertendum eſſe, ſed in alios quoque cæterarum gentium, ſi eadem admiſerint. Hieron. in Daniel. c. 1. pro Hariolis, Magis, vulgata editio Sophiſtas, & Philoſophos tranſtulit: non iuxta hanc Philoſophiam, & Sophiſticam diſciplinam, quam Græcorum eruditio pollicetur; ſed iuxta doctrinam gentis barbaræ, qua vſque hodie Chaldæi philoſophantur, *idem rurſus in c. 2.* Quos nos Hariolos, cæteri ἐπαοιδοὺς interprætati ſunt, ideſt incantatores. Ergo videntur mihi incantatores eſſe, qui verbis rem peragunt: magi, qui de ſignis philoſophantur: malefici, qui ſanguine vtuntur, & victimis, & ſæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis γενεθλιαλόγους ſignificari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Conſuetudo autem, & ſermo communis Magos pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis huius ſcientiam Reges quoque, & Principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Vnde, & in natiuitate Domini Saluatoris ipſi primi ortum eius intellexerunt, & venientes in ſanctam Bethlehem, adorauerunt puerum, ſtella eis deſuper oſtendente. *Iſidor. lib. 8. c. 9.* Genethliaci appellati ſunt propter natalitiorum conſiderationes dierum. Geneſes enim hominum per XII. cæli ſigna deſcribunt, ſiderumque curſu naſcentium mores, actus, & euentus prædicere conantur, ideſt quis quali ſigno fuerit natus, *mox ſubdit*: Hi ſunt, qui vulgo Mathematici vocantur: cuius ſuperſtitionis genus conſtellationes latini vocant, ideſt notationes ſiderum, quomodo ſe habe-

Digitized by Google

ant, cum quiſque naſcitur. Hæc ipſa Rabanus. Imitatione Auguſtini ſcripta, vel relata potius ex lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 21. & 22. Complura de his apud Cenſorin. c. XI. Contra quos Hieronymi quoque æuo circumferebatur liber de Fato, Minucio Felici adſcriptus, vt ipſe in Catalogo ſcribit, & Ep. 54. ad Magnum. Ars omnibus ferme ſæculis famoſa, quam ſiniſtram appellat Caſſiodor. Ep. 22. lib. 4. maleficam Ancyrana ſynodus c. 23. Criminis reos neque dignitas eximit pœnæ, l. 7. C. de malefic. & mathematic. quod intelligendum eſt de his, qui fuerint in comitatu, vt Græci notant lib. 60. βασιλικ. contra hos etiam lata l. 10. C. de Epiſcopal. aud. Hos ſuper Imperio conſuluiſſe capital fuit: cuius criminis apud Tacitum, alioſque crebra mentio. Vlpianus noſter apud eumdem Collatorem: ſæpiſſimè denique interdictum eſt fere ab omnibus Principibus, ne quis omnino huiuſmodi ineptijs ſe immiſceret: & variè puniti ſunt hi, qui id exercuerunt, pro menſura ſcilicet, & conſultationis, emenda pro menſura ſceleris. Nam etiam capite puniti. Paull. ſent. lib. 5. tit. 21. qui de ſalute Principis, vel ſumma Reipublicæ Mathematicos, Hariolos, Haruſpices, Vaticinatores conſulit, cum eo, qui reſponderit, capite punitur. Mathematicorum itaque nomen famoſum, quod eo Genethliaci præcipuè vocarentur: Geometræ verò licèt re ipſa contineantur, inter Mathematicos tamen minimè cenſerentur. Itaque apud Maximianum, & Diocletian. diſtincta harum artium mentio, in l. 2. C. de malefic. & mathem. *Artem Geometria diſcere, atque exercere, publicè intereſt: Ars autem Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino.* Et lib. 60. βασιλικ. ἡ μὲν γεωμετρικὴ δημοσία διδάσκεται, ἡ δὲ μαθηματικὴ κατακρίνεται. Quo loco deeſt gloſſematium, quod refert Theodorus Balſamon ad caput illud ita ſcribens: καὶ ὁ παλαιὸς φησι, μαθηματικὴν εἶπε τὴν ἀστρονομίαν: *& antiquus ait, Mathematicam dixit Aſtronomiam,*

Ful-

Fulgent. Mythologic. lib. 3. diſtinguit Matheſin ab Aſtronomia: *In Aſtrologicis, prima Matheſis, ſecunda Aſtronomia*. & Paullò poſt: Apud Aſtrologos, aliud eſt aſtrorum, & ſiderum curſus, effectuſque cognoſcere, aliud ſignificata traducere. Gell. lib. 1. c. 9. Hi dicebantur in eo tempore μαθηματικοὶ, ſcilicet ab ijs artibus, quas iam diſcere, atque meditari incœptauerant: quoniam Geometriam, & Gnomonicam, Muſicam, cæteraſque item diſciplinas altiores, μαθήματα veteres Græci appellabant. vulgus autem, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit. Alexander tamen, vt & cęteris Profeſſoribus, ſic & Mathematicis, & Haruſpicibus ſalarium inſtituit, vt Lampridius refert, ſed & Bardas Cæſar Conſtantinopolitanus Leoni Mathematico ſtipendium conſtituit, quin & Vlpianus innuit, antea quoque publicè aliquando Mathematicos profeſſos fuiſſe: *Nam diſſimulandum eſt, nonnunquam irrepsiſſe in vſum, vt etiam profiterentur, & publicè reprahenderent. quod quidem magis per contumaciam, & temeritatem eorum factum eſt, qui viſi erant vel conſulere, vel exercere, quam qui fuerant permiſſum*. Totum hoc fragmentum, vno verbo veteri, Augiæ ſtabulum, & mendis vbertim refertum. Pithœus in prioribus, immiſſa negatione, legit: *Nam diſſimulandum non eſt*. Sed antiqua ſcriptura defendi poteſt. Vult enim Vlpianus, licèt antea publicè profeſſi eſſent, ex quo aliquis dicere poſſet, ferendum hodie pariter eſſe vt profiteantur, quaſi recepto more, & auctoritate ex publica patientia quæſita, attamen id ſpernendum magis eſſe, nulla temeritatis habita ratione, & quaſi non intelligatur, vt in l. 30. de rei vindic. ſequentia ita reſtitui poſſe crediderim: *quod quidem magis per contumaciam, & temeritatem eorum factum eſt, qui niſi erant vel conſulere, vel exercere, quam qui eorum fuerat permiſſum*, ſcriptum *qui*, pro *cui*, vt & quibuſdam Pandectarum locis, ita pariter ſcriptum repe-

rio in alijs Vlpiani fragmentis ante hæc ipſa editis, tit. X. de tutelis: *Is qui tutela in iure ceſſa eſt, ceſſicius tutor appellatur*. Sed video præterea, Chaldæos, & Genethliacos non ſolùm indiſtincte Mathematicos dictos fuiſſe, verum etiam Magos: Iſidor. Primùm autem ijdem ſtellarum interpretes Magi nuncupabantur, ſicut de his legitur in Euangelio, qui natum Chriſtum annunciauerunt, poſtea hoc nomie ſoli Mathematici dicti. Michael quoque Pſellus de Dæmonibus, Magiam dicit maximè inſtrui Aſtronomica facultate. Nec aliud voluiſſe videtur Calliſtenes in hiſtoria Alexandri, ſeu quiſquis ille fuit, qui eam conſcripſit, ſiue γνήσιος, ſiue ἀνθολμαῖος. Verba prolixius adſcribam, cum liber, quod ego ſciam, nondum editus ſit. Nectenabo verò, cum in Macedoniam veniſſet, ingentem in primis famam peperit ſtudium, quod in Inſpectionibus impensè collocabat: adeo vt Olympias Regina, cum de eo multa accepiſſet, & Philippus eius vir in expeditionem profectus eſſet, noctu ad eum venerit, ac reſponſum ab ipſo ſuper eo, quod quærebat, retulerit. Igitur paucos poſt dies accerſitus ab ea, & coram adeſſe iuſſus, admirabilem ſpeciem conſpicatus, in eam pulchritudinem exarſit: protendenſque manum, Salue, inquit, Macedonum Regina, ad quem illa, Et tu ſalue optime Propheta, ſimul accedere, & aſſidere iubet, rogans, Ipſe ne eſſet Aegyptius ille Vates, cuius reſponſa rebus ipſis apprimè conuenire conſulentes compererint, additque, ſe quoque in ſpem adductam eſſe, vt ex eo intelligeret, quonam genere per Inſpectionem vera prædicantur. Tum ille, Varia, inquit, ratio eſt, Regina, qua id, quod quærimus contemplantes aſſequamur, ſunt enim Horoſcopi, Signorum Interpretes, Somniorum Coniectores, Ventri-loqui. . . . . Genethliaci, qui Magi dicti, & Vaticiniorum potentes. Auguſtin. Confeſs. lib. 4. c. 3. Planetarios appellat: illos Planetarios, quos Mathematicos vocant, planè conſulere non deſiſtebam. Aurelius,

lius, planè dixit, vt & plani aliquando à latinis dicuntur, & mori. Nicephorus quoque lib. 5. c. 24. cum refert hæreſim Helceſaitarum, ait, eos complecti Aſtrologiam, & Mathematicum errorem, alludit Seneca in ludo: *patere Mathematicos aliquando verum dicere*, falsè notat mendax hominum genus. Idem tamen & γενικῶς ſumit Ep. 89. Olim ex Eccleſia eiectos fuiſſe, notat Harmenopulus in Epitome Can. tmem. 2. tit. 3. & tmem. 3. tit. 2. ex Can. 36. Laodicenæ verba tamen Synodi hæc ſunt: Quod non oporteat Sacerdotes, aut Clericos eſſe Magos, aut Incantatores, aut Mathematicos, vel Aſtrologos, aut ea facere, quæ dicuntur amuleta: quæ ſunt ipſarum animarum vincula. Eos autem qui hæc geſtauerint, ex Eccleſia deijci præcepimus. Itaque non ſolùm eiecti Sacerdotes, & Clerici ob hoc crimen, ſed etiam qui talibus phylacterijs vterentur. In eadem Harmenopuli Epitom. ſect. 5. tit. 3. ſimilia quædam notantur ex can. LXI. Synodi in Trullo, & ex XI. Baſilij. *Qui Hariolis, vel his, qui Centuriones appellantur ſeſe dediderint tamquam ab illis arcanum aliquod percepturi, ſexennio ſuccumbant, vel homicidæ pœna puniantur. Secundum hæc, & qui vrſos attrahunt, & qui fortunam, & fatum, & genealogiam in ore habent, & qui Nephodiocta dicuntur, & Gyteutæ, & Phylacterij, & Harioli: Quod niſi reſpuerint, ex Ecclesia eijciantur*. Ex eo ab Eccleſia pulſus Aquila Ponticus: ille, qui anno XII. Hadriani Imperatoris, vt auctor eſt Epiphanius in lib. de menſ. & ponder. in translatione Teſtamenti veter. verſatus eſt. Nam cum Mathematicum errorem relinquere nollet, ab Eccleſia eiectus, ad Iudaiſmum diuertit. Inuaſit hæc ſuperſtitio medicam quoque facultatem. Quædam me legiſſe memini apud antiquos Medicos: & ſæpè viſuntur στοιχεῖα, & imagines ad Conſtellationes factæ. Vlpianus in l. 1. de extraord. cognit. inter medicinæ genera hæc, aut ſimilia recipi poſſe negat, & ſunt ſanè talia, quæ meritò Ethnici quoque improbauerint

quæ-

Digitized by Google

quæque inter noſtros non vſurpauerint, niſi Hæretici, inprimis Valentiniani, ac alij Eccleſiæ perduelles, quibus Deo potior eſſet ABPAAΞ. Ex Can. 24. Ancyranæ, quomodo pæniteant, refert Niceta Chartophylax, quæ vtinam hodie ſuo loco haberentur! Non enim videremus idemtidem Clericos circuitores in Aulis Principum, fata præſcribere, non ſecus ac impoſtores cæteri facere ſolent.

Ad l. 19. Labeo, de V. S. & ad l. 1. de pact. *Cap. IX.*

MAgnis aliquando contentionibus agitari audiui, quanam ratione intelligi debeat quod Labeo dixit *Contractum eſſe vltro-citroque obligationem*, l. 19. de V.S. Multa referre ſolent congerrones, & opinionum hamaxarij, nominibus recentiorum Pragmaticorum affatim in congeriem prolatis, mihi ſimplicitas in iure ciuili ediſſerendo ſemper placuit. Itaque puto, eum, qui contractum dicat obligationem vltro-citroque, non totam definitionem, ſed præcipuam definitionis partem dicere; & ſimilem eſſe ei, qui hominis finem propoſuiſſe crediderit, cum dixerit, id eſſe, quod ratione vtatur. Nam, quod præcipuum eſt, dixit. Ita & contractus potiſſimam partem, per quam a pacto ſeiungitur, illam eſſe dicimus. At eiuſdem contractus nempe συναλλάγματος integram, & abſolutam definitionem ex Theophil. in tit. de obligat. §. fin. ita proponere licet: *Contractus eſt duorum, aut etiam plurium in idem conuentio, & conſenſus, ad obligationem conſtituendam, & alterum alteri obnoxium reddendum*. Hæc definitio, cum pacto quoque, & pactioni tribuatur in l. 1. de pact. turbauit quoſdam, adeo vt dixerint, Vlpiani definitionem ad quamlibet conuentionem, & ad pactum latè ſumptum pertinere,

Digitized by Google

tinere,ſed peccant largiter:nam pacti definitio pactum modo complectitur, contractus vero finis illis verbis auctior eſt, ***ad obligationem vltro,citroque conſtituendam***. Non eſt enim contractus nudus conſenſus,nudaue conuentio duorum, pluriumue in idem placitum, ſed illud præterea addendum eſt. Itaque Vlpianus pactum nudum definiuit, non contractum, non quamcumque conuentionem, dici quidem poteſt & contractus duorum, pluriumue in idem placitum conſenſus:ſed qui hoc dixerit, definitionis contractus partem quamdam expreſſit, vt diximus. Si pactum modò definire voluit, ſatis dixit: nam nihil præterea deſideratur, non obligationis, non actionis mentio, l. 7. iuriſgentium, de pact.ſi contractum, aliud exigitur, indè dicimus nudum pactum, quod non tranſeat in nomen contractus. Indignor cum homines pertinaces, ne dicam contumaces, adhuc audio veſtita pacta mordicus retinere, cum iam toties decantatum ſit,non eſſe pacta veſtita, niſi tereriſmata ſcholaſtica. Verùm,vt puto,nec iuratis crederent: tantùm valet apud pleroſque quod ſemel hauſerint, & dixerint. Quidam rurſus Vlpianum vellicant, quod vſus ſit conſenſus voce, quæ latius pateat extra pacti rationem, aptius conuentionis nomen vſurpari credunt,quod optimè generis vicem referre poſſit, cum generale ab eodem Vlpiano dicatur. A recto abire, & mentis deſipere hi homines mihi videntur. Nam explicat mox conuentionem Vlpianus tam luculenter, vt euidenter doceat, conſenſus voce ſe non niſi conuentionem ſignificaſſe, & cum conuentio ad corpora pertinere videatur, eam ipſe ad conſenſum tranſtulit, ideſt ad animorum conuentionem;hunc enim conſenſum modò dicit,non conſenſum in vnius tantùm animo, ſed conuentionem animorum in vnam ſententiam. Diſertiſſimè id explicat: *Nam ſicuti conuenire dicuntur,qui ex diuerſis locis in vnum locum colliguntur, & veniunt, ita & qui ex diuerſis animi motibus in vnum con-*

ſentiunt, ideſt in vnam ſententiam decurrunt, docuit quid per conſenſum intelligeret, ideſt decurſum in vnam ſententiam. Hoc igitur verbum *conſentire*, denotat ſimul ſentire, vt *conuenire*, ſimul venire, vt autem in conueniendo vnus locus exigitur, nec ſufficit perſonarum in idem conſpiratio, niſi & locus vnus ſit, cum alioqui numquam congredi poſſint; ita pariter in huiuſmodi conſenſu, ideſt in animorum conuentione exigitur vna ſententia, quæ dicitur *placitum*, aptiſſimè. Hoc verbum *Placo* præcedentem etiam aliquam diuerſitatem dicit, ideſt varios animi motus, qui in animorum conuentione reperiuntur, vt varia loca reperiuntur in conuentione corporum, cum in vnum colliguntur locum, l. 8. ſi voluntate, C. de reſcind. vendit. Hinc etiam intelligimus, definitionem hanc aptiùs concipi, ſi dicatur, *in idem placitum conſenſus*, quam, vt quidam efferre malunt, & vt a pleriſque accepi, & in libris quibuſdam cuſum eſt, *duorum, pluriumue in idem placitum, & conſenſus*. Græci, vt lego in Synopſi lib. XI. ita referunt: Συμφωνόν ἐστι δύο, ἢ τριῶν εἰς ταυτὸν, ἢ πλειόνων συνέλευσις εἰς τὸ ἀρεστὸν, καὶ συναίνεσις: ideſt, *Pactum eſt duorum, aut trium in idem, aut plurium conuentio in placitum & conſenſus*, & conuentionem, & conſenſum congeſſere: quod & Theophilus fecit. Harmenopul. Epit. lib. 1. tit. IX. § 1 ita: Σύμφωνόν ἐστι δύο τινῶν, ἢ καὶ περισσοτέρων ἀρέσκεια καὶ εἰς ταυτὸ συγκατάθεσις, ὅτι τῷ στέρξαι, ἢ γοῦν γενέσθαι, ἢ διακαθῶσαι τι. quo tamen loco neſcio quo pacto, illa ipſa verba exprimi volunt, nimirum, *in idem placitum*, & *conſenſum*: cum Harmenopul. ea diſtinctè protulerit, ἀρέσκειαν dico, καὶ εἰς ταυτὸ συγκατάθεσιν. Illa quoque verba, ὅτι τῷ στέρξαι, καὶ τὰ ἑξῆς, ad tranſactionem referunt: quod pactum genus ſit, tranſactio ſpecies. Attaliata verò hanc definitionem manifeſto ad contractus, & ad obligationes etiam produxit, tit. 6. Verba tam perſpicua ſunt, vt alterorſum flecti nequeant, obligationes dico ciuiles: nam

quod

quod naturales ex pacto naſcantur, & tollantur, non eſt nouum, l. 5. §. Imperator, l. 95. Stichum, §. naturalis, de ſolut. Et ſanè ferri poteſt, quod, vt diximus, conuentio non ſemper pacti nomine cenſeatur, ſed ſæpè in contractus nomen tranſeat, aut ſpeciale, velut emptionis, venditionis, & ſimilium, aut generale, dum ſtat in primitiuo genere, quod contingit in illis contractibus, in quibus aliquid datur, aut fit, vt aliquid detur, aut fiat: qui nempe cauſam habent, nomen non habent, ineſt pactum contractui, ſiue præcedat, ſiue ſequatur, ſed illis caſibus nomen mutat, quia pacti fine non ſtetit, non eſt nudum, cum pacti fine ſtetit, ſemper nudum eſt: adeo vt nuda ſint non ſolùm, quæ contractui ex interuallo adijciuntur, ſed etiam ea, quæ ex continenti ſequuntur, quæ ineſſe dicuntur, quæ legem contractui dant, quæ in ingreſſu contractus facta ſunt, & contractum, actionemque μετατυπῶσι, quaſi nouam tribuentia formam, & naturam, d. l. 7. iuriſgentium, §. 1. quod portentoſum videri poſſit: & verum eſt tamen, ex doctrina Stephani diligenter Græcus I. Conſultus in elegantiſſima Melete explicauit: a quo ſumpſere, vt puto poſteriores, colligitur ex verbis I. Conſulti Apud Harmenopul. lib. 6. tit. 2. §. 55. idem habes, nudum pactum nimirum neque actionem parere, neque contractus naturam immutare, ſi non ex continenti ſit appoſitum, *nudum* dixit, varia exempla relata ſunt. Itaque propemodum dicturi ſumus quod & ab alijs dictum accepimus, omnia nimirum pacta nuda eſſe. Dices, etiamne legitima? Idem ille Græcus I. Conſultus abnueret, nam nudum pactum dicit, quod non lege quadam, ſiue S. Conſulto confirmatur, quod non tranſit in ſpeciale nomen contractus, quod non ſtat in primitiuo genere, priùs, aliquo dato, vel facto, vt aliquid detur, vel fiat, euidenter negat, legitimum pactum nudum dici. Sanè ex legitimo pacto actio naſcitur, vel tollitur, l. 6. de pact. ex nudo non naſcitur, vt diximus. Qui pactum legitimum

Digitized by Google

& ipſum nudum pactum dicendum eſſe aſſerunt, reſponderent, vt puto, naſci actionem, aut tolli non ex pacti natura, ſed ope legis, aut S. Conſulti, quibus adiuuetur, & verò hæc eſt vis legis, aut S. Conſulti adiuuare pactum: vt opinor, tribuere illi hanc efficacitatem, quam non haberet. Præterea probant id ipſum exemplo pollicitationis. Nam ex nuda pollicitatione dotis, adiumento Conſtitutionum naſcitur actio, l. 6. ad exactionem, C. de dot. promiſs. & nuda pollicitat. & tamen dicitur nuda, dicatur igitur nudum pactum, & pactum legitimum. Hæc ſumma erit: Omnia nuda eſſe pacta, & quæ facta ſint de remiſſione debiti, & quæ iam inito contractu ex interuallo ſubſequantur, & quæ ex continenti apponantur, & denique ipſa legitima, priores ſpecies non pariunt actiones: ex poſterioribus actiones naſcuntur, contractus ipſi tolluntur, minuuntur, augentur, reformantur, aut ea ratione quod contractibus inſint, aut quod lege adiuuentur, vtrumque ex lege prouenit: ſed lex contractus dicitur vna lex abſolutè dicitur altera, illa eſt priuata lex, vt lex commiſſoria, hæc conſtitutio, aut S. Conſultum Cum verò in nomen contractus tranſeunt, ſiue ſpeciale, ſiue primitiui generis, iam non modò pacti, ſed & contractus nomine cenſentur. Qua ratione, & illud eiuſdem Attaliatæ intelligendum erit, quod ſcribit, dum tradit diſcrimen inter pactum, & tranſactionem. Nam pactum dicit propriè debiti confeſſi remiſſionem eſſe, vel obligationis conſtitutionem: Tranſactionem verò non obligationem conſtituere, ſed rem controuerſam decidere. Alibi diſtinctum pactum a tranſactione ſola certi, & incerti debiti ratione, l. 1. de tranſact. & in Synopſi lib. XI. ſed hæc alterius ſunt argumenti. Quod ſi propter actionem, quæ ex legitimo pacto naſcitur, nudum ipſum eſſe negaueris, potiori iure feceris, quam hi faciant, qui pactum ob appoſitam pœnam nudum eſſe negant, Nouell. Leon. 72. Illam ipſam, de qua principio loquebamur, Labeonis definitionem alia

com-

Digitized by Google

complura ancipitem reddunt,cum præſertim in contractibus,qui μονό πλευροι dicuntur,vltro-citroque obligatio non reperiatur: quibus ego nunc deſino.

Seruitus a Seruis: Liberi a Libertate. Diuerſæ originationis ratio. Cap. X.

SVmma *de iure perſonarum diuiſio hæc eſt*, inquit Caius *quod omnes homines aut liberi ſunt,aut ſerui*, l.3.de ſt. hom. Gloſſatores tam Græci, quam Latini eam exagitant. hi & de hac loquendi ratione ſolliciti ſunt, & de iure ſtatu liberi quærunt. Sed profectò, ſtatu-liberum medio tempore ſeruum eſſe, nemo eſt, qui ignorare debeat, l. 9. de ſtatu-lib. Quæ de Adſcriptitio, aut Cenſito obijciuntur, difficiliùs explicari poſſunt. Ego potiùs ſeruos, quàm liberos dixerim, contra quam vulgò credant. Nam deeſt illis facultas faciendi, quod libuerit, adeoque liberi dici nequeunt. At ſerui Clerici non fiunt,l. 36. iubemus, §. ſeruos, C. de Epiſc. & Cleric. Adſcriptitij fiunt, Nouell. 123. cap. 17. non igitur Adſcriptitij ſerui. Nondum dixerunt, quod liberos dici cogat: dixerunt, quod iure nouiſſimo faciat eos non planè ſeruos; olim nec Adſcriptitijs citra dominorum voluntatem id licebat, d. l. iubemus, hodie licet, ſed quid eſt dicere, non planè ſeruos, niſi dicere nec ſeruos, nec liberos eſſe? falſum igitur quod dicitur, ſeruitutem ἄτομον eſſe, nempe quid indiuiduum, ideſt non recipere diuiſionem, μήτε ἧττον, μήτε μᾶλλον, vt ait Theophilus: quod & ad ingenuitatem pertinet, & de libertinorum ſtatu hodie dici poteſt, falſa etiam diuiſio Caij, ſed falſa non erit, ſi Caij tempora reſpexeris, nam *obærati* antiquorum, liberi erant, vt ſcribit Varro, nec tertium genus conſtituebant. Denique diuiſionem illam, pluribus nominibus *ſummam* dictam eſſe credam, & præſertim quod omnes homines ad alter-

utrum ſcaput reuocare oporteat. Adſcriptitij ad ſeruos commodè reuocantur. Nam dominos habent, quorum in poteſtate ſunt, & eorum peculia dominis competunt, igitur ſerui, quis enim tales potiùs liberos dixerit, quam ſeruos? probat apertè l. 19. & l. 21. de agric. & cenſit. & & colon. Codic. lib. 11. tit. 48. Quid ſi præterea dixeris, conſultò à Caio diuiſionem hanc ea ratione conceptam fuiſſe, *omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſerui*, vt quod modò dicebamus, ſignificaret? Multa Interpraetes de pluratiuo numero, de diſtributione, & collectione, ſed hoc fortè voluit, Extra latitudinem huius diuiſionis non reperiri omnes homines. Hanc vim habet vox illa *omnis*, & ſimili quadam ratione Matthæus Canoniſta Græcus explicat illud Laodicenæ Syn. can. 31. ὀ δεῖ πρὸς πάντα αἱρετικὸν ἐπιγαμίαν ποιεῖν: id. *Non oportet omni cum hæretico matrimonium contrahere*. Arctiùs ſe ipſum coercebit, qui dixerit, *Hominum quoſdam liberos eſſe, quoſdam ſeruos*, quod Græci dicere maluerunt. Aliam quoque vim obtinet ea vox: vt cum dicitur à Cæſare, *omnis Gallia diuiſa in tres partes*: à Strabone, πᾶσα Κελτικὴ, ideſt ὅλη, *tota*, ſed hæc ad aliud pertinent. Iam verò contra illā ipsā diuiſionē objjcit Enantiophanes βασιλικ. lib. 46. ſeruum perſonam iure non habere, l. 55. ſi patroni, §. 1. ad Trebell. Indè ſeruus dictus ἀπρόσωπος. Caſſiodor. lib. 6. ep. 8. *quid enim priùs facerent inter ſeruos iura publica, qui perſonam legibus non habebant*? Sanè *ſeruitutem mortalitati ferè comparamus*, l. 209. de reg. iur. Dicimus etiam, ſeruile caput nullum ius habere, l. 3. de cap. minut. Qua igitur ratione diuiſio de iure perſonarum ex altera parte ſeruis inſtruitur, ſi ſeruus nec perſonam, nec caput, nec ius habet? ſed occurrit idem, iure ciuili hæc vim habere, naturæ iure omnes homines pares eſſe, l. 32. de reg. iur. eadem ratione vſus eſt Tryphoninus in l. 64. ſi quod dominus, de condict. indeb. Itaque ſerui naturaliter obligantur, quod adeo verum eſt,

vt

vt ſi quid manumiſſi ſoluerint, non repetant velut indebitum, l. 83. ſi tuo ſeruo, de ſolut. ita nempe naturales obligationes æſtimamus, l. 10. naturales, de oblig. Extra ius naturæ, nulli pænè ſunt, & ne quidem omnino iure ciuili, neque iure Prætorio, neque extra ordinem computantur, l. 7. nullo, de l. Corn. de falſ. quin nec rei fiunt ex illis legibus, quibus pecuniaria, vel capitis pœna irrogatur, l. 12. hos accuſare, §. omnibus autem, de accuſat. Quoniam tamen natura communis eſt, vt ibidem Saturninus ſcribit, & in eos animaduertetur, ideo capitis crimine damnari, aliquando legimus, l. 1. C. de bon. proſcriptor. Quod ademit conſtitutio iuris gentium, reſtituit ius naturæ, reſtituit etiam idem ius gentium per manu-miſſionem; ſic enim adimit conſtitutio, vt non prorſus tollat, non corrumpat omnino, tanta eſt naturæ vis, ea præcipuè vis elucet, ſi ſerui bello capti poteſtatem noſtram euaſerint, ea enim, quæ ex hoſtibus capiuntur adeo noſtra intelliguntur, vt φυσικὴν κτῆσιν illorum Theophilus dicat, & tamen cum captiui manus noſtras euaſerint, & ad ſuos ſe receperint, priſtinum ſtatum ita recipiunt, vt ad illius reſtitutionem nihil amplius deſideretur, l. 7. adeo, de acq. rer. dom. l. 21. ſi quis ingenuam, de capt. & poſtlim. Apparet etiam eadem vis, ſed non tanta in manu-miſſione. In qua re deſcribenda luminibus interſtincta mihi videntur Vlpiani verba in l. 10. manu-miſſiones, de iuſt. & iur. *Eſt autem manu miſſio de manu miſſio, ideſt datio libertatis. Nam quamdiu quis in ſeruitute eſt, manui, & poteſtati ſuppoſitus eſt: manu-miſſus liberatur poteſtate.* Dicit manumiſſionem eſſe de manu miſſionem. Quod immutauit Tribonianus, qui dixit: *Manumiſſio autem eſt de manu datio.* Neſcio quo conſilio, fortaſſe credidit, nugari Vlpianum in eadem vocum repetitione, ſed I. C. ea mens fuit, vt oſtenderet, *manum* non inſtrumentum hic ſignificare, ſed poteſtatem; nil aliud igitur eſt de manu miſſio, quàm

de

de poteſtate miſſio, ideſt libertatis datio, aliud ſignificat *manus* in *manubijs*, in *mancipijs*, aliud in *manu-miſſione*, in *conuentione in manum*, de qua Vlpian. tit. IX. quod conſtat ex verbis Gellij lib. 18. cap. 6. *quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet*. Regum *manus* in l. 2. §. 1. de orig. iur. Ea poteſtas in ſeruos non eſt perpetua, res ad naturam redire poteſt etiam ciuili modo, & ratione, *quamdiu quis in ſeruitute* fuerit, poteſtas illa naturali facultati officere poteſt, vlteriùs non poteſt. Non ſic fugitiuus, aut erro, qui poteſtatem domini non euitat, dominium enim adhuc viget, cui ſubditus eſt, vt etiam fur ſit, qui fugitiuum celauerit, l. 1. l. vlt. de fugit. Non ſic quid aliud, quod noſtrum ſit: nam ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt, niſi nominatim ſit conſtitutum, l. 11. id, quod noſtrum, de reg. iur. l 67. alienatio, de contr. empt. l. 3. C. de rei vindicat. Denique duobus illis modis iuris gentium Conſtitutio ceſſat: ſi ad ſuos reuerſus fuerit, quod natura dictat: ſi de manu miſſus ſit, quod præſcribit lex, ſed gentium, modos complures ſtatuit ius ciuile, *manumiſſus* igitur *liberatur poteſtate*, hæc mens Vlpiani fuit, ni fallor. Sequitur in l. 4. eiuſdem tit. libertatis definitio ex Florentino deſumpta: cui à Triboniano ἐτυμολογία liberorum præpoſita fuit in §. 1. de iur. perſonar. *& libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) eſt naturalis facultas*, quis contra potiùs libertatem à liberis dictam eſſe crediderit, ſed hæ vocum deductiones phyſicæ ſunt, de quibus alio loco quædam dicturus ſum; ſic igitur accipio, vt ex eo, quod quiſque à natura poteſtatem, & facultatem habeat faciendi quod ſibi libuerit, liber dicatur, priora verba ipſam libertatem referunt. Igitur liberi à libertate dicti, promptam habet rationem, hæc naturalis facultas cum ipſo homine prodit: vt eam præire, diſtinctas has appellationes liberorum, & ſeruorum ſequi, manifeſtum ſit. Ita

Theo-

Digitized by Google

Theophilus dixit, ἐπινενόηνται προσηγορίαι, ita & Harmenop. 1. tit. 18. §. 1. poſteriùs enim excogitatæ ſunt. Serui verò à ſeruando dicti, cur non & ſerui à ſeruitute, vt liberi à libertate? ſed iam ratio euidens eſt. Libertas eſt à natura: ſeruitus, contra naturam Conſtitutio iuris gentium, ſicut & dominatio, vt Tryphoninus ſcribit. Prius igitur ſeruati ſunt, mox in captiuitatem ducti, conſtituta iure gentium ſeruitute, & dominatione. Auguſt. de C. D. lib. 19. c. 15. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura. Origo autem vocabuli ſeruorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui iure belli poſſent occidi à victoribus, cum ſeruabantur, ſerui fiebant, a ſeruando appellati. Homo naturæ nomen eſt, d. l. 10. manumiſſiones, & ita I.C. ſeruos naturæ nomine homines dicunt. Stilpon, qui ſpecies tollebat, vt ſcribit Laertius, nec nomen iſtud eſſe naturæ conceſſiſſet. Seruum Seneca nomen dixit ex iniuria natum, vt autem quiſque ſeruari, & ſeruire malit, quàm perire, naturæ votum eſſe videtur: ita vt magnæ fuerint admirationi qui perire, quàm ſeruire maluerunt. Nam in omnibus ferè gentibus quodammodo vox naturæ iſta perſonuit, vt ſubiugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quam bellica omnifaria vaſtatione deleri, ſcribit Auguſt. de C. D. lib. 18. c. 2. Scimus tamen, veteres Hiberos, ſi quando in diſcrimen veniſſent, ne hoſtium potiti ſeruirent, libertatem veneno vſurpaſſe: quem morem minimè ſeruilem gentes etiam quaſdam in Aſia, Scythas nimirum extra Imaum, recepiſſe, noſtra quoque tempeſtate proditum eſt.

Arbores cremiales. Cremia, Gremia. Ambroſius explicatus. Cap. XI.

NON me mouet Florentina ſcriptura, vt in l. 7. §. ſi fundum, D. ſol. matr. legendum ſit *gremiales*, non

cremiales: nam hæc litterarum immutatio frequenter à Librario vſurpatur: & ſic eo ipſo capite *dia loGutionis*, ſcriptum videmus. Magis me ſtare cogit Græcorum I. C. auctoritas: nam & in contextu, & in Gloſſematis ſuperſcriptis, & apud Dorotheum *gremiales arbores* explicantur, quæ in vlnis ferantur, ligna nimirum ſubtilia, & farmentoſa, quæ vlnis colligimus, & ſanè, quòd ligna, quæ hoc nomine appellentur, tenuia admodum ſint, ſcribit Columella lib. 12. de re ruſt. vt ab alijs quoque animaduerſum fuit. Quibus adſtipulantur quæ ſcribit Vlpianus in l. 55. ligni appellatio, §. lignis autem, de legat. 3. *ſed ſi voluntas non refragatur, & virgula, & gremia, & ſarmenta, & ſuperamenta materiarum, & vitium ſtirpes, atque radices continebuntur*, ex quibus colligimus, inter ea, quæ comburendi cauſa parata ſint, ſpeciem quamdam eſſe, quæ ſic appelletur, nec opus eſſe, vt *cremiales arbores* à cremando potiùs dici velimus. In Gloſſario Iſidori: *Gremia, ſiccamina lignorum*. Heſychij eadem mens, dum explicat φρύγιον, ξύλον ξηρόν. Non hæc gloſſematia qualitatem, & vſum reſpiciunt, non quantitatem, in Pſ. 101. ϗ τὰ ὀστᾶ μου ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν. ſic habent LXX. Vet. Interpr. vertit, *& oſſa mea ſicut cremium aruerunt*, ariditatem nimirum expreſſit, quam græcæ voces elegantiùs ingeminant, φρύγιον συνεφρύγησαν. Græci interpretes φρύγανα dixerunt quæ *ſtramenta* Paullus appellat in l. 45. ſcientiam, §. 2. ad l. Aquil. Cum ſtramenta ardentia tranſilirent duo concurrerunt, amboque ceciderunt, & alter flamma conſumptus eſt, nihil eo nomine poteſt agi, ſi non intelligitur, vter ab vtro euerſus ſit. ζαριλιχ, lib. 60. *Pyra dicta*. Quæ ad luſus pertinere credo, non ad Ethnicas conſecrationes, quarum mentio in ſacris litteris, Reg. IV. c. 16. 17. & alibi, add. Vide can. 65. Trullan. *de his, qui ante Officinas in noui-lun. rogos accendunt, & ſuper eos ſaltant*. De *Purgatione* non ago hic. Quidam etiam crediderunt

runt *cremia*, dicta fuiſſe oſſa arida, quæ ex vſtrina ſepulcrali ſuperent. Ambroſ. in enarratione ſuper Geneſ. *Cuius ſtellæ obitus non cremiorum ſenſibilium, ſed ſpirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis reſuſcitauit.* Sed fortaſſe falluntur, liber ſcr. cuius ſtellæ obitus, non gremiorum ſenſibilium, ſed ſpiritualium defunctorum triumphales manipulos de tumulis reſuſcitauit. Referenda ſunt hæc ipſa ad agriculturam, vt & ea, quæ proximè Ambroſius ſcripſerat, dum dixit: *quid igitur opus eſt, vt explorem ortus ſignorum, atque obitus?* Poeta 1. Georgic.

Nec fruſtra ſignorum obitus ſpeculamur, & ortus. Vult igitur Ambroſius, Patrum, qui vixerant, corpora ſurrexiſſe in Chriſti Domini morte, vt etiam ſurculi in agris, aut putamina, ſeu præciſi, & tantum-non enecti, aridique bacilli in arboribus per plantationem, aut inoculationem in ſtellæ alicuius exortu, vel obitu, feliciùs reſurgere, & reuiuiſcere ſolent.

De Inuentario Tutoris, & Hæredis.
Cap. XII.

EXcuſatio illius, qui ſe negat litteras ſcire, an accipienda ſit, controuerſum fuiſſe videtur, negat Paullus, *ſi modò*, inquit, *non ſit expers negotiorum*, l. Athletæ, §. fin. de excuſat. Huic ſententiæ obloquitur Tribonianus in §. ſimiliter, eod. tit. Similiter eos, qui litteras neſciunt, eſſe excuſandos, D. Pius reſcripſit: quamuis & imperiti litterarum poſſint ad adminiſtrationem negotiorum ſufficere. Complures ex recentioribus opinantur, mutatum poſtea fuiſſe à D. Pio quod Paullo placuerat, & vtique omnino id verum eſt, ſi ad D. Pium modò referatur, ſi hoc ipſum ſenſiſſe Tribonianum velint, dicendum erit, per ea verba ſignificaſſe, D. Pij definitioni minùs officere,

Digitized by Google

quod & litterarum imperiti negotijs ſufficere poſſint; quid ita? fortè quod ratio tutelæ gerendæ aliud exigere videatur, cum & rationes, & Inuentarium, ſeu Repertorium tutor conficere teneatur: cæteroqui iuretur in litem, l. 7. tutor, de adminiſtr. & peric. tut. l. 1. §. officio, de tut. & rat. diſtr. quam rationem non eſt qui non videat. Sed ego numquam credidi, D. Pij Reſcripto Tribonianum ſubſcripſiſſe, potior mihi videtur antiquorum Gloſſatorum ſententia, vt nempe cum dixit, *quamuis & imperiti litterarum poſſint ad adminiſtrationem negotiorum ſufficere*, ſignificare voluerit, D. Pij Reſcriptum ſemper, & indiſtinctè recipiendum non eſſe. Nam ſi quis litteras neſciat, & negotijs tamen maximè ſufficiat, e re pupilli fuerit, hunc potiùs, quàm alium, quamuis doctiſſimum, negotijs pupillaribus præfici. Sæpè vſu-uenire ſolet, vt litterarum imperiti, & cætera rudes, non modò litterarum gnaris, ſed etiam doctiſſimis, & inſtructiſſimis peritia rerum gerendarum, & dexteritate negotiorum conficiendorum præſtent. Hoc & Paullus voluit, vt ex illis apparet: *ſi modò non ſit expers negotiorum*. Hoc ipſum igitur, & ad vſum referemus, vt ſi è re pupilli fuerit, & hunc cogamus, ſed qui rationes, aut Repertorium conficiet? Id expeditum eſſe puto. Nam verum eſt, nihil pænè à tutore ante factum Inuentarium geri poſſe, non ita tamen vt per alium aut illud, aut rationes conficere nequeat. Certè fruſtra inter ruſticos plerumque tutores, aut curatores quærerentur, fruſtra tabulis ſcriberentur, aut à lege vocarentur, quod & in fœminis frequenter obſtaret, cum tamen hodie quibuſdam etiam ex illis tutela deferatur, Nouell. 118. Placuit maioribus noſtris, vt fœminæ non modò litteras ſcirent, ſed & liberalibus Artibus inſtituerentur: adeoque Virgines in ludum itare conſueuerant, vt liquet ex his, quæ de Virginia ſcribit Liuius, & Dionyſ. Halicarnaſſ. & ex l. 4. ff. vbi pupill. educ. vel mor. deb. Nunc alij ferme

Digitized by Google

me ſunt mores. Neque veteres tamen litterarũ vſũ fœminis paſſim permittebant, priſci moris mentio apud Harmenopul. Epit. lib. 5. tit. 1. §. 33. quo vetitum erat mulieri inſtrumentis ſubſcribere, aut quaſuis tabulas ſubſcriptione firmare, ſequuta lex eſt, cum cautum fuerit, myſticum, vel occultum teſtamentum nec fœminas, nec illitteratos condere poſſe, & nomen hæredis aut per teſtatorem, aut per teſtes ſcribi, §. 4. Inſt. de teſt. l. 29. l. 30. C. eod. Nouell. *66.* cap. 1. ſed abrogatum id poſtea Nouell. 119. c. 9. Præterea leges antiquæ ad teſtimonia fœminas non admittebant, ideo ius teſtimonij dicendi Tarratiæ Veſtali tributum fuiſſe, ſcribit Gell. lib. *6.* c. 7. & merito I. C. noſtris ſub-iraſcitur Leo Imp. Nouell. 48. quod fœminas in iudicio teſtimonij dicendi ius habere voluerint, l. 18. ex eo, ff. de teſtib. vt per impudentiam ad Scythicum morem accedere videantur, quo fas erat ad bella cum viris armari, ſed & iure noſtro à teſtamentis arcentur, l. 20. qui teſtamento, §. mulier, ff. qui teſtam. fac. poſs. Harmenopul. lib. 1. tit. *6.* §. 53. ſcribit, Vetuſtiores leges ἐν συστατικαῖς μαρτυρίαις, id. *ad commendatoria teſtimonia* fœminas non admiſiſſe: ἐν ἀποδεικτικαῖς, id. *ad demonſtratoria*, admiſiſſe. Sed redeo ad Inuentarium: quod hæres quoque conficere poterit, quamuis litterarum ignarus, ſi beneficio Iuſtiniani vti voluerit, l. fin. §. ſin autem dubius, C. de iur. delib. ita tamen, vt is Inuentario ſub-ſcribendo ſpecialem Tabularium adhibere debeat, qui pro eo litteras ſupponat. Hoc amplius: Venerabile ſignum Crucis ſua manu præponet. Non enim neceſſarium fuerit, eum litteras ſcire, vt hoc facere poſſit. Nota, ſeu ſignum eſt. Litteræ non ſunt Notæ, l. *6.* de bon. poſs. l. 40. Lucius, de teſt. milit. Ideoque Iuſtinian. in Nouell. 73. ſeorſum agit de Comparatione notarum, & litterarum. Notas etiam dicemus, aut inter notas recipiemus, quas Sifras hodie vocant, & veluti propria ſigna quidam vſurpare

ſolent.

ſolent. Notas in iure dicimus notas vulgares, quibus Acta Præſidum olim ſcribebantur tum inſtituto Romano, l. 33. inter, ff. ex quib. cauſ. maior. Iſidor. Origin. 1. c. 24. dum etiam Eccleſiaſtico, ſeptem Notarios olim per Vrbis Regiones diſpoſuerat Clemens Pontifex geſtis Martyrum excipiendis: quibus ſeptem ſub-Diaconos præfecit poſtea Fabianus, qui Antero ſucceſſit, ne fide venali Eccleſiæ imponerent. Complura notata prioribus. Apponam Auguſtini verba, quæ notata non video. A Notarijs Eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis: & meus ſermo, & veſtræ acclamationes in terram non cadunt. Apertiùs vt dicam, Eccleſiaſtica nunc geſta conficimus. Vſus etiam Notarum in Diſputationibus, & Quæſtionibus inter Catholicos, & Hæreticos, vt exciperentur diligenter quæcumque dicerentur, licèt maxima pernicitate dicerent, quod non minùs pernix eſſet manus ſcribentis, quàm velox lingua diſſerentis. Memini exempla quædam in Actis Synodalibus, & etiam alibi adnotaſſe, add. Vide Nicephor. lib. 6. c. 28. & Auguſtin. Ep. 178. *Singla*, ſeu *Siglas*, aut *Sigla* appellare videtur Iuſtinian. in Conſtitutionibus ſuis, C. de vet. iur. enucl. Notæ tamen à Siglis diſtinguentur, ſi verum eſt, dici *ſinglas*, quaſi *ſingularias litteras*. Eadem erit vis Comparationis, & in Sitis, & in Notis. Eiuſdem Nouell. 73. c. 8. putant de Venerabili Signo Crucis ſenſiſſe Iuſtinianum, deſcripſit, quinque teſtes adhibendos eſſe, ſi contrahentes litterarum imperiti fuerint: *inter quos erit, & qui ſcribit pro contrahente aut totum, aut poſt ea, quæ poſt paucas litteras illius poſita ſunt*. Id verò Iulianus Epitomator expræſſit: ſed verbis illis Iuſtiniani non continetur, quod, vt diximus, Notæ non ſint litteræ. Græca verba illa ſunt: ἢ τὸ πᾶν, ἢ τὸ μετὰ τὰ ὀλίγα γράμματα τὰ παρ' ἐκείνου τεθέντα: id. *aut totum, aut quod* (reliquum ſit) *poſt paucas litteras, quæ ab illo exarata fuerint*. Contrahentes enim ſæpè omnino ru-

des,

des, & ignari litterarum, ſæpè paucas litteras pingere edocti, vt Iuſtinian. prædixerat. Sunt qui nomen modò ſuum exarare poſſint: ſunt qui paucas litteras pingere didicerint. Hanc ſubtilitatem exigit Nouella, vt illas paucas pingant, & ducant vtcumque: reliqua ille perficiat, & expleat, qui vice ignari litterarum ſcribendo, ſub ſub-ſcribendo adhibeatur. Ita totum ſcribet teſtis, ſi qui contrahit, planè rudis litterarum fuerit: non totum verò, ſed reliqua ſcribet poſt paucas litteras à contrahente exaratas, ſi aliquid modò exarare potuerit. Poteſt & illud intelligi, vt ſimul etiam vener. ſign. Crucis exprimat, quidni? cum præſertim & alibi hoc ipſum præſcriptum fuerit, id tamen expreſſum non fuit. Hic mos inoleuerat, cum maximè ab æuo Conſtantini, vt in publicis, priuatiſque monumentis, & ſcripturis hoc Sacroſanctum Signum aponerent, vt & in nummis videmus, & vt aliàs monui. Manſit & poſtea, adeo vt nuda pacta non minùs conſtituta pœna, quàm hac Nota adſcripta, aut Sanctiſſimi Ternionis inuocatione adiecta, robur haberent, Nouell. Leon. 72. & hac ratione exaudienda quæ refert, & Harmenopul. lib. 1. tit. 9. §. 12. Sed ſunt quidam adeo rudes, vt nec lineas, quibus hoc ſignum exprimant, ducere valeant. Indè quæſitum, an alius manum dirigere poſſit, quid enim ſi ſit ruſticus, ſi timidus, ſi fœmina, ſi, vt ſæpe vſu-venire ſolet, planè rudis, & hebes? Et Iuliano Antecesſori placuiſſe videtur, poſſe: Argumento, & illud eſſe creditur, quod Iuſtinianus retulit Nouell. 90. in Bithynia Prouincia contigiſſe. Nam teſtes manum demortuæ fœminæ per chartas duxiſſe dicit, vt manu eiuſdem Nota illa tabulæ ſignatæ viderentur, hoc eo tantùm nomine improbè factum dicitur, quod fœmina iam exſpiraſſet. Et illud quæſitum, An huius Notæ omiſſio vitiet Inuentarium, dico Inuentarium hæredis. Non omnes idem ſentiunt: ſed Pragmatici eam fere ſententiam ſequuntur, quæ vitiare negat, à compluribus recepta.

pta dicitur. Ea præcipua ratione nituntur, quod ad Inuentarij formam Nota illa non pertineat, ſed potius leuis quædam ſollemnitas ſit, idque probant ex eo, quod non ab omnibus apponi Iuſtinian. iuſſerit, ſed ab his modò, qui litterarum ignari fuerint. Argumentum, vt mihi videtur, inane, & inefficax. Nam propria forma præſcripta fuit Inuentarij conficiendi ab eo, qui litteras neſciat, ad quam hæc Nota pertinet. Et quænam ratio hæc eſt? Non ab omnibus illud obſeruandum eſt, licèt poſtea omnes obſeruare conſueuerint, Ideoque ad Inuentarij formam non pertinet, ideſt indiſtinctè ad nullius Inuentarij formam. Igitur, cum ſollemnitas, quæ in teſtamento cæci exigitur, non ob omnibus obſeruanda ſit, eadem licentia indiſtinctè dicant, eamdem ad teſtamenti formam non pertinere. Dixiſſent, in qualibet Inuentarij forma non exigi: & rectiùs dixiſſent, ſed illa collectio ad rem non erat. Nec ſanè alia ratione, tanta ſubtilitate manu hæredis, licèt litterarum imperiti Signum illud exprimi Iuſtinianum voluiſſe crediderim, niſi quod impoſturas timuerit, vt etiam de cæci teſtamento pater eius ſollicitus fuit, l. 8. hac conſultiſſima, C. qui teſt. fac. poſs. Sed nobis de Inuentario tutoris agentibus Inuentarium hęredis obrepſit. E re nata factum eſt. Harmenop. Epit. 5. tit. XI. §. 25. quærens de tempore, intra quod a tutore Inuentarium conficiendum ſit, ad id ipſum reſpexit, & idem tempus, quod in hærede, nempe trimenſtre requiri credidit. Idem præſcripſit Leo Nouell. 110. de Inuentario rer. dotal. Eademque ratione diuerſum tempus abſenti præſcriptum, annuum nimirum, apud eumdem Harmenop. legimus lib. 1. tit. XIII. §. 36. & 38. Accurſius improbat. Quæ de Inuentario hæredis præſcripta ſunt, ſpecialia ſunt, vt dixi, in alijs non puto paſſim tantam exigi ſubtilitatem, & obſeruationem. Potiùs dicemus, Inuentarium primo quoque tempore a tutore conficiendum eſſe, quam ſententiam profectò dicit & d. l. 7. tutor,

tor, ff. de adminiſtr. & l. 24. tutores, C. eod. Si quid circa hoc ſtatuendum fuerit.. Prætor partes ſuas interponet. Nam ſi tempus à lege definitum non ſit, a iudice ſtatuendum erit, idque & exploratiſſimum eſt, vt notat Euſtathius de tempor.

Antiqua lectio quibuſdam Pandectarum locis defenſa: Apud Tacitum item, & alios. *Cap.* XIII.

VSV-VENIRE ſolet, vt rem, quam verba reſpiciamus. Exempla diuerſa ſunt. Vulgò dici ſolet, filio familias credi non licere, quod non ad verba referendum eſt, ſed ad numerationem, l. 4. ad Macedonian. Diuerſum eſt cum ad ea, quæ verbis ſignificantur, reſpicimus; vt cum dicimus, Præſidem, aut alium quem Magiſtratum, ſontem flagris, ſeu flagellis, aut loris rumpere, cædere, l. 9. §. 3. l. 15. §. 39. l. 17. §. 2. de iniur. Add. Caſſiodor. de Præfect. Prætor. lib. 6. *Curiales etiam verberat*. Nec diſſimili ratione in ipſa verborum ſtructura nonnulla apud Auctores noſtros, alioſque Scriptores conſtare dicimus, quæ corrupta videantur. Papinian. in l. 121. §. 1. de verb. obl. *nihil cauſæ eſſe reſpondi, cur ex ſtipulatu, quæ ex bonis moribus concepta fuerat, mulier impleta conditione, pecuniam adſequi non poſſit*. χῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον. Nam ad ſtipulationem referendum eſt quod dicitur, *quæ ex bonis moribus concepta fuerit*, rectè tamen dicitur, mulierem ex ſtipulatu pecuniam adſequi poſſe, ſunt qui verba illa mendoſa credant. Item *de inofficioſi* cognoſcere dicitur iudex l. 8. Papinianus, §. ſi ex cauſa, de inoffic. Græci τὴν *de inofficioſo* dicunt, ſunt & alia ſimilia. Benè item concepta illa Edicti: POTIVS, QVAM CVIQ. PERICVLOSVM ESSE FIDEM SVAM, in l. 1. ad Trebellian.

Digitized by Google

periculoſum, κινδυνῶδες. Lectum mihi & in Tertulliano, *noſtra notatio totum verſiforme eſt*. Liv. lib. 7. *Livius poſt aliquot annos (id, quod omnes tunc erant) ſuorum carminum actor*. Valer. Flacc. lib. 1.

——— fratriſque pauenti
Progeniem, Diuumq; minas: hunc nam fore Regi
Exitio. ———

Videamus, an & ſimili ratione defendi poſſit, integram eſſe ſcripturam in l. 57. de contr. empt. *Sed ſi pars domus maneret, Neratius ait, hanc quaeſtionem multum intereſſe, quanta pars domus incendio conſumpta permaneat*, quomodo enim permaneat, ſi incendio conſumpta? Sed incendio conſuptam accipiemus ambuſtam partem, quæ ſuperſit, vt quæ lacera ſit, & ſemi-uſta. Geminus eſt in Tacito locus Annali XV. *Caeterum Vrbis quæ domus ſuper-erant, non vt, poſt Gallica incendia, nec paſſim erectæ*. Dicunt, quomodo erectæ, ſi ſuper erant; Sed dicemus, omnia ea verba, *quæ domus ſuper-erant*, earumdem reliquias ſignificare. Dixerat Tacitus: *Quippe in Regiones quattuordecim Roma diuiditur: quarum quatuor integræ manebant: tres ſolo-tenus deiectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſuper-erant lacera, & ſemi-uſta*. Has igitur reliquias erectas, & inſtauratas fuiſſe ſignificat. Ruinis autem vſus eſt Nero in extruenda aurea illa domo, cuius ob laxitatem, vt ſcribit Sueton. Roma ipſa tantum non domus fieri videbatur.

De inofficioſi querella. Græcorum adnotatio ad extremum verſum l. fratres, C. de inoffic. teſtam. Reſtituta, & explicata quædam obiter in Valerio. Cap. XIV.

CENTVM-VIRALE iudicium de inofficioſi querella ex vtroque latere iniuriam continere videtur. Nam

exhæredationis ſupremo iudicio adficitur exhæredatus, & is voluntatem ſugillat, quaſi mentis deſiperet teſtator, cum exhæredauit, hoc colore apud iudicem res defendebatur, l. 2. l. 5. l. 13. de inoffic. Ideoque dicimus, eum, qui inofficioſum improbè dixit, nec obtinuit, id quod teſtamento accepit, perdere, idemque fiſco vindicari, quaſi indigno ablatum, l. 8. Papinianus, §. meminiſſe, eod. Sed nec poſt legatum acceptum, inofficioſum dici permittitur. Aliud verò dicendum, ſi iure factum negauit, quia de iure diſputauit, non iudicium impugnauit, aut accuſauit, l. 5. l. pæn. de his, quæ vt indign. l. 10. ſi pars, §. 1. de inoffic. Non ita propriè, vt Papinianus, loquitur Vlpianus in l. 1. eod. Nam & diſputare dicit eum, qui de inofficioſo agat. Iniuriam autem exhæredatione induci, Caius apertè ſcripſit: *Non eſt conſentiendum parentibus, qui iniuriam aduerſus liberos ſuos teſtamento inducunt*, l. 4. eod. ſed, quemadmodum iudicijs, verbiſque famoſis abſtinendum, vt verbis ſaltem res temperetur, aut non dentur actiones, ſi aliæ ſint, quibus experiri liceat, l. 1. l. 10. non debet, de dol. l. 2. l. 5. C. eod. ita pariter inofficioſi querella deferebatur, vt non dementis teſtamentum impugnaretur, quin rectè, ſed non ex officio pietatis factum diceretur, cum nec dementis teſtamentum ſit, cuius nulla eſt mentis conteſtatio, indè dictum *inofficioſum*, denique querella non quarta modo, vt olim, d. l. 8. §. quoniam autem, de inoffic. ſed quantacumque hæreditatis parte circumſcribitur, l. 30. omnimodo, l. 36. ſcimus C. eod. etiam numiſmate, vt ait Theophil. Quoad perſonas, hoc ſeruatur, vt liberi paternam voluntatem impugnent, & parentes de liberorum teſtamentis querelam deferant. Frater (quo nomine ſororem etiam ſignificamus) non ſemper hanc actionem intentat; vltra fratrem ſororemue cæteri cognati numquam. Nam hi melius facerent, ſi ſe ſumptibus inanibus non vexarent, cum obtinere ſpem non haberent. Meritò fratres admittimus, qui olim

Digitized by Google

parentibus ipſis prælati, l. vlt. C. Comm. de ſucceſs. l. 4. C. de bon. quæ lib. ſed quærelam tunc modo habebunt, cum ſcripti hæredes, infamiæ, vel turpitudinis, vel leuis notæ macula adſperſi, aut ſi liberti non bene-merentes inſtituti fuerint, cōtra igitur ſi patrono maxima beneficia rependerint, quod bene-merentes dicantur, l. 27. fratres, C. eod. quo loco & ſeruus hæres neceſſarius inſtitutus excipitur. Hæc verba intelligenda eſſe de hæreditate, quæ ſoluendo non eſt, rectè admonent, nam ea eſt cauſa huius Iuſtitutionis, vt in l. Ael. Sentia, l. 63. facta, §. vlt. ad Trebell. l. 7. ait Prætor, §. ſed quod Papinianus, de minor. Neceſſarius hæres dicitur, quia ſiue velit, ſiue nolit, hæres erit, fateor: ſed ea neceſſitas dominum prius vrgere videtur, ideo ſeruum neceſſarium inſtituit, quod ipſe neceſſitate adſtrictus ob inopiam hunc hæredem ſibi quæſierit, & ita probabilis fit manu-miſſio, l. 27. qui potuerint, de man. teſt. Græcorum adnotatio ad d. l. fratres, notata fuit a viro doctiſſimo, ſed ego vereor, ne aliud Græci voluerint, quam ipſe crediderit, quod quanta modeſtia licebit, explicare nitar. Verba Græcorum Interprætum ſunt: Ὁπότερον γὰρ ἄπορος ἐστὶν ἡ οὐσία, περιττὸν ἦν ἐπιτρέψαι τῷ ἀδελφῷ τὴν *de inoffícioſo* κινεῖν. τὸ γὰρ τοιοῦτον νόμιμον ἐπὶ τῆς εὐπόρου μᾶλλον οὐσίας ὀφείλομεν δέχεσθαι, καὶ οὐκ ἐπὶ παντὸς δούλου σὺν ἐλευθερίᾳ γραφέντος κληρονόμου. εἰ γὰρ, ὡς ἔγνωμεν ἐν *de teſtamentis*, οἱ ἀποκατάστατοι τοῦ δούλου προτιμῶνται αὐτοῦ παρὰ τὴν τῆς διαθήκης ἀκολουθίαν, πολλῷ πλέον καὶ ὁ ἀδελφὸς ζητῶν διαδέξασθαι τὸν ἄπορον αὐτοῦ ἀδελφὸν, ὀφείλει τοῦ δούλου προτιμᾶσθαι. Dicunt nempe, *fruſtra querelam fratri permitti, ſi hæreditas ſoluendo non fuerit*. Rationem addunt, *quod huiuſmodi ius in hæreditate potius, quæ ſoluendo ſit admitti debeat*. Quale verò ius eſt, quod in hæreditate, quæ ſoluendo ſit, admitti debet? puto querellam eſſe: ius dico agendi, dicendi ue de inofficioſo. Perſpicuum equidem eſt, hanc querellam inofficioſi, non de qualibet hæreditate, nec *de omni ſeruo, qui cum libertate ſcriptus ſit hæres,*

vt

vt additur poſtea, ideſt non de Apori ſeruo accipiendam eſſe, ſed de hæreditate, quæ ſoluendo ſit, tunc enim, ſi ſeruus hæres ſcriptus fuerit, dabitur fratri querela. Alij verò iſtud ad d. l. fratres, referebant: quaſi Græci voluerint, illa verba, *Excepto ſeruo neceſſario hærede instituto*, accipienda eſſe de hæreditate, quæ ſit ſoluendo: idque ſignificauerint, cum dixerint, ἔτι γὰρ τὸ νόμιμον. Et quoniam videbant, a ratione alienum eſſe, vt inſtitutio ſerui hæredis neceſſarij, de hæreditate, quæ ſoluendo ſit, accipi debeat, dixerunt corruptum eſſe Græcorum gloſſema, adeoque pro ἄπορα, reſcribendum eſſe εὔπορα. Quòd ſi ego hallucinor in hac re (non enim adhuc mihi perſuadere potui, inſtructiſſimum I. Conſultum planè à ſemita aberraſſe, quamquam id humanum ſit: tantæ apud me auctoritatis eſt) non eſt cur quis pro eo laboret, & me perſtringat, doceat tantùm hìc, & alibi, inueniet hominem, qui non ſolum facilè dediſcat, ſed etiam qui libenter lituram in ſuis admittat. Sanè quæ mox Græci addiderunt ex l. vlt. C. de neceſſ. hær. inſt. aptiſſimè his, quæ protulimus, reſpondere videntur. *Si enim*, inquiunt, *vt didicimus in de teſtamentis, qui ſeruo ſubſtituti ſunt, contra teſtamenti ſeriem ipſi præferuntur, multò magis dicendum erit, fratrem ſuccedere deſiderantem fratri, qui ſoluendo ſit, ſeruo antehabendum eſſe*. In qua ratione de ἀπόρου loquuntur, ideſt de eo, qui ſoluendo ſit. Benè igitur dixere itidem, querellam in hæreditate, quæ ſoluendo ſit, illius nempe, qui ἄπορος dicitur, admittendam eſſe. Querellam tamen non omnes fratres habent, habent conſanguinei: vterini non habent. An reſpexit ad id Vlpianus? nam in l. 1. eod. *cognatos proprios* dixit. Quæri poteſt etiam, inſtituant ne querellam fratres eodem patre, diuerſa matre nati. Thalelæus vtramque coniunctionem exigere videtur, βασιλικ. lib. 39. τότε κινείτωσαν οἱ ὁμομήτριοι, καὶ ὁμοπάτριοι τὴν DE INOFFICIOSO, ὅτε οἱ ΣΚΡΙΠΤΟΙ ἀτιμίας, ἢ αἰσχρότητος, ὑ ἀπε-

λεσάτης ἀτιμίας σπίλῳ ῥαντίζονται. exprimere voluit verba d. l. fratres: *conſanguinei de inofficioſo querellam mouere poſſunt, ſi ſcripti hæredes, infamia, vel turpitudinis, vel leuis nota macula adſpergantur*. Indè notant, ἀτελεστάτης potiùs, quàm ἀτελεσάτης ſcribendum fuiſſe. Conſtat autem non ὁμοπατρίους, ideſt ex eodem tantùm patre genitos, ſed ἀμφιθαλεῖς, ſeu αὐταδέλφους intellexiſſe, qui & in ſucceſſionibus potiores ſunt, Nouell. 84. & 118. ὁμομήτριοι ſeorſum arcentur. Sed profectò ὅμαιμοι, ſeu conſanguinei, licèt non eadem matre nati, quærellam habent: vterinis tantùm nominatim negatur. Turpes verò perſonæ, quibus inſtitutis, conſanguinei fratres querellam deferunt, recenſentur à Theophilo lib. 2. tit. 18 & ab Harmenopulo lib. 5. tit. 6 §. 2. *veluti auriga mimi, arenarij turpique conſuetudine cogniti*. Hi notantur, & Nouell. CXV. c. 3. *ſi præter voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſeſe filius ſociauerit*. Turpi conſuetudine cognitos intelligemus catamitos, vel, vt antiqui obſcœno ſenſu dicebant, fratres, ſed & ſtupratores, ſtupratasque, itemque Gallos, & Archi-gallos, quorum mentio apud Valerium, & frequens apud Firmicum. Nam contumelioſum eſt, vt immerentibus fratribus perſonæ turpes præferantur: & hoc iudicium, vt diximus, iniuria præſertim nititur. Sed hìc quæritur, qua ratione pater, inuito filio, iniuriarum agere nequeat. Papinianus, ideo non agere dixit, quod filij iniuria ſit, ideſt ita filij, vt non ſit patris, ſed vtique per filium quoque iniuriam patitur pater, §. 2. de iniur. & licèt per conſequentias iniuria patri fieri dicatur, propria tamen illius eſt, ab iniuria filij diſtincta, l. 1. §. 3. l. 17. §. 21. l. 30. §. 1. l. 41. de iniur, l. 2. C. eod. Præterea ſi filius-famil. iniuriarum agere poteſt, pater etiam, filij ſaltem nomine aget, actione per filium quæſita, quod & in querella de inofficioſo dicendum videtur, cum & iniuriarum cauſa querellam contineat, & in pleriſque hanc illa imitetur, l. 5. C.

de

Digitized by Google

de iniur. Dices, volenti filio iniuria illata, nomine filij patrem non agere, l. 1. §. vſque adeo, eod. quid ſi nolens filius iniuriam paſſus ſit, patrem tamen ſuo nomine iniuriarum agere nolit? tunc enim actio iam orta ex iniuria nolenti illata, patri quæſita videbitur, vt vel inuito filio, eam perſequi poſſit, l. fin. C. de bon. quæ lib. Reſpondet Accurſ. querellam non eſſe actionem. Ego nodum hunc aliter ſoluendum eſſe crediderim. Nam auctoritas agendi inuito filio, tributa eſt patri ratione vſusfructus: ideoque ceſſat, vſufructu ceſſante. Hoc vult Iuſtinian. cùm ait, *nullum impedimentum paterna faciat auctoritas; qualis enim vſusfructus poteſt ei acquiri, qui momentarius eſſe oſtenditur?* At iniuriarum actio, licèt lis pecuniariter æſtimetur, magis tamen vindictæ, quàm pecuniæ perſecutionem habet, l. 2. §. emancipatus, de collat. bonor. l. 7. §. 1. de iniur. eademque ratione Fauiana ceſſat, ſi libertus querellam inofficioſi, vel iniuriarum inſtituere noluit: nam nihil in necem patroni fecit, l. 2. §. ſed ſi puta, D. ſi quid in fraud. patr. Inuito igitur filio, nomine illius pater iniuriarum non aget, vt opinor: Tryphoninus quoque ait, indignationem eſſe filij, l. 22. filius, de inoffic. Quod dixit Accurſ. querellam actionem non eſſe, licèt alij aliud velle videantur, verum eſſe puto, certè id ipſum Græcis Gloſſatoribus placuit, in antiquis Gloſſ. verbor. iur. *Querella de inofficioſo teſtamento nõ eſt actio teſtamentaria, ſed actionũ eſt cauſa, nimirũ petitionis hæreditatis.* Huius rei ratio petitur ab analogia. Nam ſicuti ſcriptura teſtatoris non eſt actio hæreditaria, ſed hæreditatis eſt cauſa, demonſtrans quid ſcripto hæredi competat: ita & querella non eſt actio, ſed actionis cauſa. Gloſſar. verba: ὥσπερ γὰρ ἡ γραφὴ τοῦ διατεθέντος οὐκ ἔστιν ἀγωγὴ κληρονομίας, ἀλλ' αἰτία κληρονομίας, καὶ δεικνῦσα τί δέοντος κινεῖν τὸν γραφέντα κληρονόμον, οὕτω καὶ ἡ μέμψις οὐκ ἔστιν ἀγωγὴ, ἀλλ' αἰτία ἀγωγῆς. Querella igitur actio propriè non erit, licèt alicubi actio dicatur, vel ratione petitionis

hære-

hæreditatis, quam inſtruit, vel potius quaſi iudicij exercitio, indè *incboata actio* in l. 21. cum, qui, ff. de inoff. Ex quibus conſtat etiam, cur titulus de inofficioſo præcedat titulum de hæreditatis petitione. Hæc eſt illorum titulorum σωέχεια, licèt quibuſdam aliud placuerit. Supereſt, vt dicamus, quo pacto hæc iniuria ſit filij, non patris, ſi per filium propriam etiam iniuriam patitur pater. Duarenus Accurſium vellicat, quòd Papiniani rationem malam dixerit, ait non eodem modo accipiendam eſſe iniuriam hìc, quo accipitur in Edicto Prætoris de iniur. ideſt, non eſſe accipiendam pro contumelia. Simili diſtinctione vſus eſt Vlpian. in l. 5. ad l. Aquiliam, vt in prioribus Analectis ad Paulli, & Vlpiani fragmenta dictum fuit. Sed Accurſium aliud ſenſiſſe, vix mihi perſuadere poſſum. Papiniani rationẽ malã omnino non dixit: dixit malam videri, ſubdubitans nimirum, & nodum nectens, vt poſtea ſolueret: qui mos eſt Interpretum, & Gloſſatorum, & λύσις ea eſt, quod in tit. de iniur. iniuria patrem tangat, in tit. de inofficioſo non tangat, qua vero ratione non tangat, niſi quod diuerſa ſit, & aliter hìc accipiatur iniuria? nam contumelia filij pudorem quoque patris pertingit, l. 1. §. 3. & §. 5. de iniur. Exhæredationis iniuria filij, non patris eſt, idque Accurſius ex eo colligi vult, quod filius etiam hæres inſtitutus, poſſet non adire, arg. l. 3. C. de hær. inſt. Sed licèt exhæredatio ad illam iniuriæ ſpeciem non trahatur, quin tamen aliquando exhæredatio contumelioſa videri poſſit, negandum non erit: præſertim cum turpes perſonæ inſtitutæ fuerint. Itaque apud eumdem Valer. lib. VII. c. 8. cum Pompeius Rheginus teſtamento fratris præteritus fuiſſet, ipſe tamen fratris iudicium impugnare noluiſſet, additum eſt: & erant ab eo inſtituti hæredes neque ſanguine patrio pares, neque proximi: ſed & alieni, & humiles: vt non ſolùm flagitioſum ſilentium, ſed etiam prælatio contumelioſa videri poſſet; quo loco notat Pighius, in

anti-

antiquo libro ſcriptum eſſe, *neque ſanguine pagino*, quod mendoſum putat: indeque factum eſſe, vt in quibuſdam libris ſcriptum fuerit, *ſanguine Rhegino*. Ego in duobus mſs. diſertè ſcriptum reperio, *ſanguine pagano*. Dixerat Valerius, Pompeium Tranſ-alpinæ regionis hominem fuiſſe, eſt nempe inter paganos quoque diſtinctio ſanguinis, & aliqua ſtirpis prærogatiua. Apud eumdem eod. lib. c.7. Terentius a filio exhæredatus, licèt ſuperſtites defuncti fratres eſſent. ſolus querellam detulit. Valerij verba: *Egregia eſt quoque C. Calpurnij Piſonis Prætoris Vrb. Conſtitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filijs, quos in adoleſcentiam perduxerat, ab vno in adoptionem dato exhæredatum ſe querellam detuliſſet, bonorum adoleſcentis poſſeſſionem ei dedit, hæredeſque lege agere paſſus non eſt. Mouit profectò Piſonem patria maieſtas, donum vitæ, beneficium educationis: ſed aliquid etiam flexit circum-ſtantium liberorum numerus: quod cum patre ſeptem fratres impiè exhæredatos videbat.* Quo loco non audio illos, qui cæcutire profitentur, ni reſcribatur, *Terentius cum octo filijs*. Nam perturbata oratio eſt, & dicitur Terentius ab vno ex octo filijs exhæredatus, fratres de inofficioſo non erat tunc quod agerent; nec indiſtinctè agunt, vt diximus: Quod verò Prætorem liberorum numerus flexerit, & quod cum patre ſeptem fratres exhæredatos videret, ad id pertinet, quod per latus patris fratres petiti viderentur, non quod verè exhæredati eſſent, aut quod exhæredati querellam deferrent, id Prætorem flexit, nec video, cur iſta ſic accipi nequeant.

Digitized by Google

An hodie querella locum habeat. Rurſus obſeruata quædam in Valerio. Cap. XV.

AT in recta linea vix querellæ locus hodie relictus. Aut enim filius præteritus, aut inſtitutus, aut exhæredatus. Si præteritus, querella non dabitur, ea datur, cum teſtamentum rectè factum, vt exigit ius ciuile, licet contra officium pietatis, l. 2. cod. ſed filio præterito, teſtamentum eſt nullum, l. 7. l. 30. inter cætera, de lib. & poſt. Si inſtitutus, aut in legitima, aut in minori parte inſtitutus, ſi in legitima, non eſt cur queratur, ſi in minori parte, quantacũque ea fuerit, vt diximus, aget ad ſupplementũ. Si demũ exhæredatus, aut iure, aut iniuria exhæredatus: nam aut nullum adſcriptum elogium, ideſt, aut nulla exhæredationis adiecta cauſa, aut aliqua, ſi nulla, nullum eſt teſtamentum, & res redit ad inteſtati cauſam, Nouell. 115. c. 3. ſi aliqua, aut iuſta, & ex his, quæ in eadem Nouell. recenſentur, aut iniuſta, ſi iniuſta, ex eadem Nouella, teſtamentum ſubuertitur, quia non ritè facta exhæredatio filium ſubmouere non poteſt, l. 8. §. non quæuis, de bon. poſs. contr. tab. ſi iuſta, non habebit querellam, qui meruit exhæredari, l. 132. quidam, de verb. obl. Ita querellæ vix locus relictus hodie videbitur. Habet tamen & querella ſuos aſſertores. Namque Iuſtinianus in d. Nouell. 115. c. 3. in fin. coniunctim exigit duo: & vt cauſa exhæredationis teſtamento inſerta fuerit, & vt hæres ſcriptus veram eſſe monſtrauerit. Quod ſi ab hærede demonſtrandum eſt exigi dicemus, vt hæreditatem adierit, ante aditam hæreditatem extraneus hæres ſcriptus, ex teſtamento non eſt hæres: adire autem hæreditatem non poteſt, ſi teſtamentum initio non valet, præterea defuncti perſonam ſu-

ſtinere videtur in elogio probando, quod teſtator adſcripſerat: & per hoc exigitur, vt iam ſit hæres, & conſequenter vt iam adierit. Sed induamus perſonam eorum, qui contraſentiunt. Nam elogio adſcripto, & ab hærede probato. Iuſtinian. in d. Nouell. 115. ait, *teſtamentum ſuam habere firmitatem, decernimus*. Igitur firmitatem ante non habebit, quod non ſolùm ratio à contrario deſumpta dictat ſed expreſſum etiam fuit in his, quę addita fuere: *Si autem hæc obſeruata non fuerint, nullum exhæredatis liberis præiudicium generari: ſed, quantum ad inſtitutionem hæredum pertinet, teſtamento euacuato, ad parentum hæreditatem, liberos, tamquam ab inteſtato, ex æqua parte peruenire, ne liberi falſis accuſationibus condemnentur, vel aliquam circumſcriptionem in parentum ſubſtantijs patiantur*. Ex quibus dicendum videtur, hæredes ad ſubſtantiam defuncti ante probatum elogium admitti non poſſe, nam ſi admittantur, id citra præiudicium filiorum, ſaltem per illud tempus, quo bona retinuerint, contingere non poterit, quod pugnat cum verbis his, quæ primo loco a Iuſtiniano præſcripta fuere, præterea perpendenda ſunt ea verba, *teſtamento euacuato*, ex quibus probari videtur, teſtamentum, deficiente probatione, corruere: ita vt non aliunde vim ſumat, quàm ex probatione. Quod ſi dixeris, aliud dictare verba illa, *quantùm ad inſtitutionem hæredum pertinet*, quæ non ſubuerti, aut funditus perire teſtamentum ſignificent, ſed tantummodo deſituram vim inſtitutionis non probato elogio, ſi querella poſtea propoſita fuerit: dicam, illa verba contrariam potius ſententiam dicere. Nam inſtitutionem præire aditionem certum eſt; igitur ſi quantum ad inſtitutionem hæredum pertinet, euacuatum dicitur, teſtamentum, ſcriptus hæres adire non poterit. Adhuc plurimum momenti habere videtur quod dicitur, *tamquam ab inteſtato*, nam ita pro nullo habetur teſtamentum, ideoque querella ceſſabit, quæ non datur, niſi cum teſtamen-

Digitized by Google

tum rectè factum fuerit, vt iam ſæpius diximus. Dum etiam dicitur, *ne liberi falſis accuſationibus condemnentur*, quoniam elogium, & accuſationem teſtator adſcribit, dicendum eſt prohiberi patris condemnationem, quod ſi permittatur hæredibus ſcriptis hæreditatem adire, pater, quantùm in eo fuit, iam filios condemnauit, nam ſi quid poſtea per querellam profecerint, id à iudice, non à patre proueniet, cum ſententia requiratur, d.l. Papinianus, §. ſi ex cauſa, de inoffic. Denique qui re priuatur, licèt eam iudicio mox recuperare poſſit, interim tamen in ſubſtantia circumſcriptionem paſſus eſt, at in poſtremis verbis illud cautum fuit, ne circumſcriptionem liberi patiantur. Ego tamen ſatis defendi poſſe crediderim, hoc caſu querellæ locum eſſe: Idque in primis ſuadere videtur, quod in fine eiuſdem Nouellæ dixit Iuſtinian. *& tamquam in hoc non reſciſſum, obtineat teſtamentum*, oportet enim vt aliquod antea fuerit, quod poſtea reſciſſum ſit. Deinde quod ibidem ſancitum fuit, vt legata, & fideicommiſſa, aut libertates obtineant, ad teſtamenti firmitatem quamdam pertinere crediderim, quod ſi dixeris, argumentum aut ex eo deſumi non poſſe, aut admodum infirmum eſſe, cum olim hæc non valerent, & tamen querella daretur, quaſi aliquod eſſet teſtamentum, d.l. Papinianus, §. ſi ex cauſa: dicam, id olim ex ſententia proueniſſe, quæ teſtamentum tamquam dementis, reſcindebat, vt ibidem innuit Vlpian. Hodie verò querella illo colore non nititur, cum elogium in teſtamento deſideretur, ideo non mirum, ſi legata & alia in teſtamento ſcripta ſuſtinentur, licèt olim non valerent. Illud præterea ſententiam hanc confirmare dixerim, quod licèt antea filij probare deberent ſeſe immerentes exhæredatos fuiſſe, niſi ſcripti hæredes, ingratos liberos contra parentes exſtitiſſe, oſtendere maluiſſent: attamen querellæ locus erat, l. 28. liberi, C. de inoffi. teſtam. Ex quo conſtat, teſtamentum etiam an-

Digitized by Google

ſe probatam ingratitudinem conſtitiſſe. Quod eam vim habet, vt oſtendamus, ſcriptos hæredes hæreditatem adire potuiſſe ex teſtamento, & vt poſtea ingratos liberos fuiſſe docerent. Quæ obſtare videbantur, ita tolli poſſunt. Nam quod dixit Iuſtin. *teſtamentum ſuam habere firmitatem decernimus*, non de teſtamento in vniuerſum dixit, ſed de eo, in quo liberi à patre exhæredati fuerint; cum igitur ait, *ſuam habere firmitatem*, aliquam illius firmitatem propriam à principio eſſe voluit: quam tamen poſtea amittere poſſe, negandum non erit. Alterum obiectum vim haberet, ſi in hoc iudicio fructus etiam non venirent, ſed veniunt: ſaltem ob coniunctionem conſequentis actionis, ideſt petitionis hæreditatis, l. 20. item veniunt, cum ll. ſequentib. de petit. hæred. Nam hæc iudicia non ſeparantur. Quod pertinet ad ea verba, *teſtamento euacuato*, ea potiùs probant, teſtamentum poſtea reſcindendum eſſe, & quod de inſtitutionis voce dicebatur, nihil eſt, cum deficiente ingratitudinis probatione, inſtitutio perinde habeatur, ac ſi numquam ſcripta fuiſſet. Iuſtinian. enim non totum teſtamentum, ſed eam tantummodo partem, quæ ad hæredum inſtitutiones pertineret, ſubuerti voluit: legata, & libertates præſtari oportere ſignificauit, ideo dixit, *quantùm ad inſtitutionem hæredum pertinet*. Argumentum deſumptum ex illis verbis, *tamquam ab inteſtato*, nullam vim habet. Nam mittamus, id cum modo prolatum fuiſſe: dico & eum, qui querellam habeat, patremfamilias inteſtatum facere, l. 6. §. 1. de inoffic. Condemnationem verò ſi patris potiùs, quam iudicis accipere volueris, dicam fruſtra eſſe, quæ effectum non habeat, quod & de circumſcriptione dixeris, cui per querellam obuiam itum fuit, ſic enim arcentur elogia falſa, ſic circumſcriptio: dico ſi conatus appareat, ſi ſcripta, ſi propoſita fuerint. Non enim conatum ſuſtulit lex (nec enim poterat) ſuſtulit effectum. Igitur adhuc querellæ locum

eſſe

eſſe dicemus. Recentiores alios etiam caſus afferre conantur, quibus neceſſaria querella ſit: quemdam verò præcipuum, quem dum explicant, ſimul etiam Iuſtinianum ſugillant, ideo de hoc nunc non agimus. Illud præterea controuerſum fuit, An nullo elogio à teſtatore adſcripto, poſſit hæres adhuc ingratitudinis legitimam cauſam proponere, & probare, vt filios excludat. Et ſunt qui credant, poſſe, nam cauſæ ingratitudinis vim habent etiam cum nullum omnino eſt teſtamentum: vt ſi frater inteſtatus deceſſerit, in quem ingratus probetur frater ſuperſtes, Nouell. 22. c. 46. §. ingratitudinem. Itaque licet teſtamentum, in quo, non adſcripto elogio, filius à patre exhæredatus eſt, nullum ſit, quod in eo non ſint ſeruata quę à lege præſcripta ſunt; attamen filius, ſi probetur ingratus, ab hæreditate paterna repelli poterit. Verùm ingratitudinis ratio non eſt producenda ad conſequentias, ſed quæ ſcribit Iuſtin. in d. Nouell. 22. de illata tantùm ſpecie, quam tractat, accipienda. Nam, quantum pertinet ad filiorum ingratitudinem, peculiaris eſt legis diſpoſitio, ſicuti retulimus, nimirum vt, & adſcribatur elogium, & vt ab hærede probetur, ſi alterutrum defuerit, filius excludi non poterit, idque probat etiam l. 30. omnimodo, C. de inoffic. teſt. Quod diximus de præteritione patris, in præteritione matris locum non habet: nec in præteritione aui materni, horum enim præteritio pro legitima exhæredatione habetur, l. 27. §. fin. l. 28. de inoffic. quibus locis quæ ab Vlpiano, & a Paullo referuntur, gemina ſunt his, quæ idem Valerius eodem lib. narrat: niſi quod de teſtamento matris dixere prudentes, quæ de teſtamento patris Valer. ſcripſit, idque puto non inconſultò factum eſſe. M. Tull. quoque de teſtamento patris hæc referens lib. 1. de Orat. ita ſcribit: Quæ potuit igitur eſſe cauſa maior, quam illius militis? de cuius morte cum domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater eius, re

cre-

credita, teſtamentum mutaſſet, & quem ei viſum eſset, feciſſet hæredem; eſſetque ipſe mortuus, res delata eſt apud centum-uiros, cum miles domum reueniſſet, egiſſetque lege in hæreditatem paternam, teſtamento exhæres filius, nempe in ea cauſa quæſitum eſt de iure ciuili, poſſet ne paternorum bonorum exhæres eſſe filius, quem pater teſtamento neque hæredem, neque exhæredem ſcripſiſſet nominatim, & vtique, vt diximus, ſilentium patris pro legitima exhæredatione non habetur; ſed potius reddit teſtamentum nullum; igitur ex eo querella non dabitur, quæ datur exhæredato, d. l. 23. de inoffic. Sed quoniam ſilentium matris pro exhæredatione habetur, §. vlt. de exhæredat. liber. non poteſt ambigi, hanc accuſationem ex materna præteritione deferri, quam ſpeciem retulerunt I. C. & ita exhæredatio, & præteritio accipienda eſt apud Marcellum in l. 3. eod. & in principio eiuſdem tit. in Inſtitution. ideſt pro exhæredatione paterna, & præteritione materna, quam quam dicimus, quoſdam ſilentio exhæredare, l. 12. ſi patronus, de bon. libertor. quod & matri licet, & aſcendentibus per matrem, & militi, & fratribus, & ſororibus, l. 17. l. 21. l. 27. C. de inoffic. Exhæredant tamen & matres, addito Elogio. Apul. in Apolog. *nuperrimè cum teſtamentum Pudentilla poſt mortem Pontiani filij ſui, in mala valetudine ſcripſerit, diu ſum aduerſus illam renixus, ne hunc ob tot inſignes contumelias, ob tot iniurias exhæredaret. Elogium grauiſſimum iam tum mediusfidius perſcriptum vt aboleret, impenſis precibus oraui.* Silentium honeſtius erat, cum nempe Elogij nota euitabatur. Idem Apul. paullo ante: *quippe qui ei ad ignominiam lineca adſcribi ducentorum ferè denariorum iuſſit: vt intelligeretur iratus potius externaſſe eam, quàm oblitus præteriſſe.* Dixit, *externaſſe*, haud trita ſignificatione. In Gloſſar. Iſidori: *Externauit, extraneum fecit.* Ipſa exhæredatio, res in extraneo inepta dicitur, d. l. 132. quidam, de verb.

verb. obl. quod ſic accipiendum erit, niſi prius hæres inſtitutus fuerit, ſed & eo caſu exhæredatio inutilis erit, ſi exhæredatus in eodem teſtamento hæres etiam inſtitutus ſit, l. 17. ſi certarum, §. ſi eodem, de teſtam. milit. l. 4. paterfamilias, de hær. inſt. & ita fortaſſe idem Apuleius ſeſe ab vxore exhæredatum dixit: *Cape iſtud matris tuæ teſtamentum, verè hoc quidem inofficioſum. Quid ni? in quo obſequentiſſimum maritum exhæredauit inimiciſſimum filium ſcripſit hæredem.* Quod ſi antiquitus etiam querella obtinuit, & vt ex dictis apparet, ante Romanorum Principum tempora, potior videbitur ſententia illorum, qui querellam ex lege aliqua deſcendere crediderunt, & fortè ex lege Glicia, vt ſuadet epigraphe l. 4. de inoffic. quam eorum, qui negant. Sed quando nonnulla ad hanc rem illuſtrandam ex Valerio deſumpſimus, mutuam operam rependentes, leuia quædam rurſus in illo ſubnotemus. Nam eod. lib. 7. c. 8. de ratis teſtam. vbi vulgò de Afrania ſcriptum eſt, *teſtamentumque matris patientia honorare, quam iudicio conuellere, ſanctius eſſe.* Præterea, cum eodem cap. retuliſſet Q. Cæcilium vnum ſibi hæredem L. Lucullum fore, præ ſe ſemper tuliſſe, Pomponium tamen Atticum teſtamento clam adoptaſſe, ſubdidit: *ſed fallacis & inſidioſi cadauer Pop. Rom. ceruicibus reſte circum datum per viam traxit,* quo loco duo mſs. hanc ſcripturam præferunt, *ceruicibus reti circum datum.* Et quidem olim retiarij dicti, qui rete in arena pugnarent, vt aduerſarij caput operirent, traherent, confoderent, quod adnotauit elegans æui noſtri I. Conſultus, & poſt eum alij. Vulgata tamen & ipſa defendi poteſt; nam de reſte capiti ſtatuæ circum-iecto, quod prodigioſum Seiano fuit, legimus apud Iuuenal. Sat. 10. *deſcendunt ſtatuæ, reſtemque ſequuntur.* Denique, vt πάρεργον, proponam Valerij verba lib. 1. c. 1. *Tantum autem ſtudium antiquis non ſolùm obſeruandæ, ſed etiam amplificandæ religionis fuit, vt florentiſſima tum,*

(ſic mſs. non vt vulgò, *e florentiſſima*) *& opulentiſſima ciuitate decem Principum filij S. Conſulto ſingulis Etruriæ populis percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur*, ſunt, qui conſtare dicant, XII. Etruriæ fuiſſe populos, adeoque reſcribendum eſſe, *Duodecim Principum filij*, quæ ratio hæc eſt? ne nos traducant, logiſta hic opus erit, ſed indormitaſſe te credam, cum hæc ſcriberes, vir docte. Nam fuerint XII. Etruriæ populi, vt verè fuerunt: quis indè dixerit, neceſſario XII. item tradi debuiſſe Principum filios? reduc calculum: potiùs inde colligam centum-viginti traditos fuiſſe; & quod numerus amplior eſſet, ideo cum præfatione Valerium dixiſſe, *florentiſſima tum, & opulentiſſima ciuitate*: ſingulos ſingulis populis traditos fuiſſe, non video, qui Valerius dicere poſſit. Nec mirum, apud M. Tullium eadem conſtantia eumdem numerum adſcribi. Video tamen lib. 1. de Diuinat. Ciceronis verba ſic editiones quaſdam referre: *Quocirca benè apud maiores noſtros Senatus tum, cum florebat Imperium, decreuit, vt de Principum filijs ſex ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur*, ſed prior littera e priori voce repeti, & indè facile X. in *ſex* tranſire potuit, nil frequentius in libris, quam menda ex numerorum notis, hæc ipſa M. Tullij Valerium imitatum eſſe, iam intelligimus.

Apori. Inciti. Deplorati. Ad l. Ael. Sentiam. Anceps videri, quod iure Romano ſancitum fuit, non reuocare libertatem eum, qui ad pretium participandum ſe ſe venum-dari paſſus eſt, de crimine ἀχαριςίας.

Cap. XVI.

QVÆ ſuperiùs de hæreditate, quæ ſoluendo non ſit, & de ſeruo neceſſario hærede inſtituto explicata

fuere, aliud rurſus deſiderare videntur: vt aliquid nempe de Aporo dicamus. Quem igitur Latini pluribus dicunt, *ſoluendo non eſſe*, Græci Ἄπορον appellant: ea nimirum notatione, vt ſignificatur is, qui rei familiaris difficultates explicare, aut negotiorum exitum reperire nequeat. Hunc Aporum ἀϑυμίᾳ laborare neceſſe eſt, vt ait Theophil. fluctuare nimirum, dum rationes reputat. Aporetica Philoſophia, & Pyrrhonij Aporetici, & ἀπορία controuerſiarum, apud Laertium, Gellium, & alios, nota ſunt. Gloſſæ: Ἀπορία, *penuria*: Ἄπορος, *egens*, *egenus*, *inops*: Ἄπορον, *incertum*, *inops*. Ἀπορῶ, διςάζω, *incertus ſum*. A noſtris *egentes homines* dicti, §. 1. qui, & ex quib. cauſ. manumit. non poſſ. Iſidor. Origin. lib. 18. c. 67. *egentes homines*, ſcribit, *Incitos* dictos fuiſſe. Iſidori verba: *At verò qui moueri omnino non poſſunt, incitos dicunt, vndè & egentes homines inciti vocantur: quibus ſpes vltra procedendi nulla reſtat*, add. In eiuſdem Gloſſario: *Incita, vltima conditio fortunarum*. Nonius: *Incitas, egeſtas dicitur*. Aporiandi verbum retinuit vet. Interpr. in 2. ad Corinth. 4. *aporiamur, ſed non deſtituimur*. Tertullian. quoque *Aporiationem* dixit, quam Irenæus, ſeu Irenæi Interpræs *deſperationem*. De Valentinianorum Aeone: *quoniam quidem ipſe fuerit de Aporiatione conceptus, atque prolatus*. Sed & *deploratum* dixit Vlpian. in l. 6. §. 1. de edend. Et quoniam abiectus, & vilis ἀτελὴς dicitur, vt accipitur apud Harmenopul. lib. 1. Epitom. tit. 6. §. 35. qui l. 17. C. de teſtib. ſic explicat. *Qui teſtes in aliquo iudicio produxerit, ſi poſtea in alio iudicio contra eum producantur, eorum recuſandorum facultatem non habeat, fortè quòd viles ſint, aut quidpiam ſimile*: Ideo ad hos pertinere credidit Interpræs, quod idem ſcribit lib. 5. tit. 8. §. 107. cum tamen ibi ἀτελὴς Cohortalem ſignificet, add. Hanc vocem nec Theophili Interpræs lib. 1. tit. 25. intellexit. Ἄπορος, & ἄπορος opponuntur, vt apud eumdem Harmenopulum,

ὁ χρεώστης τῶν ἀπόρων, & ἄπορος τοῖς κτήμασι, καὶ τοῖς πράγμασι. ideſt, *Debitor, qui ex Aporis ſit, & qui prædijs, rebuſque abundet*, l. 3. tit. 5. §. 94. & lib. 1. tit. 4. §. 86. & rurſus lib. 5. tit. XI. §. 57. ἐπίτροπος εἴτε ἄπορος, εἴτε ἄπορος: ideſt, *tutor ſiue ſit ſoluendo, ſiue non ſit ſoluendo*, ſimilique loquendi rat ione expreſſerunt Græci, quos Latini *condemnari* dicunt *in ẽd, quod facere poſſint*, l. 137. de reg. iur. dicuntur ſiquidem οἱ μέχρις ἀπορίας καταδικαζόμενοι, apud eumdem Harmenop. lib. 1. tit. 4 §. 47. & lib. 3. tit. 1. §. 6. & lib. 4. tit. 9. §. 24. Scholiaſt. eiuſdem lib. 4. tit. 8. §. XI. quod non ſemel in Eclog. quoque notare licet. Theophil. in tit. de Act. §. 37. εἰς ὅσον ἐξαρκεῖ ἡ ἐμὴ οὐσία. ideſt: *quatenus mihi ſuppetant facultates*, & mox, διὰ τὸ εἰς τοσοῦτον ἀπορεῖν. *quod eatenus facere poſſim*: Igitur ſumma prouidentia per commiſerationem Aporis lex proſpexit, dum permiſit, vt vnum ex ſeruis ſuis hæredem cum libertate inſtituere poſſent. Extra cauſam hanc, qui manumittit in fraudem, nihil agit. Sed cum debitor res ſuas in fraudem creditorum alienat, valet alienatio, licet Prætor creditoribus Paullianam, ſeu Caluiſianam dare ſoleat, vt reuocent alienata. Cur igitur, fauore præſertim libertatis, id ipſum in manu-miſſionibus minùs procedit? Nam, vt diximus, nihil agit, qui in fraudem manumittit. Reſpondent, priori caſu, nulla lege alienationem vetari, poſteriori, Aelia Sentia vetari. Itaque illo, vt rei ſuæ moderator, & arbiter, dominus alienabit, l. in re mandata, C. mandat. non iſto. Sed quæram adhuc, cur ita vetet lex iſto, non illo caſu. Niſi confugiamus ad l. non omnium, de ll. difficilis res iſta fiet. Videamus, an ex his, quæ ſupra de manu-miſſione, & libertate ſcripſimus, dici poſſit, ex manu-miſſione remoueri potiùs, quod iure gentium contra ius naturale introductum fuerat, quàm dominium aliquod transferri; cum itaque Prętor naturalia iura corrumpere nequeat, naturali libertati reſtitutus, in ſeruitutem per Edictum rurſus redigi non poterit.

 Nam

Nam libertas, ne obtentu quidem ætatis reuocari poteſt, l. 2. & ſeqq. C. ſi aduerſ. libert. l. 20. l. 26. l. 30. C. de liberal. cauſ. Id etiam vult, vt puto, Terentius Clemens, dum in l. vn. de adempt. libertat. ſcribit: *Cum libertas lege adimatur, aut pro non data haberi debeat, aut certè perinde obſeruari, ac ſi à teſtatore adempta eſſet*. Quod ſi aliqua lege ſeruus rurſus effectus fuerit, qui ad libertatem peruenerat, id non per reuocationem, ſed vi legis contingere dicendum erit, adeo vt alius videatur, l. 98. §. aream, de ſolut. Quòd ſi non temere libertas reuocatur, multò minùs adimitur, & quod ait l. 37, ff. de liber. cauſ. & l. 10. C. eod. liberos priuatis pactionibus ſeruos, aut libertos alicuius fieri non poſſe, Thalelæus βασιλικ. lib. 48. notat, κατ' ἀντιδιασολὴν minimè exaudiendum eſſe, quod nec aliqua ſit publica pactio, qua id effici poſſit. Leo quoque Imperator ſui ipſius venditionem valere noluit, Nouell. 59. ſed ſatis eſſe duxit, verberatum in libertate morari mancipium amentiæ, vt eleganter ipſe appellat. Nam quæ maior amentia excogitari poteſt, quàm vt quis cum liber ſit, ſeruire malit? Eius Conſtitutionis ratio ſanè multiplex eſt: Ne lex dementiam foueat, aut hominem non ſolùm ignaui, abiectique, ſed etiam ſtulti animi: dum indignæ mercaturæ annuit, magis etiam infatuet: Ne in ſeipſum ſæuire permittat; cum parùm ſit, vt non ſeipſum perimat, qui caput ſuum hac ratione perdere vult: Ne dominium membrorum ſuorum ad alium transferre ſinat, cum ipſe dominium non habeat, l. 13. liber homo, ad l. Aquil. Ne quæratur æſtimatio, vbi non inuenitur, cum liberum corpus nullam recipiat æſtimationem, l. vlt. ff. de his, qui effuder. vel deiecer. Ne ſit commercium, aut acquiſitio liberi hominis, Ne liceat minori 25. an. alienata, per reſtitutionem reuocare, libertatem reuocare non liceat, Ne quis liberum hominem venalem habere audeat. Denique non ſine ratione quæri poteſt, cuiuſnam pretium

fiat,

Digitized by Google

fiat, ſi iam ſeruus eſt qui ad pretium participandum ſeſe venum dari paſſus eſt. Ea pars Romani iuris non inhumana ſolùm, ſed etiam contra publicam vtilitatem videri poſſit, quæ Ciues Reipublicæ adimi permittat. Si enim expedit Reipublicæ ne ſua re quis malè vtatur, multò magis, ne libertate, ne ſe ipſo abutatur, ſed illa huius iuris ratio eſſe videtur, vt in eo demens puniatur, in quo deliquit, vt non reuocet libertatem indignus, l. 4. D. quib. ad libert. proclam. non lic. Non ſolùm autem ad pretium participandum, ſed etiam ad actum gerendum ſeſe venum dari patiebantur, ſiue quod cupidi actus eſſent, ſiue quod adeo inopia laborarent, adeoque deplorati eſſent, vt dominium habere, qui eos alere poſſet, ſatiùs eſſe ducerent, l. 6. §. irritum, de iniuſt. rupt. irr. fact. teſt. ſiue denique, quod peculium, & in peculio pretium habituri eſſent, quæ res antiquior Hadriani conſtitutione videtur, de qua in l. 2. ff. ſi ingen. eſſe dicet. Nam & M. Tull. Paradoxo 5. quædam ad hanc rem ſpectantia retulit: *An eorum ſeruitus*, inquit, *dubia eſt, qui cupiditate peculij nullam conditionem recuſant duriſsimæ ſeruitutis?* Sed redeo ad libertatem, de qua in vniuerſum dici ſolet, non reuocari eam, quæ ſemel competijt., §. 5. de eo, cui libertat. cauſ. bon. addic. l. 1. C. ſi aduerſ. libertat. Quin nec teſtamento facilè libertas reuocatur, l. 52. Imperatores, de manumiſſ. teſt. & omnino manumiſſi vindicta, in ſeruitutem reuocari non poterant, niſi in caſu l. 5. de iur. patron. Nec ideo dicendum, Suetonium falſum eſſe, qui generaliter ſcribat, ingratos, & de quibus patroni quererentur, Claudium in ſeruitutem reuocaſſe, c. 25. Nam & alia Claudij notata ſunt in iure dicundo, & hæc veluti ciuilia referuntur. Cognitio ſpectat ad Præfectum Vrbis, l. 1. §. 1. & §. 5. de offic. Præf. Vrb. Harmenop. lib. 1. tit. 18. §. 17. *qui ſemel ſeruum manu-miſit, libertatem reuocare non poteſt, niſi ex cauſa ingratitudinis*, ἀχαριστίας meminit etiam Theophil.

§. 1.

§. 1. de cap. demin. & §. 1. quib. mod. tutel. fin. Eiuſdem in re diuerſa meminit Iuſtinian. Nouell. 115. de eadem eſt l. 2. C. de libert. & eor. liber. & ex moribus Athenienſium, ac Maſſilienſium quædam refert Valer. lib. 3. c. 6. Ad eaſdem reuocationes pertinet, & antiqui I. C. fragmentum ex varijs iuris capitibus conſarcinatum, quod Puteano debemus, miſerè tamen fœdatū, & interpolatum, verba illius: *Primùm ergo videamus quale eſt, quod dicitur, eos qui inter amicos veteres* (Pith. ſuſpicatur ſcriptū fuiſſe. *apud veteres*) *manumittebantur, non eſſe liberos . ſed domini voluntate in libertate morari, & tantùm ſeruiendi metu dimitti. Antea enim vna libertas erat vindicta, vel teſtimonio, uel in cenſu: & ciuitas Romana competit manu-miſſis, quæ appellatur legitima libertas*. Puto *vindictam* hic dici ἁπλῶς pro ipſa libertate, quæ competat ex manu miſſione vindicta. Gloſſę: ἐλευθερία ἐπὶ ἄρχοντος δοθεῖσα. *Vindicta*. Theophil. totidem pœnè verbis: βινδίκτα ἐστὶν ἡ ἐπὶ ἄρχοντος γινομένη ἐλευθερία. Alij Græci I. Conſulti feſtucam ipſam exponere maluerunt, nam in Gloſs. verbor. iuris ita ſcriptum reperio: Βινδίκτα, ἡ ῥάβδος μεθ' ἧς οἱ ἄρχων, ἤγουν ὁ Πραίτωρ τὴν τῶν ἐλευθερουμένων κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες, φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον, καὶ πολίτην ῥωμαίων. Apud Feſtum ſimilia dominus vſurpat in manu-miſſione: *Manu-mitti ſeruus dicebatur*, inquit, *cum dominus eius, aut caput eius ſerui, aut alìud membrum tenens, dicebat: Hunc hominem, liberum eſſe uolo: & emittebat cum manu*. Idem ille Græculus, cuius eſt etiam fragmentum hoc latinum dicit, ἐκ προσαγωγῆς quaſi promotionem quamdam ad honores, & rurſus, *in teſtimonio*, pro *in teſtamento*. ſic enim ea latina verba, *vel teſtimonio, uel in cenſu*, vt refert Pithœus, græcè habent: ἢ κατὰ διαθήκην, ἢ ἀποτιμήσει. ſcite, quod teſtamentum teſtatio mentis a noſtris dicatur, ſequuntur & alia ex eodem fragmento: Hi autem, qui domini voluntate in libertate erant, manebant ſerui, & manumiſſores audebant in ſeruitutem

denuo

Digitized by Google

denuo eos per vim ducere. Interueniebat Prętor, & nō permitebat manu-miſſum ſeruire. Omnia tamen, tamquam ſeruus, adquirebat manu-miſſori, vel ſi quid ſtipulabatur vel ſi per ſcripturam acceperat, vel ex quacumque cauſa alia adquiſierat, domini hoc faciebat: hoc eſt manu-miſſi ad patronum pertinebat. (hæc a gloſſemate eſſe videntur) ſed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manu-mittuntur, & fiunt Latini Iuniani; quoniam lex Iunia, quæ libertatem eis dedit, exæquauit eos Latinis Colonarijs, qui tunc erant Ciues Romanorum, & nomen ſuum in Ciuitatem dederant. In his, qui inter amicos manumittuntur, voluntas domini ſpectatur, quæ iubet, (fortè reſcribend. quia l. iubet) eos fieri Latinos, quos dominus liberos eſſe voluit. Hoc tamen cum ita habeant, debet promiſſum manu-mittentis habere dominus, dici puto promiſſum, ideſt ἐπαγγελλόμενον: vt Theophilus dicit, nupcias ἐπαγγέλλεσθαι, ſeu repromittere indiuiduam vitæ conſuetudinem, votum nimirum ſignificat. Quod ſi dominus per vim coactus manu-miſerit, non potuit manu-mittendi, & ad libertatem perducendi votum habere. Ideo addidit: *Vndè, ſi per vim coactus, verbigratia, ab aliquo, vel ab vno quoque hominum manu miſerit, non veniet ſeruus ad libertatem: quia non intelligitur voluiſſe qui coactus manumiſſit.* Itaque in l. 4. C. de fideicommiſſar. libertat. mulieri, quæ in libertate morata eſſet voluntate domini, fideicommiſſaria libertas relicta fuit; nam iuſtam, ſeu legitimam libertatem adhuc adepta non fuerat. Tacit. Annal. XIII. *Quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur pœnitentia, aut nouo beneficio locus. Quos uindicta patronus non liberauerit, uelut uinculo ſeruituti attineri.* Latina libertas infinitos pænè modos habuit, vt dicit τὰ κατὰ πόδας, & Thalelæus βασιλικ. lib. 48. quidam ex illis ſelecti, & relati in l. vn. C. de latin. libert. toll. Manu-miſſio vindicta plenissima dicta: & ita exaudiuntur verba Iuſtiniani in

l. 1. §. ſi autem ſocius, C. de comm. ſeru. manu-miſſ. Quæ & ſpecialem titulum in Pandectis obtinuit.

Legitima tutela, hæreditas. Conatus in explicanda difficili ſententia in tit. Inſt. de fiduciar. tutel. Cap. XVII.

QVod dicimus, agnatorum legitimam eſſe tutelam, ita dicimus, vt ex lege tantùm pendere intelligamus, non quod teſtamentaria legitima non ſit, cum vtraque ex XII. deſcendat, ſed & agnationis nomen hoc pacto legitimum eſt, ideſt ex lege tantùm deſcendit, non quòd cognationis nomen legitimum non ſit. Atqui Harmenop. lib. 5. tit. 11. § 3. ipſum quoque Attilianum, aut Iulio-Titianum tutorem, legitimum appellauit, verba illius: καὶ λέγεται ὁ παρὰ τοῦ δικαστοῦ διδόμενος ὡς ἐδηλώθη ἐπίτροπος, λεγίτιμος, ὅπερ ἐστὶ παρὰ τῶν νόμων δοθεὶς, ἤγουν ὑπὸ τῶν κατὰ νόμους δικαζόντων κριτῶν. id. *Et is, qui à iudice datur, vt tutor declaratus fuerit, legitimus appellatur, quaſi nimirum à lege datus: ab his videlicet, qui ex legum præſcripto cauſas diſceptent.* Ita pariter dici ſolet, legitimam hæreditatem eſſe, quæ lege, teſtamentariam, quæ teſtamento deferatur, l. 1. de petit. hæred. Nam vtique, & ipſa teſtamentaria legitima dici poſſet, cum & ipſa lege deferatur, l. 130. lege obuenire, de V. S. Verùm & illa ſpecies legitima dicitur, quæ vtcumque ex lege deſcendit. Nam patronorum tutela, & ipſa ex XII. deſcendere dicitur, non nominatim, ideſt non propalam, ſed per conſequentias hæreditatium, vt Vlpian. loquitur in fragment. & in l. 3. de legit. tutor. vel non apertè, non ῥητῶς, vt Theophilus, ſed, vt ait Tribonianus, per interpretationem, vel per ſimilitudinem. Eſt igitur ex lege, & legitima hæc quoque ſpecies: nam verbum, *ex legibus*, ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quam ex verbis,

l. 6.

Digitized by Google

l. 6. §. 1. de V.S. quin cum aliquid ex interpretatione fuerit, ex lege eſſe videbitur, quia & interpretatio prudentũ aliquando iuris ciuilis pars eſſe cœpit, l. 2. §. his legibus latis, de orig. iur. Quæ verò legitima parentum dicitur, exemplo prioris nititur. Nam ita recepta eſt, & legitima dicta, cum cæteroqui fiduciaria ſit, vt Vlpianus dicit tit. XI. Ad hoc, vt puto, reſpicere oportet. Nam cum non procedit exemplum, nec ipſa procedet, dico autem non procedere vt legitimam. Itaque Tribonianus in tit. de fiduciaria tutela, cum retuliſſet, parentem, qui ex liberis aliquem manu-miſerit, legitimam eius nanciſci tutelam, eoque defuncto, liberos virilis ſexus fiduciarios effici, in nodũ quemdam incidiſſe ſibi viſus eſt. Quæretur enim, ſi liberi manumiſſoris legitimi ſunt liberti tutores, vt & parens legitimus erat, cur itidem dici non debeat eoſdem tutores eſſe legitimos eius, qui a parente manumiſſus fuerit. Reſpondet, ideo in priori ſpecie legitimos eſſe, non in poſteriori, quod filius poſt patris mortem ſui iuris efficiatur, nec recidat in fratrum poteſtatem, etiamſi a parente non fuiſſet emancipatus. At libertus, ſi manumiſſus non fuiſſet, defuncto domino, in filiorum poteſtate manſiſſet. Quæ ratio falſi tentatur, & claudicare dicitur ab Interpretibus, nam ſi pater emancipaſſet, vera eſt: ſi auus, certè filius in patris poteſtatem recidit. Conſultiſſimus vir aliam introducere tentat, quaſi ideo liberi patroni ſint legitimi, non ſint liberi emancipatoris, quia lege illis, non his hæreditas debeatur, l. 1. §. liberos, ſi a par. quis manumiſs. ſit. Sunt qui dicant, parentem manumiſſorem verè non legitimum, ſed fiduciarium eſſe, Ideoque, & fiduciarios eius liberos eſſe: patronum verò legitimum, Ideoque & legitimos eſſe filios: & hanc eſſe rationem. Vtraque difficile quiddam continere videtur. Prima quidem: nam ſucceſſionis emolumentum oſtendit, quinam ſint tutores, qui non ſint, ſed non qui legitimis comparandi ſint, qui non ſint: & potiùs e

contrario, ideo parenti manumiſſori dari videtur hæreditas, vel contra tabulas, quod ſit legitimus, vel legitimo ſimilis, nimirum exemplo patroni, d. l. 1. ſi a par. quis manſit. Poſteriores verò fiduciarios faciunt, quos legitimos dici, ſaltem receptum fuit. Videamus, an hoc pacto dici poſſit. Quæ legitima dicitur exemplo legitimæ patronorum, ita procedit, vt diximus, ſi exemplum procedat. Conſtat autem, omnino exemplum non procedere in tranſmiſſione legitimæ, cum a parentibus liberi manumittuntur. Nam ſi filius a patre emancipatus fuerit, ideo nō procedit quia non vt ſeruus in poteſtate fratrum manſiſſet, ſi manumiſſus non fuiſſet, ſunt & alia, quæ non tranſmittuntur, liberi manumiſſoris non veniunt ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem filij, quamuis patroni veniant, d. l. 1. §. liberos. Nec turbat hanc rationem, quod nepos in poteſtatem patris recidiſſet, niſi ab auo emancipatus eſſet: Nam illud ſatis eſt, ne dici poſſit in vniuerſum quoad liberos eorum, qui emancipauerint, exemplum adæquatam habere cauſam. Euidentius ita dicemus: Ideo perpetuo verum eſt, liberos manumiſſoris, niſi alia ratione impediantur, legitimos eſſe liberti tutores, vt ipſorum pater fuerat, quia ſemper verum eſt etiam, quòd ſi libertus manumiſſus non fuiſſet, defuncto domino, in filiorum poteſtate manſiſſet. At hoc non reperitur in emancipatione: Nam non eſt perpetuum, quod ſi parens non emancipaſſet eo defuncto, in poteſtate liberorum eius emancipatus manſiſſet, vel in eam recidiſſet; ſed aliquando quidem recidiſſet, vt ſi auus emancipaſſet, aliquando verò non recidiſſet, vt ſi pater emancipaſſet. Igitur nec in vniuerſum conſtitui poterit, quod liberi emancipatoris legitimi ſint, vt parens legitimus fuerat, ſed potius fiduciarij dicendi erunt, alioqui quoſdam fiduciarios diceremus, quoſdam verò legitimos, & exempli ratio inconſtans eſſet, quòd ſi dixeris, aliquando ſaltem rationis ſimilitudinem, ſeu analo-

giam, inter filios manumiſſoris, & liberos emancipatoris obtinere: Dicam, id ipſum in cauſa eſſe, vt idem ius non obtineat in vtriſque, cum in his non ſemper inueniatur, quod in illis eſt perpetuum, denique pater filium habet in poteſtate: quod verò aliquando auus hanc poteſtatem ſuſpendat, ex accidenti contingere videtur, Adeoque ad illam potiùs, quæ patris eſt, reſpiciemus. Sanè filij emancipatoris, filijs manumiſſoris comparantur, inter hos autem nulla eſt differentia, cum omnes æque in eadem poteſtate ſeruum habuiſſent, ſi manumiſſus non fuiſſet. Igitur ratio quoque præcipua inde ſumatur, vndè petitur exemplum, & comparatio. Sed & quoad ſuperiores, auum nempè, vel ſupra, exemplum minùs procedere, tentari poteſt. Si enim auus nepotem manumiſerit, licèt in patris poteſtatem poſt emancipatoris mortem recidiſſet, recidiſſet tamen non eodem iure, vt ſeruus, manſiſſet, poteſtas quam filij manumiſſoris in ſeruos habuiſſent, illa eadem fuiſſet, quā manumiſſor habebat, quod eam iure ſucceſſionis habeant. Ideoque & tutela eadem erit, nempe legitima patronorum exemplo. Poteſtate, quam pater in filium habuiſſet, vix eamdem prorſus dicere poſſumus, cum ad patrem ſuo quodam iure pertinere videatur: adeoque potiùs recidere in patris poteſtatem, quam eodem iure manere dicitur filius, quaſi ob aui poteſtatem, filij poteſtas interim pendeat propter regulam, qua dicimus, non habere in poteſtate, qui ſit ipſe in poteſtate, & quamuis patria poteſtas, poſt mortem quoque vim habere dicatur, qua præcipuè tutelæ nitantur, auus tamen filio tale ius non adimeret, vt nepos in eius poteſtatem non recideret, ſicuti ſeruos, aut aliquod ius hæreditatis adimere poſſet; igitur nec eadem omnino tutela ab auo in filium tranſmittitur, nec contrarium probat l. 9. de probat. ſed cum illa legitima fuerit propter emancipationem, quæ fecit auum emancipatorem ſimilem patrono, ſeu manumiſſori, hæc erit fiduciaria. Id ipſum

fortè vult Theophilus cum ſcribit. *Ideo neque eamdem tutelam habebit filius emancipatoris, ſed fiduciarius appellabitur*. Dicit, *neque eamdem* habiturum eſſe tutelam, quia neque eamdem omnino poteſtatem. Ita cum nec emancipator ſit, nec emancipatoris in hac parte ſucceſsor, ſequitur nec patrono comparari poſse, hoc eodem pacto accipi poſsunt illa Triboniani verba, *ideoque nec in tutelam*, quæ quidam aduentitia eſse arbitrantur, ſed intelligi poteſt, deficiente poteſtate, quam neque ſucceſſionis, neque iure proprio fratres in fratrem habeant, nec eamdem tutelam ad eos tranſmitti poſse: eamdem dico, ideſt legitimam, quam emancipati pater habebat.

De legum varietate. Ius ἄγραφον; *Nouum de ſententia §. idemque iuris, qui, & ex quib. cauſſ. man. non poſſ.* παρέργως *de Dicæarchi loco Explicata l. 1. de legat. præſt.* νόμῳ εἶναι. *Galenus contra ſententiam Neotericorum quorumdam defenſus.*

Cap. XIIX.

LEGES olim ligno incidere moris erat, vt notum eſt, inde dictæ XII. Tab. Flaccus in Arte: *Oppida moliri, leges incidere ligno*. Pittacus a Croeſo interrogatus, quodnam eſset maximum Imperium, ἢ τὸ ποικίλον, ἔφη, ξύλον: id *varij inquit, ligni*, vt ſcribit Laert. Notauit Sophus, vt opinor, legum varietatem, quæ Reipublicæ perniciem adferre ſolet. Ideo a quibuſdam populis non alia fortè ratione ſcriptæ leges non recipiebantur, ſed memoria tantùm continebantur

tinebantur, niſi vt pauciores eſsent, & difficiliùs abrogari, & immutari poſsent. Lycurgi legem refert Plutarchus in Lycurgo, μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις, ſignificabat nimirum, ſcriptis legibus vtendum non eſse, pertinet ad id, quod ſcripſit Tribonianus ſingulari loco de Lacedæmonijs, & Athenienſibus. In alijs pleriſque diſsentiebant inclytæ illæ Ciuitates. Liu. lib. 45. *Athenienſium populum fama eſt, celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit ingredientem*. Illud ipſum diu apud Langobardos etiam obtinuit, vt nimirum ſuas leges, ſeu *Auricabeomes* ſola memoria retinerent. Paull. VVarnefrid. l. 4. c. 44. de geſt. Langob. *Hic Rothari Rex, Langobardorum leges, quas ſola memoria, & vſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, Codicemque ipſum Edictum appellari praecepit*. In omni Republica ſemper ius ἄγραφον vim habuit, vt non tam facilè populum reperias, qui iure non ſcripto, quàm qui ſcripto caruerit. Plato quoque τὸ ἄγραφον νόμον κατὰ ἔθη μιμούμενον dixit. Quin etiam quæ ſola traditione, & memoria conſtarent, in magna veneratione ſemper fuere, vt piaculum videretur, ſi quidquam ex illis violatum, aut minus obſeruatum fuiſset. Iudaicam gentem in eo præſertim religioſam fuiſse conſtat. Sed & in Sacris præſcripſere Patres, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω Concil. Nicæn. c. 6. Semper antiqua viſa ſunt optima: vt rem ipſam Romanam moribus antiquis ſtare, antiqua vox ſit, receptum eſt etiam, vt moribus antiquis imbuti dicantur homines, cum laudantur. Quod indolet Tacito: *dum vetera*, inquit, *extollimus, recentium incurioſi*, & alibi: *vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe*. Apud eumdem tamen Annal. 3. monet. Tiber. *Ne verterent ſapienter reperta, & ſemper placita*. Nam nihil facilè mutandum eſt ex ſolemnibus, l. 183. de regul. iur. Caſſius apud eumdem Annal. 14. non dubitat, *ſuper omnibus negotijs, melius, atque rectius olim prouiſum*. Vell. lib. 2.

Ad

Ad vitia tranſcurſum: vetus diſciplina deſerta noua inducta. Illis ipſis Athenienſibus ſimilia vitio vertit Lucas Actor. 17. quæ Balſamon tamquam Paulli verba retulit in *διαγνώσει de quæſtione, num vnus, & idem duabus ſobrinis iungi poſſit*. Verba Balſamonis: *Athenienſium tam indigenæ; quàm proſelyti nil aliud habebant, cui magis vacarent, quàm vt aliquid noui dicerent, & audirent, magnus inquit Paullus. Eccleſia verò Dei, atque adeo ſacra Regia ſanctiſſima Dei magna Eccleſia confirmans Dogmata à Sanctis Patribus præſcripta omnem ſuperfluitatem nouitatis ſpeciem præ ſe ferentem radicitus exſtirpat*. Dicuntur Athenienſium quidam ἰθαγενεῖς, quidam προσήλυτοι. ſimilemque diſtinctionem legimus apud Dicæarchum; hic tamen mores eorum, qui puri puti, vel, vt ipſe loquitur, εἰλικρινεῖς eſſent Athenienſes, dilaudat, aliorum improbat. τῶν δ᾽ ἐνοικούντων, inquit. *Incolarum alij ſunt Attici, alij Athenienſes. Et Attici quidem, perpetua loquendi fame laborant, callidi, ſycophantæ, quique in vitam peregrinorum inquirant. Athenienſes vero magno ſunt animo præditi, moribus antiquis vt nullam in amicitia impoſturam admittant*. Sed, vt ad inceptum redeam, cum apud noſtros etiam I. Conſultos noua inſtituta minùs bene audire videantur, factum eſt, vt aliquando apud Gloſſographos, & veteres Iuris Interpretes legamus, nouum dici quod iniuſtum, aut iniquum ſit. Vlpianus ſanè in l. 3. quod quiſque iur. *iniquum ius* appellare videbitur, quod *nouum* dixit Prætor in Edicto, l. 1. eod. *Qui Magiſtratũ poteſtatemue habebit, ſi quid in aliquem noui iuris ſtatuerit, ipſe, quandoque aduerſario poſtulante, eodem iure vti debet*. Idemque edicit, *ſi quis apud eum, qui Magiſtratum, poteſtatemue habebit, aliquid noui iuris obtinuerit*. Quod tamen perpetuum non eſt, cum aliud ſit nouum ius, aliud iniquum. Vlpian. in l. 1. de legat. præſt. *Hic titulus*, inquit, *æquitatem habet naturalem; & ad aliquid nouam*. Incurrit

currit equidem ea pars Edicti nonnullas repræhenſiones; non ideo tamen iniquam æquitatem dixeris, quæ præſertim eluceat in eo, quod liberis, & parentibus in-primis proſpicere Prætor voluerit, l. 3. l. 6. eod. Nouitas antiquitati, non æquitati contraria, licèt æquitas naturalis antiquiſſima ſit, l. 14. rem non nouam, C. de iudic. & quædam ex his, quæ antiquitùs ſancita, & religiosè obſeruata fuerint, idemtidem æquitate, nouaque ratione ſuadente, immutari ſolent. *Multa duritie veterum*, ait Tacitus eod. Annal. 3. *meliùs & latiùs mutata*, aliquando etiam *nocuit antiquus rigor, & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus*. Hiſtor. 1. Ait Vlpian. *ad aliquid nouam*, eo modo, & Pomponius loquitur in l. 2. §. deinde Sext. Aelius, de orig. iur. *hos ſectatus ad aliquid eſt Cato*. Sed videamus, quid noui I. C. hic eſſe velit. Nam fortè minus congrue eius rei ratio petitur ex l. 9. ſi nemo, de teſtament. tut. & ex. l. 181. ſi nemo de reg. iur. Verum eſt quidem, ſi nemo hæreditatem adierit, omnem vim teſtamenti ſolui: ſed bonorum poſſeſſio contra tabulas locum habet, ſiue quis hæres exſtiterit, ſiue non. Nam dicitur peti bonor. poſſ. contra quam ſcriptum ſit, quod dicitur contra voluntatem, l. 4. de bon. poſſ. contr. tab. l. 6. ſed cum patrono, §. 1. de bonor. poſſeſſ. ideoque dari contra ipſum teſtamentum, contra tabulas ipſas, quod vulgò dicitur, contra lignum: vt ſufficiat extitiſſe tabulas mortis tempore, ex quibus vel adiri hæreditas, vel ſecundùm quas bonorum poſſeſſio peti potuit, l. 19. quod vulgò, de bon. poſs. contra tab. Contra tabulas dicimus, contra voluntatem: aduerſùs tabulas, ſecundùm voluntatem. Vlpian. in Fragm. tit. 28. Quòd ſi aliquando peti dicitur contra illum, qui ſcriptus ſit hæres, per conſequentias dicitur, aut etiam quòd iam ſcriptus hæreditatem adierit, l. 23. ſi ponas, de inoffic. & quidem ſcriptum, iure ciuili adire poſſe, non eſt dubium: & Prætor eum tuetur, ſi ex liberis eſt, qui contra tabulas petere potuerunt.

fuerunt, l. 15. is, qui, §. 1. de legat. præſt. In patrono contra eſt, cum oporteat hæreditatem aditam, aut bonorum poſſeſſionem petitam eſſe, cum contra tabulas liberti bonorum poſſeſſio locum habet, l. 3. §. vt patronus, de bon. libertor. Illa igitur contra lignum, non contra hæredem datur, hæc datur, atque adeo, ſi quis adijt hæreditatem, illa datur: ſed & ſi nemo adijt, datur. Quænam verò ratio fuerit, qua ea pars Edicti nouam ad aliquid æquitatem continere dicatur? Puto non aliam eſſe, niſi illam ipſam, quam idem Vlpianus eo ipſo capite edisſerit. Nouum eſt enim, vt illi ipſi, qui iudicia patrum reſcindunt, ex iudicijs eorumdem adhuc quibuſdam perſonis legata, & fideicommiſſa præſtent. Et poteſt nouum videri tum ratione filiorum, quibus datur contra-tabulas, tum etiam ratione parentum, qui hoc pacto pro parte teſtati, & pro parte inteſtati contra veterem definitionem decedere videantur. Sed vtique qui contra-tabulas maluerint, legata non adſequentur, ne iudicium defuncti partim comprobent, partim euertant, l. 5. §. omnibus, de legat. præſt. l. 6. §. fin. l. 7. de bon. libertor. Noua potiùs æquitas videri poſſit, ex teſtamento ratione deſumpta, cum ſublata potiſſima teſtamenti parte, nempe hæredis inſtitutione, totum videatur ſubuerti, l. 3. de his, quæ in teſtam. delent, l. 178. de reg. iur. ſimilemque nouitatem animaduertit Paullus in l. 28. cum mater, de inoffic. Ita noua ad aliquid ea pars Edicti videbitur: ſed quia æquitatem continet, meritò recepta eſt, nec iniqua dici poteſt, quæ, ſuadente æquitate, ſubuenit. Senec. in Lud. *Claudio iniquum magis videbatur, quàm nouum*. Nouum, & magnum, & admirabile dicitur. Vide Seruium ad illud, *Pollio & ipſe facit noua carmina*, & ad illud, *Quis nouus hic noſtris*. DD. Fratres *Egregiam humanitatis rationem* dixerunt in Epiſtola ad Voconium Saxam, l. 1. §. ſi quis vltrò, D. de quæſtionib. Videamus, an eodem pacto accipi poſſit, quod Iuſtinian.

dicit

dicit in §. idemque iuris. Qui, & ex quib. cauſ. man. non poſs. de ſeruo ſine libertate hærede inſtituto, quem libertatem conſequi vult. Ait: *Quod noſtra conſtitutio non ſolùm in domino, qui ſoluendo non eſt, ſed generaliter conſtituit, noua humanitatis ratione*, & ratio dicitur, *quum non ſit veriſimile, eum quem hæredem ſibi elegit, ſi prætermiſerit libertatis dationem, ſeruum remanere voluiſſe, & neminem ſibi hæredem fore*. Rationem nouam appellat, cum tamen in §. 1. de hær. inſt. neget, per innouationem id induxiſſe, ſed quoniam æquius erat, & Atilicino placuiſſe, Paullus non vno loco retulit. Quidam *nouam* intelligunt, quæ numquam inueterauerit, licèt ex veteribus quidam eam probauerint, quod & Accurſius dicere voluit, quid ſi ſententiam quidem antiquam dixeris, rationem nouam? *vetera noue proferre*, τὰ παλαιὰ καινῶς διεξελθεῖν, vt ait Iſocrates, id etiam vidit Accurſius, ſed minus probare videtur, illa ſanè ratio antiqua potiùs dicenda fuerit, qua veteres quoque vſi ſint in aſſerenda libertate illius, cui tutela ſit delata, ſed hoc rationem antiquam non reddit, niſi veteres eamdem ad hæredis inſtitutionem produxiſſe probetur, noua enim adhuc eſſet, quæ numquam antea huic iuri confirmando adhibita fuiſſet, noua etiam ſententia dicitur Papiniani, & Meſſij, quæ tamen ex indemnitate coloni, & ex æquitate deſumpta fuit, l. fin. de iur. fiſc. Equidem id ipſum voluiſſe Iuſtinianum, probari poteſt & ex l. 5. C. de neceſs. ſeru. hær. inſt. ſed antiquitatem quidem hæc altercantem relinquendo, nobis alius modus huius deciſionis inuentus eſt: quia ſemper veſtigia voluntatis ſequimur teſtatorum. Cum igitur inuenimus noſtro iure hoc eſſe inductum, vt ſi quis ſeruum ſuum tutorem filijs ſuis reliquerit ſinè libertate, ex ipſa tutelæ datione præſumatur etiam libertatem ei fauore pupillorum impoſuiſſe: quare non hoc etiam in hæreditate, & humanius, & fauore libertatis inducimus &c. Sunt tamen qui *nouam* pro ſingulari

acipiãt, quaſi nulla alia ratio huius rei eſſe poſſit. Si hæc momentum non habent, *nouam* potiùs dicerem egregiam, aut efficacem. Galenus apud Hippocratem, νεανικῶς, exponit γενναίως, vel σφοδρῶς, vel ἰσχυρῶς, *præclare* nimirum, *valde*, *vehementer*. Theophilus, καινοτέρῳ φιλανθρωπίας λογισμῷ: *noua quadam humanitatis ratione*; dictum, καινοτέρῳ, vt apud Dicæarchum in deſcriptione Athenarum puto dictum eſſe, μικρῷ δὲ σπανιώτερα, licet enim per comparationem dictum videatur, non exigit tamen aliud, ad quod referatur, nec locus ille corruptus eo nomine habendus eſt, quamquam corruptum crediderit vir in græca lingua peritiſſimus, ſed hoc non pertinet modò ad noſtrum inſtitutum. Ad legum varietatem, de qua principio dicebam, pertinet antiqua loquendi ratio, quam vir doctus ex Italis noſtris, neſcio an intellexerit, quod ſanè omiſiſſem, quis enim virum medicum legem malè accipientem non ferat? Sed ſub-iraſcor illi, dum Galenum vellicat: virum, vt mihi videtur, in multis admirabilem. Hipocrates περὶ φύσιος ἀνθρώπου ſcribit: ἐγὼ μὲν γὰρ ἀποδείξω, ἃ ἂν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, καὶ κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν φύσιν ἀεὶ ταὐτὰ ἐόντα ὁμοίως, καὶ νέου ἐόντος, καὶ γέροντος, καὶ τῆς ὥρης ψυχρᾶς ἐούσης, καὶ θερμῆς, καὶ τεκμήρια παρέξω, καὶ ἀνάγκας ἀποφανέω, δι' ἃς ἂν ἕκαστον αὔξηταί τε, καὶ φθίνῃ ἐν τῷ σώματι. Ad hæc Galenus ὑπομνήματι πρώτῳ. Κατὰ τὸν νόμον μὲν οὖν ἐστι, τὸ πρὸς τῶν ἀνθρώπων νομιζόμενόν τε, καὶ δοξαζόμενον. οὕτως εἰωθότων ὀνομάζειν τῶν παλαιῶν. κατὰ φύσιν δὲ, τὸ κατ' αὐτὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν, quibus nihil melius, aut doctius dici poteſt, noſter pietatem Senis commendat: nec exſcribam, quæ ſcribit; quod Galenus ait, ita veteres locutos fuiſſe, varijs ex locis conſtat. Hæc etiam Pyrrhonis verba apud Laertium: ὁμοίως ἐπὶ πάντων, μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ δὲ, καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν. Sic & Plato ſeiunxit magiſtratum κατὰ νόμον ab eo, qui ſit κατὰ φύσιν. Archelaus item dixit, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ αἰσχρὸν εἶναι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. Quæ rurſus de Democrito retulit Laertius, dum dixit, Αρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους, καὶ κενόν.

τῇ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι δοξάζεσθαι, explicat latiùs Sextus Philoſophus, ita de illo ſcribens: Δημόκριτος δὲ ὅτι μὲν ἀναιρεῖ τὰ φαινόμενα ταῖς αἰσθήσεσι, καὶ τούτων λέγει μηδὲν φαίνεσθαι κατ' ἀλήθειαν, ἀλλὰ μόνον κατὰ δόξαν, ἀληθὲς δ' ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τὸ ἀτόμους εἶναι, καὶ κενόν. ſubdit verba illius: Νόμῳ γλυκὺ, καὶ νόμῳ πικρὸν. νόμῳ θερμὸν, νόμῳ ψυχρὸν νόμῳ χροιή. ἐτεῇ δὲ ἄτομα, καὶ κενόν. ὅπερ νομίζεται μὲν εἶναι, καὶ δοξάζεται τὰ αἰσθητά· οὐκ ἔστι δὲ κατ' ἀλήθειαν ταῦτα, ἀλλὰ τὰ ἄτομα μόνον, καὶ τὸ κενόν. quæ & ipſe Laertius in Pyrrhone retulit, & Galenus lib. 1. περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων. Hinc, puto, fluxit quod apud Galenum legimus res natura conſtantes, aut quæ demonſtratione nitantur, his opponi, quæ legum-latores proferant, aut alij legis modò proponant, vel aſſumant, & decernant. νομοθετοῦντες μᾶλλον, ἢ ἀποδεικνύντες. Method. l. 1. Callicles apud Platon. in Gorg. quędam in hanc ſententiam ad Socratem refert, tamquam ille diceret, ἃ φύσει μὲν οὐκ ἔστι καλὰ, νόμῳ δέ· ὡς τὰ πολλὰ δὲ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν, φύσις, καὶ ὁ νόμος, inquit Callicles, cuius loci meminit & Ariſt. περὶ σοφιστικ. ἐλεγχ. lex quippe violentum quiddam continere videtur. Ideoque Pindarus cecinit quod Callicles ibidem retulit, ὅτι νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε, καὶ ἀθανάτων. οὗτος δὲ ἄγει βιαίως τὸ δικαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί. Quorum verborum priora ſumpſit Chryſippus, l. 2. de ll. idemque Pittacus voluit, vt dixi. Glauco apud eumdem Platon. ἐν τῷ β τῶν πολιτικ. ὃ πᾶσα φύσις διώκειν πέφυκεν ὡς ἀγαθὸν, νόμῳ δὲ βίᾳ παράγεται ἐπὶ τὴν τοῦ ἴσου τιμήν. Ariſtoteles eamdem loquendi rationem frequenter vſurpauit, vt lib. 2. περὶ φυσικῆς ἀκρ. cap. 1. Ethicor. ad Nicomach. lib. 1. c. 3. & lib. 5. c. 7. & 1. τῶν μεγάλων c. 31. & 1. Politic. c. 3. & c. 6. & in iiſdem libris ideo dictum nummum, & omnino νόμον, ſeu legem, futile quiddam eſſe, ac minimè ſecundùm naturam. Maxim. Tyr. diſſertat. 1. οὐ τὸ ἀγαθὸν τὸ αὐτὸ, οὐ τὸ κακὸν ὅμοιον, οὐ τὸ αἰσχρὸν οὐ τὸ καλόν· νόμος μὲν γὰρ δὴ καὶ δίκη ἄνω, καὶ κάτω φέρεται διασπώμενα, καὶ σπαρασσόμενα. μὴ γὰρ ὅτι γένος γε γένει ὁμολογεῖ ἐν τούτοις, ἀλλ' οὐδὲ πόλις πόλει, ἀλλ' οὐδὲ οἶκος οἴκῳ, οὐδὲ ἀνὴρ ἀνδρὶ, οὐδὲ αὐτὸς αὑτῷ.

Bonum non omnibus idem, non ſimile malum, non turpe, non honeſtum; enim verò leges, & iura maxima inconſtantia turbantur, diſtracta, & dilaniata, non modò quòd gens cum gente in his minimè conueniat, ſed nec ciuitas cum ciuitate, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec idem cum ſe ipſo. Quæ vtinam falſa eſſent! nam quoties videmus, eumdem prudentem, ſi hæc prudentia eſt, a ſe ipſo diſcedere, & hodie ſententiam illam improbare, quam pridie aliqua fortè cupiditate abductus immenſa ſententiarum, & capitum producta congerie mordicus retinuerat, & defenderat? Si iura diſtinxeris, ipſa quoque Iuriſprudentia, quæ alijs operam ſuam commodare ſolet, patronum fortè reperiet, eumque facundum, & diſertum. Nam M. Tullius, cum lib. 1. de ll. negaſſet a lege populariter ſumpta iuris principia eſſe repetenda, mox ſubdidit, *Nos ad iuſtitiam eſſe natos, nec opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius*. Noſtri dicunt, *Ciuilia iura naturalia corrumpere non poſſe*. Nam ius theticum mutabile, immutabilis natura. Mitto complura.

De termino moto. Ex viſu. Ex voluntate. *Cap. XIX.*

HADRIANI Reſcriptum, quod Calliſtratus refert in l. 2. de term. mot. refert & Vlpian. in fragmentis. Vlpianus lib. ix. de offic. Proconſ. ſub tit. de term. mot. Eos qui terminos mouerunt non impunè id facere debere, Diuus Hadrianus Terentio Gentiano xvii. Kal. Septembriarum ſe 3. Conſ. L. reſcripſit, quo reſcripto pœnam variam ſtatuit, verba reſcripti ita ſe habent. Peſſimum factum eorum, qui terminos finium cauſa impoſitos abſtulerunt, dubitari non poteſt. Pœnæ autem modus ex conditione perſonæ, & mente facientis magiſtratui pœnam. Si

ſplen-

ſplendidiores ſunt perſonæ, quæ conuincuntur, condubito quin occupandorum aliorum finium cauſa id admiſerint, & poſſunt ad tempus, vt cuiuſque cum patitur ætas, relegari, & ſic in biennium, aut triennium ad opus publicum dari, quod ſi per ignorantiam, aut fortuitu lapides viſus cauſa furati ſunt, ſufficiet eos verberibus coerceri. Liquet ſcriptum fuiſſe, *ſe III. Conſult.* ſed alterius fortean Conſulis nomen deſit. Nam tertium Conſul cum Q. Iunio Ruſtico Hadrianus, vt Faſti præ-ferunt. Quid verò illud eſt, *Magiſtratui pœnam*? quis dixerit emendandum, *Magiſtratus ponant*. Sed ex Calliſtrato ita potius reſcribemus, *magis ſtatui poteſt, nam ſi ſplendidiores, &c.* fortè ſcriptum compendio, *pot: nam.* vndè mendum natum, *pœnam.* Sic & paullo poſt, *non dubito*, pro *condubito*, dictum autem, *vt cuiuſque cum patitur ætas*, pro *cuiuſcumque patitur ætas*. Mox quæ Calliſtratus habet, *ideſt, ſi iuuenior, in longiùs: ſi ſenior, recisius*: puto eſſe interpretamentum eiuſdem I. Conſulti non Imperatoris verba, nec retulit Vlpianus: quamquam hoc leue ſit argumentum, cum omittat, & ex ſequentibus quædam ſiue ipſe, ſiue Librarius. Illis demum vocibus contra auctior eſt Vlpianus, *Viſus cauſa*, fortè Calliſtratus quoque retulerat, ſed Tribonianus omiſit: hodieque mutant, & corrigendum eſſe dicunt, *vſus cauſa*. Ego verò crediderim potiùs, Vlpianum ſignificare eos, qui facinus huiuſmodi non dolo malo, nec alienorum finium occupandorum cauſa admiſerint, ſed quaſi per laſciuiam, aut ignari pœnarum, aut temere. Memini me legiſſe in Conſtitutione quadam, quæ modò non ſuccurrit, *viſibus noſtris inferas*. In Nouella Theodoſij de Metat. tit. 30. *at aurum ex huiuſmodi titulo profligatum pro iuſſu noſtri numinis cura tuæ ſublimitatis, quo viſum nobis fuerit, erogetur*. Et in Nouella de bon. Fabricenſ. tit. XIII. *Vniuerſi itaque, velut in corpore vniformi, viſus decoctionis. ſi ita res tulerit, reſpondere coguntur*. Cuius

tamen

tamen Conſtitutionis pars lib. XI. Codic. Iuſtinian. in l. 5. de Fabricenſ. ita relata fuit: *veluti in corpore vnius forma, vnius decoctionis ſi ita res tulerit, reſpondere cogentur.* Dicitur etiam, *ex voluntate*, cum ſignificatur, nulla obligatione, nullo vinculo datum, aut factum, l. 31. de oper. libertor. Hygen. de limit. conſt. *Cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate, & liberalitate Imp. Traiani Augusti aſſignaret.* Idem Libertus, ſeu quis alius Hyginus in Fabul. c. 129. *voluntate ſua ex Vrbe exceſſit.* Præterea, *contra voluntatem* dicimus, hoc eſt, contra ſententiam. Arnob. lib. 1. *contra voluntatem quadam bella adminiſtrata, & victorijs poſtmodum, ſucceſſibuſque correcta.* Diuerſum ſignificant illa, *ex voto voti cauſa*, vt in Nouell. Theodoſian. tit. 28. de locis Reipublicæ veriſſimè corrigunt, item, *ex cauſa legati*. Lap. antiq. *D. M. M. Libio. Mucroni. C. Cacina. Quintilianus. amico. bene merenti. ex cauſa. legati. fecit.* Illa eadem verba, *ex voluntate*, ſupremam aliquando ſignificare videntur. Lapis Romæ: *D. M. ex voluntate*. M. *Acili. Hilariani. AnTiſtia. Prima. in. perfectum. conſumauit. Marito, incomparabili, & . ſibi. liberiſq. ſuis. item. libertis. libertabuſq. poſteriſq. eorũ.* Frequenter in libris iuris *voluntas* pro ſuprema accipitur, vel pro teſtamento. Eadem illa verba, *ex viſu*, ſæpè occurrunt in lapidibus ſignificatione diuerſa. Romæ: *Soll. Sacr. C. Ducenius. C. lib. Phœbus. filius. Zenonis. natus. in. Suria. Niſibin. liber. factus. Roma. EX. VISV. V. S. L. M.* In alio ita legitur:

MARTI
SACRVM
EX. VISV
SECVNDINI
VS. MARTIVS
L. L. P.

Nam,

Nam, *ex viſu*, hic ſignificat, *ex ſomnio*, ſeu, *deorum monitu*. Lapis alius in agro Bellunenſi: ASCLEPIO. P. XELIVS. POLIO. VISV. MONITVS. POSVIT. Gloſſ. vett. *Viſio*, φαντασία. *Viſa*, ὀφθεῖσα, καὶ ὀνείρατα. *Viſum*, ὅραμα, ἐνύπνιον. Et alibi: ὄνειρος, *hoc Viſum*, *Somnium*. ὅραμα, *Viſus*, *Viſio*. ἐνύπνιον, *Inſomnium*, *Somnium*, *Viſio*, *Viſus*. De viſionibus alibi plura ſcripſi. Olim lege Agraria Cæſaris, terminorum auulſorum multa pecuniaria conſtituta fuit: hodie pœna extra-ordinaria huiuſmodi facinus vindicatur, ſic diſtinctione temporum defendi poteſt, non pugnare Modeſtinum, & Calliſtratum in l. 1. & 3. de term. mot. Alij malunt, vtramque pœnam contra ſontes conſtitutam eſſe, & corporis, & pecuniæ, quam ſententiam, & Græci probant, lib. 60. βασιλ. In executione coercitionis tria ſpectanda ſunt, conditio, mens, ætas admittentium: ſunt qui hoc pacto diſtinguãt, vt ſi admiſſum & dolum habeat, pro ſingulis terminis 50. aureos in publicum dent: quæ multa legis Iuliæ eſt, ſi verò terminos mouerint, aut ſuſtulerint alienorum finium occupandorum cauſa, pro conditione ætatis, & perſonæ relegentur. Si denique fortuito, & vt diximus, ex viſu admiſerint, decidantur, vt ait Calliſtratus. Sed & illud conſtitutum eſt, eos item, qui finalium quæſtionum obſcurandarum cauſa faciem locorum conuertunt, vt ex arbore arbuſtum, aut ex ſilua nouale, aut aliud quid ſimile facientes, pœna plectendos eſſe varia, faciunt autem ex arbore arbuſtum, qui ſtolonibus pone poſitis ſubinde fines arbuſtant, e contrario facit e ſilua nouale, qui ſuccifis, erutiſque arboribus, terram ſemini, ac proſciſſioni deſtinat. Quinctil. in mil. *Mar. ingentibus lacunis humum fodere, ſegnem futuris noualibus eruere ſiluam*. Coercetur igitur crimen extra ordinem l. 1. C. de accuſ. nec tamen dubito, concurrere popularem actionem ex l. Iulia, ſi dolo malo terminus extra ſuum gradum motus fuerit, d. l. 3. Variè huiuſmodi crimen admittitur,

tamen Conſtitutionis pars lib. XI. Codic. Iuſtinian. in l. 5. de Fabricenſ. ita relata fuit: *veluti in corpore vnius forma, vnius decoctionis, ſi ita res tulerit, reſpondere coguntur.* Dicitur etiam, *ex voluntate*, cum ſignificatur, nulla obligatione, nullo vinculo datum, aut factum, l. 31. de oper. libertor. Hygen. de limit. conſt. *Cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate, & liberalitate Imp. Traiani Auguſti aſſignaret.* Idem Libertus, ſeu quis alius Hyginus in Fabul. c. 129. *voluntate ſua ex Vrbe exceſſit.* Præterea, *contra voluntatem* dicimus, hoc eſt, contra ſententiam. Arnob. lib. 1. *contra voluntatem quadam bella adminiſtrata, & victorijs poſtmodum, ſucceſſibuſque correcta.* Diuerſum ſignificant illa, *ex voto voti cauſa*, vt in Nouell. Theodoſian. tit. 28. de locis Reipublicæ veriſſimè corrigunt, item, *ex cauſa legati.* Lap. antiq. *D. M. M. Libio. Mucroni. C. Cæcina. Quintilianus. amico. bene merenti. ex. cauſa. legati. fecit.* Illa eadem verba, *ex voluntate*, ſupremam aliquando ſignificare videntur. Lapis Romæ: *D. M. ex voluntate.* M. *Acili. Hilariani. AnTiſtia. Prima. in. perfectum. conſumauit. Marito, incomparabili, & . ſibi. liberiſq. ſuis. item. libertis. libertabuſq. poſteriſq. eorũ.* Frequenter in libris iuris *voluntas* pro ſuprema accipitur, vel pro teſtamento. Eadem illa verba, *ex viſu*, ſæpè occurrunt in lapidibus ſignificatione diuerſa. Romæ: *Soll. Sacr. C. Ducenius. C. lib. Phœbus. filius. Zenonis. natus. in. Suria. Niſibin. liber. factus. Roma. EX. VISV. V. S. L. M.* In alio ita legitur:

MARTI
SACRVM
EX. VISV
SECVNDINI
VS. MARTIVS
L. L. P.

Nam,

Nam, *ex viſu*, hìc ſignificat, *ex ſomnio*, ſeu, *deorum monitu*. Lapis alius in agro Bellunenſi: ASCLEPIO. P. XELIVS. POLIO. VISV. MONITVS. POSVIT. Gloſſ. vett. *Viſio*, φαντασία. *Viſa*, Ὀφθέντα, καὶ Ὀνείρατα. *Viſum*, Ὅραμα, Ἐνύπνιον. Et alibi: ὄνειρος, *hoc Viſum*, *Somnium*. Ὅραμα, *Viſus*, *Viſio*. Ἐνύπνιον, *Inſomnium*, *Somnium*, *Viſio*, *Viſus*. De viſionibus alibi plura ſcripſi. Olim lege Agraria Cæſaris, terminorum auulſorum multa pecuniaria conſtituta fuit: hodie pœna extra-ordinaria huiuſmodi facinus vindicatur, ſic diſtinctione temporum defendi poteſt, non pugnare Modeſtinum, & Calliſtratum in l. 1. & 3. de term. mot. Alij malunt, vtramque pœnam contra ſontes conſtitutam eſſe, & corporis, & pecuniæ, quam ſententiam, & Græci probant, lib. 60. βασιλ. In executione coercitionis tria ſpectanda ſunt, conditio, mens, ætas admittentium: ſunt qui hoc pacto diſtinguãt, vt ſi admiſſum & dolum habeat, pro ſingulis terminis 50. aureos in publicum dent: quæ multa legis Iuliæ eſt, ſi verò terminos mouerint, aut ſuſtulerint alienorum finium occupandorum cauſa, pro conditione ætatis, & perſonæ relegentur. Si denique fortuito, & vt diximus, ex viſu admiſerint, decidantur, vt ait Calliſtratus. Sed & illud conſtitutum eſt, eos item, qui finalium quæſtionum obſcurandarum cauſa faciem locorum conuertunt, vt ex arbore arbuſtum, aut ex ſilua nouale, aut aliud quid ſimile facientes, pœna plectendos eſſe varia, faciunt autem ex arbore arbuſtum, qui ſtolonibus pone poſitis ſubinde fines arbuſtant, e contrario facit e ſilua nouale, qui ſuccìſis, erutiſque arboribus, terram ſemini, ac proſciſſioni deſtinat. Quinctil. in mil. Mar. *ingentibus lacunis humum fodere, ſegnem futuris nouualibus eruere ſiluam*. Coercetur igitur crimen extra ordinem l. 1. C. de accuſ. nec tamen dubito, concurrere popularem actionem ex l. Iulia, ſi dolo malo terminus extra ſuum gradum motus fuerit, d. l. 3. Variè huiuſmodi crimen admitti-

tur,

tur, & deſcribitur, cum dicamus & *terminum euellere*, & *propellere*, & *effodere*, & *eijcere*, & *loco mouere*, & *extra fines*, & *extra gradum*: per hæc autem intelligemus pedes quinque Mamilia, ſeu Manilia definitos, qua de re complura ſcripſerunt alij ad ll. de quinque pedum præſcriptione. Dicuntur etiam *termini deiecti*, *exarati*, vt & *arbores*. Paull. ſent. lib. 5. tit. 22. cuius verba corrupta extant etiam apud Frontinum. Ad hæc pertinet Auguſti iocus apud Macrobium lib. 2. Sat. c. 4. *Vectius cum monumentum patris exaraſſet, ait Auguſtus: Hoc eſt verè monumentum patris colere*. Memini etiam in codice VViii Gothorum in titulo *de collisis, & euulsis limitibus*, me legiſſe, *limites complanare*. Quod vero vulgus putat, ominoſum huiuſmodi crimen, vindicem quoque, vltoremque habere Deum, ex Vegoia adſtrui poteſt: cuius verba contra auaritiam propè nouiſſimi octaui ſæculi pro coronide huius capitis referam. Sed qui contigerit, moueritque (terminos) poſſeſſionem promouendo ſuam, alterius minuendo, ob hoc ſcelus damnabitur a dijs, ſi ſerui faciant, dominio mutabuntur in deterius, ſed ſi conſcientia dominica fiet, celerius domus exſtirpabitur, genſque eius omnis interiet, motores autem peſſimis morbis, & vulneribus afficientur, membriſque ſuis debilitabuntur, tum etiam terra a tempeſtatibus, vel turbinibus plerumque labe mouebitur, fructus ſæpè lædentur, decutienturque imbribus, atque grandine, caniculis interient, robigine occidentur, multæ diſſenſiones in populo fient. Hæc ſcitote, cum talia ſcelera committuntur, propterea neque fallax, neque bilinguis ſis; diſciplinam pone in corde tuo.

Qui

Qui mutuum dedit, an ſtatim repetere poſsit. Explicata l. 2. de reb. cred. Addita quædam ad alios contractus, & ad vſuras pertinentia. De tempore iudicati faciendi. De Anatociſmo.
Cap. XX.

QVI pecuniam credidit, an ſtatim repetere poſſit, dubitari ſolet. Quod mihi non adeo obſcurum videtur, vt Delphos mittere habeamus, ſed Accurſij ſententia in l. 68. ſi pœnam, de verb. obl. quoſdam traxit in partes. Is credidit, creditorem ſtatim repetere poſſe, ſanè mutui datione obligatio contrahitur, & ex obligatione oritur actio, cur igitur ſtatim non agat qui ſtatim actionem habet? ſed & quoties in obligationibus dies non ponitur, præſenti die pecunia debetur, l. 41. cum qui Kalendis. §. fin. eod. Atqui Accurſius, cum poſtea quæreret de eo, quod intereſt, commentitium neſcio quid comminiſci coactus eſt. Contrariæ ſententiæ Auctores dicunt, ſummo quidem iure ſtatim agi poſſe, idque ſubtili diſputandi ratione probari: contra communem tamen vtilitatem illud recipere, neceſſarium non eſſe, l. 51. ita vulneratus, ad l. Aquil. Manus dare videntur. Ego potiùs rationem iuris aliud ſuadere dixerim, nec agi poſſe crediderim, quod facilè probabimus, ſi ad mutui naturam animum reuocemus: *Redduntur* enim *non eadem res, ſed alia eiuſdem naturæ, & qualitatis*. Hæc verba ad vſum referenda ſunt, nam in id quiſque mutuo accipit, vt rem in vſus ſuos conuertere poſſit, poſtquam dominium hac ratione quæſierit, & pro ea aliam eiuſdem naturæ, & qualitatis reddat, ſi rem eamdem reſtituere cogatur, iam ſuper-

uacaneum eſt mutuari, cui bono etiam fuerit transferri dominium? nam re ſua dominus pro arbitrio vti non poterit. Hæc eſt etiam Theophili ſententia. Quod ſi ſtatim res repeti poſſit, eadem reddenda erit, cum eam habeat, non aliam, aliam reddere non poteſt, niſi aliunde requirat. & fraudi erit hic contractus, cum obligatione adſtrictus cogi poſſit, antea verò eo vinculo non teneretur. Præterea, cur rem aliam conquirat, aut reddat, ſi primam habet? nec intereſt creditoris, aliam potiùs accipere, accipiat igitur, & eamdem, l. 1. §. Idem aiunt, de aq. & aq. pl. arc. Verùm, vt dixi, ideo conſtitutum eſt, aliam reddendam eſſe, vt accepta in vſus conuerti poſſit: quæ huius contractus ratio fuit. Statim igitur res repeti non poteſt, ſed expectandum vt in vſus conuertatur, aut conuerti poſſit. Paullus idem vult in l. 2. §. mutui datio, de reb. cred. *Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero, menſura conſiſtunt, quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire: quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie.* Non dixit Paullus, harum rerum *eſſe functionem*, non dixit eas *fungi*: ſed dixit *functionem recipere*, nam ipſæ non ſoluuntur, quæ datæ ſunt, non eædem redduntur, *fungi* dicebant, quod in vſum veniret, quod præſtaretur, aut redderetur: veluti tributa, quæ penſitantur: velut *dos, quæ ſemel functa ſit*, apud Vlpian. tit. 6. *Fungi noxæ deditione* dicitur ille, qui ſeruum noxæ dedere malit, quam litis æſtimationem ſufferre, §. 2. de noxal. act. *fungi*, ideſt συντελεῖς *conſummare, perficere, explere* quod debeat: ab ea moleſtia ſe ipſum vindicare, rem expedire: quod dicitur in l. 1. cod. ea ratione litis æſtimationem euitare. Gloſſæ vett. *Functio* Λιτεργία, Τέλεσμα. *Functionum*, Λιτεργιῶν, Εἰσφορῶν. *Funguntur*, Διατελοῦσιν, Συντελοῦσιν, & alibi: Λιτεργία, *Munificentia, munium, functio, munus*. Idem Paullus in antiqui I. Conſulti conſultatione, quam a Loiſello ſe accepiſſe profitetur iuriſ-conſultis. Cuiacius: *Functio dotis*

pacto

pacto mutari non poteſt, quia priuata conuentio iuri publico nihil derogat. Functionem autem recipiunt hæ res per ſolutionem in genere ſuo potiùs, quàm ſpecie. Hoc, vt mihi videtur, Paulli verba ſignificant, & hoc ordine diſponenda, functionem recipiunt res per ſolutionem in genere, non funguntur ſpecie, idque ob vſum, vt dixi. Quamquam in mutuo abuſus potiùs, quàm vſus continetur: in commodato vſus potiùs, quàm abuſus. Dictum etiam, vſum mutuari, l.49.§.2. de legat. 3. Plaut. in Perſa: *Nummos dares vtendos mutuos*, quandoque rurſus, commodatum dicitur mutuum, l.2. tit. 6. C. lib. 10. Vt meritò dicatur, Commodatum eſſe quaſi mutuum ad vſum: & retro, mutuum eſſe, quaſi commodatum ad abuſum. Pæne igitur eadem de mutuo dicere licebit, quæ de commodato dixit Paull. in l. 17. in commodato. §. ſicut, ff. commodat. Mutuum dare, officij dantis, & voluntatis fuit: poſtquam mutuum dedit, finem præſcribere, retro agere, atque intempeſtiuè, quod datum fuerit, repetere, non officium tantùm impedit, ſed & contractus natura. Quæres, an actiones inuicem prepoſitæ ſint, vt in commodato, ſunt qui & hoc aſſerant, hi præſertim, qui in quolibet contractu obligationem vltro citroque inuenire nituntur, ſed in commodato actio facilè producitur, ob rei alienæ vſum, qui debeatur: quod in mutuo non reperitur, cum rei dominium in accipientem tranſierit, quid igitur aget, vt re ſua vtatur, qui per mutuum dominium accepit? At obligatio accipientis, ex natura contractus effectum ſtatim non habebit, nec reſtituere cogetur, niſi poſt vſum, vel abuſum, aut poſtquam ei vti licuerit. Nam & de eo, veluti de re controuerſa, fruſtra diſceptatur, An ei, qui rem commodatam accepit, nec ea vti potuit, adhuc eamdem retinere liceat, vt commodatum reuocari nequeat, quaſi nempe caſus fortuitus ei, qui commodauit, & non ei potius, qui commodatus eſt, nec vti potuit, obeſſe debeat,

argumentum, quod ſumunt ex l.6.C. de pignerat. act. infirmiſſimum eſt, potiùs obtinebit quod ex Papiniano de promutuo relatum eſt in l. 15.§.6.ff. locat.ex quo ſatis conſtat, contra eum agi poſſe, qui ſiue mutuum, ſiue commodatum acceperit, etſi vti, vel abuti nequiuerit. Exſpectabit igitur qui mutuum dedit, vt ei, qui accepit, rem in proprios vſus impendere licuerit, nam id natura contractus exigit: & vulgò dicitur, Contractum ab initio voluntatis, ex poſt-facto neceſſitatis eſſe, l.5. C. de obl.& act. Si qui accepit, ſiue caſu, ſiue voluntate vti non potuit, obligationis vim ſentiet. Nec eſt nouum, vt præſens ſit obligatio, in diem autem dilata ſolutio, l. 46. centeſimis, de verb. obl. Quod ſi priuata pactione effici poteſt, quin lege effici poſſit, nullam video eſſe rationem. Aliud in depoſito, & in precario dicendum erit, l. 1.§. ſed ſi duo, ff. depoſit. l. 1. l. 12. l. 15. de precar. ſed & qui ſine die conſtituit, non ante decem dies exigitur, l. 21. promiſſor, §. ſi ſine, de pecun. conſtit. Si verò poſtquam creditor exſpectauit, vt in vſus ſuos impenderet, qui rem accepit, creditum requirat, nec conſequatur, quæritur, An vſuras conſequi poſſit. Quod, quantùm pertinet ad mutuum, ex eo pendet, vt conſtituamus, An mutuum ſit contractus bonæ fidei. Nam in contractibus bonæ fidei a die moræ vſuras accedere placuit, ideo autem accedere dicimus, non deberi, quod propriè neque debeantur, neque ſint in obligatione, l. vlt. de eo, quod cert. loc. & quod dicitur in l. 32. mora, §. in bonæ fidei, de vſur. ad iudicis officium referendum eſt, non ad obligationem, facit hoc æquitas, quam Prætor ſequitur, l. 13. Iulianus, §. ex vendito, de act. empt. l. 5. curabit, C. eod. Alexander in bonæ fidei iudicijs vſurarum rationem haberi dixit, l. 13. in bonæ fidei, C. de vſur. in iudicijs ſtrictis citra vinculum ſtipulationis vſuræ non veniunt, niſi per retentionem pignoris illæ, de quibus conuenerit, non interpoſita ſtipulatione, ſeruentur, l. 5. §. Imperator,

de

de ſolut. l. 3. l. 4. C. eod. Vſurarum autem ſtipulatio ſcripturam non deſiderabat, ſed plenum robur habebat, etiamſi in acta relata non eſſet, l. 1. C. eod. At mutuum in §. actionum, de act. inter contractus bonæ fidei non cenſetur: quin ob ſuſpicionem vſurarum, in cauſam depoſiti potiùs hodie transfertur. Sanè & in depoſiti iudicium aliquando veniunt vſuræ, nam ſi ab initio de præſtandis conuenerit, lex contractus ſeruabitur, item ex mora præſtantur, videlicet vt in bonæ fidei iudicio, l. 24. Lucius, ff. depoſit. Quod autem diximus, ſi de præſtandis conuenerit, præſtandas eſſe, ſumptum eſt ex iure ciuili, hodie dogma peruerſum habetur, cum, vetitis, & interdictis vſuris, quæ propriè ſine mutuo non intelliguntur, ſuſpicio oriatur, quod mutuum in fraudem ſub alterius contractus nomine lateat, idque in ſimili ſpecie ſuſpicacem reddidit Innocentium, c. 5. de empr. & vendit. ſi de præſtandis principio non conuenerit, neque iure ciuili debentur, cum id ſit contra bonam fidem, & contra naturam depoſiti, beneficium enim deponenti præſtitit, qui rei depoſitæ cuſtodiam recepit, vt I. Conſultus ait. Hoc amplius: Cum ex depoſito vſuræ recipi non poſſint, niſi poſt moram pro eo, quod intereſt, licet is, qui pecuniã ſuſcepit, ea vſus ſit, citra morã tamen, non puto eas exigi poſſe, etſi iure ciuili præſtantur, l. 4. C. depoſit. Quid dicemus de lucro, quod ex pecunia percepit, qui ſuſceperat? Dico, res comparatas ſiue pecunia ſuſcepta, ſiue illa, quæ ex lucro prouenerat, illius eſſe, qui comparauerit, l. 1. C. ſi quis alteri, vel ſib. l. 6. l. 8. C. de rei vindic. lucrum verò nedum in communionem venire poſſit, tamquam ſuſcipiens ad ἀντίδωρα teneatur, ſed ob quaſdam rationes magis videbitur, ad eum pertinere, qui depoſuerit, nam dolo faceret ſuſcipiens, ſi quod ad eum peruenerit, non reddat, l. 1. §. fin. ff. depoſit. deinde, cum gratuitam, & integram, & omni lucro abſtinentem præſtare fidem deberet, pœna, quam lucro dignior habebitur,

arg. l. 38. qui ſine vſuris, de negot. geſt. Alia ratio ex ipſa pecunia deſumi poteſt, nam acceſſiones cedunt rei: cuius dominium apud eum remanet, qui depoſuit, non tranſit in ſuſcipientem, l. 1. §. is quoque, de obl. & act. quod in mutuo non eſt, cum dominium in accipientem non tranſeat, l. 2. §. appellata, de reb. cred. & hanc eſſe rationem crediderunt, ob quam in mutuo aliquid recipere nequeat qui dedit, nam ex re aliena reciperet, quam etiam rationem facere dicunt, vt vna tantùm tam pro depoſito, quàm pro vſuris competat actio. Nempe ſi cum depoſiti egeris, ſortis modò facta ſit condemnatio, non vltra propter vſuras experieris, d. l. 4. C. depoſit. & hanc eamdem eſſe rationem, vt aliquid pro commodato accipere liceat: veluti ſi pecunia ad pompam, vel oſtentationem commodetur, vel vt dicis gratia numerationis loco intercedat, l. 3. § fin. l. 4. ff. commodat. ſed profectò ſpecies potiùs quædam locationis hæc eſt, cum gratuitum ſit commodatum, §. 2 quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. fin. ff. mand. l. 2. ff. locat. Igitur & cum pecuniæ valor auctus fuerit, hac eadem ratione, augumentum deponenti cedet, non ſuſcipienti, finge aureos hodie pluris æſtimari, quàm cum depoſiti ſunt, vel Principe hoc edicente, vel auri caritate ſuccedente, vt ſæpè contingit. Hæc tamen ratio, & aliæ, quas retulimus, quantum pertinet ad lucrum, vt domino cedat, apud Theologos, vt puto, vim non habebunt. Nam Catholicum illorum eſt, lucrum ad furem quoque, & ad eum, qui quauis ratione poſſideat, vel rem receperit, pertinere: domino verò, nec induſtriæ, nec rei ipſius ratione cedere poſſe, non rei, quod vſus pecuniæ vendi nequeat, nec vſui fructus reſpondeat, cum ea natura pecuniæ non ſit, vt fructus proferat, igitur ex vſu pecuniæ nihil debetur, non ratione induſtriæ, cum vtentis ſit, non domini. Ita fructus domino deberi, nulla ratione dici poteſt. Si momentum priorum rationum expendere libet, videbis, etiam ſine lucro reddi,

quod

quod ad ſuſcipientem peruenerit, id nimirum reddi debet, quod ad eum ex cauſa depoſiti peruenerit. Argumentum ex d. l. 38. de negot. geſt. vim haberet, ſi lucrum illa lex adimeret, & non potiùs vſuras maximas, veluti pœnam, exigeret. Nunc igitur dicemus, conſtare potiùs, lucrum illius eſſe, qui pecunia vſus fuerit, denique acceſſionis ratio hìc nulla eſt, non enim patiar, quidquam de acceſſione dici, antequam doceat me quis, acceſſiones exiſtere poſſe, quæram igitur, vndè acceſſiones prouenerint, nempe ſi dixeris, ex pecunia, negabo, non eſt ea natura pecuniæ, vt pecuniam producere poſſit, iam hoc diximus: pecunia ſterilis eſt, ſi velis aliunde exſiſtere (ex induſtria, puto, diceres? nec ſine ratione:) induſtriæ igitur accedant potiùs, ex qua prouenere. Sed ſi lucri partem domino præſtare voluerit, qui pecuniam ſuſceperat, nonne receptum eſt, recipi poſſe? ſanè verum eſt, ſi in contrahendo nulla labes fuit, ſi nulla ſpe lucri pecuniam depoſuit, & cum Theologis adhuc diſtinguendum erit, nam cum ratione eius, quod intereſt, id receptum fuerit, ſi quidem interſit ratione damni, citra culpam recipietur, l. 2. §. portio, ff. de l. Rhod. de iact. ſi ratione lucri, quod domino perijt, ei tantùm recipere licebit, qui negotiationibus lucrum quærere conſueuerit, l. 3. §. vlt. ff. de eo, quod cert. loc. l. 60. ſocium, pro ſoc. Quæ cum his, quæ modò dicebamus, non pugnant, non enim pars lucri hac ratione veluti ex pecunia proueniens aut præſtatur, aut exigitur, ſed vel ex liberalitate, vel ex quadam æquitate, quam id exigere credat qui præſtet, quin etiam ſi erret, dum credit ad hoc ſe iure teneri, dum non erret in facto, pecuniæ dominus rectè recipiet, & retinebit, hanc enim vim habere dicunt antidotalem obligationem, vt iuſtam pariat retentionem, argumento deſumpto ex l. 49. ſi teſtamento, §. 1. de fideiuſſor. Si verò cum deponeret, ſpem hanc concepit dominus de eo, qui pecuniam ſuſcipiebat, conſenſum, & contractum

viola-

violauit, nec aliquid tutò recipiet: eſt enim contra depoſiti naturam, in quo tamen ſæpè peccare homines dum compendia captant, & lucellis inhiant, pecunia, quam otioſam in arca retinerent, pœnes alios depoſita, compertum habeo. Nec ignoro, quot diſtinctionibus hæc res agitetur, quod dicant, aliquando depoſitæ pecuniæ augumentum ad ſuſcipientem pertinere, ſi nempe dominium pecuniæ nactus fuerit: plurimum item intereſſe, pecunia in ſpecie, an numerata ſuſcepta fuerit: & an ſit data facultas, vt qui ſuſcepit, vti poſſet: & quando facultas data intelligatur, puta ſi non obſignata pecunia data ſit: & alia complura, quæ ego prudens omiſi, nam aut contractum in aliam ſpeciem tranſire conſtat, aut ſimplicitas iuris confunditur, & perturbatur. De his egi, cum de mutuo dicere cœpiſſem: quod vt facilè, & propriè vſuras admittit, ita diligenter cauendum ne admittat. De vſuris adhuc addam pauca: & in primis, cum ad iudicium ventum fuerit, an lite conteſtata debeantur. Vulgò receptum eſt deberi, l. 35. lite, de vſur. Sed caput illud hoc non probat. Duareni ſententia vera videtur, qui ait, Paullum velle, curſum vſurarum, lite conteſtata, non interrumpi, finem enim afferre ſolet litis conteſtatio, l. 9. de verb. obl. Quam explicationem poſteriores pluribus in locis vſurpant: ſed aliorum eſt. Igitur in iudicijs ſtrictis ne quidem poſt litem conteſtatam vſuræ debentur, huic definitioni non obſtat, quod fructus, accepto iudicio, etiam in iudicijs ſtrictis debeantur ex æquitate, l. 2. l. 38. §. ſi actionem, de vſur. vſuræ autem fructuum vicem obtineant, l. 34. eod. Nam inter fructus, & vſuras, complures ſunt differentiæ: quarum illa mihi potiſſima videtur, quod fructus, naturales ſint rei acceſſiones, non ſint vſuræ. Ideo in bonæ fidei iudicijs vſuræ veniunt ex mora, fructus ante moram quoque, d. l. 38. §. in cæteris. Ait Paullus: *in cæteris quoque bonæ fidei iudicijs fructus omnimodò præſtantur*, dicit, *omnimodò*, idcit, nulla moræ

habita ratione. Diximus, quid de vſuris ſtatuendum ſit tam ante iudicium, quam accepto iudicio. Videamus, quid dicendum ſit, finito iudicio. Olim quidem in XII. tab. tempus iudicati faciendi vnius menſis ſpatio continebatur. Nam *confeſſi aris, ac debiti iudicatis*, ſcribit Gellius lib. 20. c. 1. *triginta dies ſunt dati conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent: eoſque dies X. Viri iuſtos appellauerunt*. Poſtea verò illud temporis ſpatium ad duos menſes productum fuit, l. 2. C. Theodoſ. de vſur. rei iudic. quo loco, vt apud Gellium, *iudicatus* dicitur condemnatus; Græcis ὁ καταδικασθείς. Demum quattuor menſium iudicati faciendi tempus eſſe voluit Iuſtin. l. 2. C. de vſur. rei iudic. Hoc tempus à iudice puto concedendum eſſe, currit autem à die condemnationis, vel confirmationis, ſi appellatum fuerit, d. l. 2. l. 31. de re iudic. Neque tamen ſemper obſeruandum eſt, quod enim ſi alimenta, & alia huiuſmodi ſtatuantur? l. 2. ff. eod. quam antiquatam à Iuſtiniano fuiſſe opinatur Accurſ. contra Bartolus: cuius ego ſententiam veriorem puto. Sed ſi debitor ex Aporis fuerit, idem ne tempus impetrabit? non eſt abſurda dubitatio: nam lex debitores non diſtinguit, nec miſero, & egenti legitimum auxilium adimendum videtur, cur etiam in necem illius acerbius iudex tempus arctabit, quod benigne produxere leges? principio, vt diximus, menſtruum fuit: deinde ad duplum auctum: nouiſſimè quadrimenſtre ſtatutum. Patricius dicebat, id nec creditori, nec debitori vtile futurum, vt à Græcis relatum eſt, cum enim diues fuerit debitor, ideo quadrimenſtres induciæ conceduntur, ne creditoris importunitate oppreſſus, repentè bona vtcumque diſtrahere cogatur, & maximam iacturam patiatur, ſed per otium potiùs pecuniam conquirere, & ſibi conſulere queat. Aporus verò quid interim perficere poſſit, niſi vt fortè abſumat inſuper, & perdat, quæ reliqua ſint bona, non ſine extrema, & nouiſſima ipſius, & creditoris perni-

cie? Itaque modicum temporis interuallum ei potius Græcus ille I. C. concedendum eſſe credit, & ſanè legis ratio ceſſare videtur. Vide quæ ſcripta ſunt apud Harmenopul. Epit. lib. 1. tit. 4. §. 86. & lib. 3. tit 5. §. 94. Verùm, vt ego arbitrio, & religioni iudicantis pænè hoc totum permiſſum eſſe crediderim, ita & huic quadrimenſtres inducias concedi poſſe cenſuerim, ſi modò aliqua ratione creditori conſuli, & proſpici poſſit, puta cautionibus datis, vel ſi ſequeſter interueniat. Prę terea, quamuis induciç quadrimenſtres præſcriptæ fuerint, aliquando tamen & amplius ſpatium ex cauſa concedere licebit, poſt quod pignora capiuntur, nec ante duos menſes diſtrahuntur, d. l. 2. d. l. 31. de re iudic. quod ſi ex compacto, ſiue ambitione diuerſæ partis, emptor non inueniatur, in poſſeſſionem mittitur creditor, l. 3. C. de exſec. rei iudic. ἐκ περιδρομῆς dixere quidam ex Græcis, vt Theodor. & Harmenop. lib. 1. Procher. tit. 4. §. 38. ideſt, *ex circum curſatione* debitoris, ſed alij ambitionem pro gratia, & amicorum copia potius accipiunt. Poſt legitimum illud idem ſpatium vſuras centeſimas currere, Iuſtiniano placuit: non tamen duplices, vt olim. Sed current ne ſtatim, an interpellandus debitor erit? hoc verius eſt. Et licet debitor conuentionem, vel admonitionem expectare non debeat, ſed vltrò ſeſe offerre & debitum ſpontanea voluntate perſoluere, l. 2. C. de iuri emphytheot. l. 12. magnam, C. de contr. & committ. ſtip. l. 9. pecuniæ, §. vſurarum, ff. de vſur. attamen huiuſmodi vſuræ ex mora præſtandæ ſunt. Iuſtin. in d. l. 2. C. de vſur. rei iudic. eas deberi dicit, ſi iudicati *ſolutionem vltra quatuor menſes diſtulerint*. Id etiam intelligimus ex his, quæ olim in C. Th. diſertis verbis præſcripta fuere: *ſed tamen creditor ternis interiectis menſibus, poſt ſententiam conteſtari moram debebit adhibita tarditatis*. Nec eſt mora, vbi non eſt petitio, l. 127. ſi pupillus, de verb. obl. l. 88. de reg. iur. l. 40. lecta, §. ſed cum ſortis, de reb. cred. Sed quæri ſo-

Digitized by Google

let, an vſuræ quoque vſurarum præſtandæ ſint: non dico ex condemnatione, ſed ſi & taxatio iudicis acceſſerit. finge enim, iudicem taxatam etiam vſurarum quantitatem ſolui iuſſiſſe, quo caſu omnia in ſortem redacta videntur: quaſi dici poſſit, breui manu debitorem creditori præſtitiſſe, ac rurſus a creditore ad debitorem perueniſſe, hanc vim taxationis eſſe comminiſcuntur, quæ ſanè impoſtura eſt, hoc pacto iudex fœnoris auctor, vel interuentor fuerit, cuius miniſterio pudenda machinatione anatociſmus introducatur. Olim & vſuræ vſurarum a die moræ præſtabantur: non tamen ſine diſtinctione, ſi vſuræ ſortem æquaſſent vt in Codice Theod. ſcriptum fuerat. Iuſtinian. anatociſmum, quantum potuit, interdixit, l. vlt. C. de uſur. ſed & de huiuſmodi impoſturis prætextu rei iudicatæ ſollicitus fuit in l. ult. C. de de vſur. rei iudic. nouo interdicto anatociſmum in vniuerſum improbauit: *nullum caſum relinquimus*, inquit, *ex quo huiuſmodi machinatio poſſit induci*. Quod ſi verum eſt, vſuras ſemper vſuras manere, quomodo dici poſſit breui manu in ſortem conuerti, ego non video, nec ad rem facit, quod vſuræ in ſortem conuertantur, cum tutor pupillares vſuras exigit, aut curator a tutoribus accipit, l. 7. §. 12. l. 58. §. 1. & §. 4. de adminiſtr. & peric. tut. Nam quod vſuræ in ſortem conuerti poſſint, ſi poſt exactionem non eidem debitori, ſed alteri creditæ fuerint, non eſt negandum. Anatociſmum dicimus cum vſura ſorti coniungitur, vt nouas ſubinde pariat vſuras. Verſura ab anatociſmo ſeparatur, nam pecunia ſub vſuris ſumpta per verſuram dicitur, cum ea pecunia vſuræ alijs debitæ ſoluuntur, & ita pariter per verſuram vſuræ vſurarum, ſed non eidem creditori præſtantur. Nam vſurarum vni ſolutarum vſuræ penduntur alteri, contra verſuram olim lex Gabinia lata fuit.

Ad titul. de dol. mal. Calumniatores. Præuaricatores. *Cap. XXI.*

VT non ſimplex aliquid doli vox ſignificat, ita nec ſimplex illius tradita eſt originatio. Iſidor. origin. lib. 5. c. 26. ita deducit. *Dolus eſt mentis calliditas, ab eo, quod deludat, aliud enim agit, & aliud ſimulat. Petronius aliter exiſtimat, dicens; Quid eſt, iudices, dolus? nimirum vbi aliquid factum eſt, quod legi dolet. Habetis dolum, accipite nunc malum. Calumnia eſt iurgium alienæ litis a caluendo, ideſt decipiendo dicta*, ſic mſ. vulgò *iudicis dolus*, ſed videtur id relatum ex aliqua Petronij declamatione: iudices nimirum appellat dolum a dolendo ductum eſſe, ex eo quoque perſuaderi poteſt, quod dolus pro dolore dicitur id voluiſſe videtur Auguſtin. in Ioan. 5. ad ea verba de Nathanaële: *Hic eſt verus Iſraelita, in quo non eſt dolus*, ait: *dolus non dolor eſt: dolus a duplicitate cordis dictus eſt*. ita vero poſſumus a duplicitate deducere, vt primò dicatur *duolus*, ſicut antiqui & alia huiuſmodi dicebant, vt *duonum*, mox *bonum*. Gloſſ. *duonus*, ἀγαθός. Rurſus *duolo*, δυσίν, quod niſi corruptum eſt, reſpondet Auguſtini verbis. Dolum Petronius ad legem retulit: ſi quidem & lex circumſcribi dicitur. Paull. in l. 29. de ll. *Contra legem facit qui id facit, quod lex probibet: in fraudem verò, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circum-venit*, & ſubdit Vlp. in l. 30. eod. *fraus enim legi fit, vbi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit, & quod diſtat* ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, *hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit*, quæ verba referens Michael Comnenus Nouell. 2. circumſcribendi verbum expreſſit: παραγράφει γάρ, φησιν ὁ νομικός, ὁ ποιῶν ὅπερ ὁ νόμος οὐκ ἐκώλυσεν, οὐ μὴν αὐτὸ βούλεται γίνεσθαι. Mox calumniam ad dolum idem Auctor reuocat. Ait enim: *habetis dolum*

dolum, accipite nunc malum, & id, *quoniam veteres dolum etiam bonũ dicebant: & pro ſollertia hoc nomen accipiebant* l. 1. §. 2. de dol. Præterea ſimulatione dolũ cõtineri vult, vt & Seruio placuit, & Pedio, cuius verba refert Vlp. in l. 7. iuriſgentiũ. §. dolo, de pact. refert, nec improbat. *Dolus malus fit calliditate, & fallacia, & vt ait Pedius, dolo malo pactum fit quoties circumſcribendi alterius cauſa aliud agitur, & aliud agi ſimulatur.* Vterque aliquid addidiſſe videtur Aquilianis verbis, quæ Cicero laudat lib. 3. de offic. Noſtri, Labeonis potiùs ſententiam ſequuntur. Quod ſi & vocis originationem, & Iſidori verba ſectemur, titulus de calumniatoribus cum titulo de dolo iungi debuerat, niſi propter πραγματείαν de poſtulando. Sed, & interdictum fraudatorium huc pertinebat, quod tamen expoſitum fuit in fine tractatus de ordinarijs poſſeſſionum iudicijs; vt & dolus ad præſcriptiones refertur in tit. Pandectar. de dol. mal. & met. except. Sanè dolus fraudis ſpecies eſt, licèt quandoque dolus etiam pro fraude dicatur, l. 36. ſi quis, de verb. obl. & calumnia non ſine fraude videtur eſſe. Caius ad ea legum verba, *ſi caluitur, & moretur, & fruſtretur*, indè calumniatoris vocem itidem deducit, l. 32. ſi caluitur, de V. S. *Indè*, inquit, *& calumniatores appellati ſunt, quia per fraudem, & fruſtrationem alios vexarent litibus, inde & cauillatio dicta eſt*, ſed in his legum verbis quædam κατὰ τ̃ αὐτ̃ dicta fuiſſe, ſunt qui ſuſpicentur. Nam *caluitur*, & *fruſtratur*, pro eodem dixere veteres. Nonius in *Caluitur*, ita ſcribit: *Caluitur dictum eſt, fruſtratur: tractum à caluis mimis, quod ſint omnibus fruſtratui.* Paull. Sent. lib. 1. tit. 5. *Calumnioſus eſt, qui ſciens, prudenſque per fraudem negotium alicui comparat*, eadem voce, & falſum, & fraudem dicimus. Marcianus: *Calumniari, eſt falſa crimina intendere: præuaricari, vera crimina abſcondere: tergiuerſari in vniuerſum ab accuaſatione deſiſtere*, l. 1. ad S. C. Turpilian. Balſam. præuaricatores à varietate dici

vult:

vult: καὶ παραβαϊκάτορας λέγομεν τοὺς ποικιλλομένους κατὰ τὴν ἶριν συνηγόρους, καὶ προδιδόντας τοὺς πρόσφυγας. *Et prauaricatores dicimus patronos, qui variantur inſtar Iridis, & clientes produnt.* Sed monent quidam, legendum eſſe κατὰ τὴν ἔριν, ideſt, *in lite*, vtrumque recipi poteſt, illud certè ad varietatem deſignandam aptius eſt, & lis ſatis ex patroni, clientiſque voce intelligitur. Licèt autem Vlpian. in l. 212. de V. S. præuaricatores à varicando dici voluerit, qui ex parte actoris in partem rei concedant, attamen Labeo à varia certatione tractum maluit, vt refert idem Vlpian. in l. 1. de præuaric. Quod Balſamon etiam ſequitur: ſed ex verbo βαρίω dempto ρ, facit βαΐω, qua ratione, & *baio*, ab Italis, vt puto, dicitur. Critici: *Prauaricatio*, ἡ ἀπόστασις, παράβασις. Poſt calumniam igitur meritò falſitatis, meminit Iſidorus: *falſitas appellata à fando: aliud, quàm videtur, eſt.* id nomen etiam cauillationis perſuaſit, *quam Græci* σωρίτην *appellant: cuius natura ea eſt vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ euidenter falſa ſunt, perducatur*, l. 65 de reg. iur. l. 177. de V. S. qua de re M. Tull. in Academic. Quæſt. & Sextus Hypotypoſ. lib. 2. Sed qui ſciat σίλλον græcam eſſe vocem, originationes iſtas Stoica fortè deliramenta crediderit, & ſermones.

De Antinomia inter l. 61. Minicius, de rei vindicat. & l. 26. ſed ſi meis, de acq. rer. domin. Explicata l. 1. §. 6. C. de vet. iur. enucl. Adnotata quædam obiter in Apuleio.

Cap. XXII.

NOn credunt omnes, compoſitum eſſe diſcidium inter Paullum in l. 26 de acquir. rer. domin. & Minicium in l. 61. de rei vindicat. Paulli verba ſunt: *Sed ſi*

Digitized by Google

meis tabulis nauem feciſti, tuam nauem eſſe, quia cupreſſus non maneret, ſicuti nec lana, veſtimento facto: ſed cupreſſeum, aut laneum corpus fieret. Vult Paullus, materiam non manere, ſi nec cupreſſus, nec lana manſerit: & hæc rurſus non manere, ſi veſtimentum, aut nauis fiat, cur ita? quia iam corpus eſt, aut cupreſſeum, aut laneum, ita nec apud noſtros materia dicitur, quod in corpus coaluit, ita quandoque nec materia manet, nec ſpecies: quandoque verò materia manet, mutata dumtaxat ſpecie: vt cum ex ære ſtatua, vel ex argento ſcyphus fit, l. 24. in omnibus, eod. Eſt quidem & ærea ſtatua, & ſcyphus argenteus: ſed non eodem modo, quo veſtimentum laneum, aut nauis cupreſſea, in ærea ſtatua manet æs, nimirum in ſtatuæ ſpeciem efformatum. Nazianzen. Sophronio Principi. *Aurum quidem ſubinde diuerſimodè refingitur, & informatur, dum multas ornamentorum ſpecies ſubit, & prout vſus tulerit, variè ab arte traducitur: manet tamen quod eſt, aurum: nec materia, ſed ſpecies mutationi redditur obnoxia.* Plato quoque in Timæo dicit, quod ſi quis varias figuras ex vna eademque auri materia ſubinde reformet, puta trigonum, & alia ſchemata, vt Philoſophi dicerent, aut ſcyphum, lancem, vel quid aliud ſimile, vt I. Conſulti loquuntur; quæratur verò, quidnam quæpiam ex illis formis ſit, tutius fuerit εἰπεῖν ὅτι χρυσός· τὸ δὲ τρίγωνον, ὅσα τε ἄλλα σχήματα ἐνεγίγνετο, μηδέποτε λέγειν ταῦτα ὡς ὄντα: *reſpondere quod aurum ſit: trigonum verò, aut quæcumque alia refictа fuerint, nullatenus reſpondendum eſſe, veluti ea verè ſint.* Idemque de materia dicendũ eſſe affirmat, quod a ſua potentia non recedat: ἐκ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως, vt ipſe ait. Sed nos eadẽ pænè cum I.C. dicere poſſumus. Nam quæ talis ſunt naturæ, vt ſæpius in ſua redigi poſſint initia ea materiæ potẽtia victa, numquã vires eius effugiunt, ideo argenti appellatione, factum etiã comprehenditur, marmoris verò nomine nihil præter rudem materiam demonſtratur,

tur,

Digitized by Google

tur,, l.78. quæſitum, §.illud, de legat. 3 Hoc pacto potentiæ nomen vſurpat Paullus, quod etiam de forma dixeris, cuius in quibuſdam tanta eſt vis, vt materiam vincat. Vincit verò, naue facta: cum iam cupreſſum, aut tabulas cupreſſeas vix intelligimus, quidni? materia, quæ numquam ἁπλῶς interit, hìc quodammodo φθείρεται. Philoſophi, potentiam ad materiam alia ratione referre ſolent, diuidentes id, quod eſt, κατὰ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν ἐνέργειαν, quod non ſolum Peripatetici, ſed etiam Platonici viderunt, ſed quoniam hæc ad Prætoris Edictum non pertinent, verba quædam Apuleij obiter modo proponam, quod in vulgatis editionibus malè videantur expreſſa, de Dogm. Plat. *Ideo autem non putat corpus, quod omne corpus ſpecie qualicumque non careat. Sine corpore verò eſſe non poteſt dicere, quia nihil incorporale corpus exhibeat: ſed vi, & ratione ſibi eam videri corpoream. Atque ideo nec actu ſolo, neque tamen ſola opinione cogitationis intelligi. Namque corporea, propter inſignem euidentiam ſui ſimili iudicio cognoſci. Sed quæ ſubſtantiam non habent corpoream, cogitationibus ea videri, vndè adultera opinione, ambiguam materiæ huius intelligi qualitatem.* Diſtinguo, *ſed vi, & ratione ſibi eam videri corpoream, atque ideo* (vel potiùs, *atque adeo*) *nec actu ſolo. Neque tamen*, &c. ſequentia quoque ita ſcripta ſunt in m.ſ. *ſed quæ ſubſtantiam non habent, corporum ea cogitationibus videri.* δόξῃ μετ' αἰσθήσεως περιληπτόν. Sententia Timæi, quam & apud Alcinorum cap. IIX. & apud alios Platonicos legimus, ſed nimis multa ad hanc rem a Philoſophis petenda eſſent. Vt etiam veterum Philoſophorum quidam materiæ, quidam verò formæ primas tribuebant, vt ſcribit Ariſt. lib. 2. περὶ φυσικῆς ἀκρ. ita inter I. Conſultos controuerſum fuit, materia ne, an ſpecies potiſſimum ad acquirendum dominium valeret. Sabiniani, ſiue Caſſiani materiam præferebant, quæ & ſubſtantia, ſeu οὐσία dicitur, l. 9. §. vlt. de contr. empt. quo

nomine Stoici quoque eam appellabant, idque naturali ratione Sabiniani probari dicebant, quod ſine materia nulla ſpecies effici poſſit. Proculiani contra ſpeciem propugnabant, quod dicerent, ad eum, qui ſpeciem ſuo nomine fecerit, dominium illius pertinere, quia quod factum eſſet, antea nullius fuerat, fuit & media ſententia, quam refert Caius in l.7.§. cum quis, de acquir. rer. domin. & Iuſtinianus comprobat, §.cum ex aliena, de rer. diuiſ. Et ſunt, qui credant, hanc diuerſitatem adhuc in Pandectis exſtare, quod nempe Paullus in d. l. ſed ſi meis, Proculianorum ſententiam expreſſerit, Minicius verò, & Iulianus inter Sabinianos fuerint, an Antinomiam, & nodum ſine illa machina tollere poſſimus, tentandum eſt. Sed priùs alterius I.Conſulti verba proponamus: *Minicius interrogatus, ſi quis nauem ſuam aliena materia refeciſſet, num nihilominus eiuſdem nauis maneret, reſpondit, manere. ſed ſi in ædificanda ea idem feciſſet, non poſſe. Iulianus notat: nam proprietas totius nauis carinæ cauſam ſequitur.* Quidam *notare* Iulianum, ideſt Minicium ab eo repræhendi crediderunt, eadem ſanè ſignificatione alibi *notatum* accepimus in Pandectis, l.16.Iulianus, de Iudic. l. 13. Titia, de inoffic. teſt. l. 48. tali, §. fin. de iur. dot. l. 36. ſi pater, de ſolut. *Notare* dicimus & eum, qui aliquid diſtinctius proferat, aptius ediſſerat, potiori ratione explicet, addat, determinet, l. 6. §. vlt. comm. diuid. l. 104. ab omnibus, §. 1. de legat. 1. Hinc intelliges, quod ſcribit Tribonianus de his, quæ in Notis Papiniani ex Vlpiano, Paullo, & Marciano adſcripta fuerant, & antea nullam vim obtinebant, propter honorem ſplendidiſſimi Papiniani l. 1. §. ſed neque C. de vet. iur. enucl. Nam ſi hæc ad Papinianum pertinebant, quomodo dicitur, ob illius honorem antea non obtinuiſſe? nimirum quia ex aliorum I. Conſultorum doctrina, Papiniani quædam hac ratione notata fuerant, vel tamquam falſa, vel tamquam minus diſtinctè prolata. Igitur

Digitized by Google

tur addit Tribonian. recipiendum eſſe, ſi quid vel contra Papinianum ab alijs notatum fuerit, ad illius ſummi ingenij repletionem, repleri nimirùm debuit, quod ab eo vel obſcuriùs ſcriptum, vt deſideraret interpretationem, vel imperfectiùs deciſum, vt exigeret abſolutionem. Olim verò nimis religiosè Papiniani doctrinam admirabantur, cum nefas eſſe crederent ab illius ſententia recedere. Ideoque notas Paulli, atque Vlpiani in Papiniani corpus ſcriptas antiquauerant, quæ omnia meliùs intelligi poſſunt ex l. 1. C. Theodoſ. de Reſp. Prudent. Ex quibus diſcimus, *notam* non indiſtinctè repræhenſionem, & emendationem, ſed repletionem etiam ſignificare. Vtique, ſi *notari*, ideſt repræhendi Minicij ſententiam a Iuliano dixerimus, ratio minus apta videbitur. Nam non minus ambiguum eſt, an carina ſola, quam an tota nauis ædificantis fiat, dicere autem, carinam non partem, ſed nauis ſpeciem ſignificare nimis magna petitio videtur. Videamus igitur, an hoc pacto dici poſſit. Cum quis nauem ſuam aliena materia reficit, & recudit, carinam ſaltem habet: intantum enim nauis refici dicetur. igitur nauis manet reficientis, licèt aliena materia vtatur. Sequitur id ex Iuliani ratione: *nam proprietas totius nauis, carina cauſam ſequitur*, cum verò quis nauem non reficit, ſed ædificat, nauem ædificantis manere, dici non poteſt: nullam quippe nauem habuit, quæ ipſius manere poſſit. An igitur eiuſdem fiat quæ ab eodem ædificata fuerit? & puto diſtinguendum eſſe: nam ſi aliena materia vſus eſt, ea vel rudis, & informis erat, vel formam habebat, quo poſtremo caſu rurſus diſtinguemus, aut formam nauis fuiſſe, vel quam aliam ſpeciem. Igitur & cum rudis materia, & cum diuerſa forma induta, licèt aliena fuerit, opus, quod diuerſum eſt, nec id manet, quod erat ante, conditoris eſt, primum Paullus tractat. Quod ſi materia nauis ſpeciem prætulerit, ſed nauis, puta, confractæ, carioſæ, aut vetuſtate corrup-

ſtæ, ex qua rurſus nauem quis ædificet, manente carina, nauis non ædificantis, ſed illius erit, cuius carina fuerit. hoc eſt quod Minicius reliquis verbis vult. Idemque rurſus ex Iuliani ratione ſequitur: *nam proprietas totius nauis carinæ cauſam ſequitur*, ſed videndum eſt, ne tamquam ex tripode reſpondentes, diuini dicamur. Nam quæret aliquis, quis renunciauerit nobis, apud Minicium nauem ex naui factam fuiſſe? Dico, Minicium dicere, verba nimirum illa, *idem feciſſet*, ſic accipiemus, vt qui nauem ædificet, idem feciſſe dicatur, ſi ex naui materia ſumpta fuerit, ita fit idem, quod prius erat, ſed eo caſu, cum partes nauis plures ſint, puta prora, puppis, malum, carina: illud inprimis requiritur, vt carina ab ædificante ſumatur, huic cætera cedunt, vt ædificio impoſita, hoc Iulianus vult: & ex ipſo Minicio ſumpſit, l. 59. habitator, eod. Quæ ſi admitti poſſent, qui notari, ideſt vellicari Minicium a Iuliano crediderunt; ipſi nota digni eſſent.

Honeſtum, licitum, rectè dici, fieri non poſſe quod factum contra bonos mores ſit.

ἀδιατρεψίᾳ ἀδιάφορα, μέσα.

Cap. XXIII.

HOneſtum ab eo, quod licet, diſtingui ſolet: & ita dicimus, ſemper in coniunctionibus non ſolùm quid liceat conſiderandum eſſe, ſed & quid honeſtum ſit, l. 197. de reg. iur. l. 42. de rit. nupt. *Omnia licent, ſed non expediunt: omnia licent, ſed non ædificant*, ait Ambroſ. ad Paternum eſt illud Apoſtoli, πάντα μὲν ἔξεστι, ἀλλ᾽ οὐ πάντ᾽ οἰκοδομεῖ. ex Prudentum quidem Reſponſis nouimus, nuptias inter aſcendentes, & deſcendentes prohibitas eſſe: An verò quia lex nulla fortè talis ſcripta fuerat, *Ne pater filiam ſuam accipiat vxorem*, Ideo non dicendum & antea fuerat

eſſe prohibitum? *Minimè*, ait Ambroſ. *interdictum eſt enim natura iure, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum*, *interdictum eſt inuiolabili deſcriptione pietatis titulo neceſſitudinis*. Complura obſeruata ſunt ab alijs ad l. 144. de reg. iur. Illud in primis tenendum eſt, omne quod honeſtum ſit, licere, non contra, ideoque notata eſt impudica vox Iuliæ, vt ſcribit Spartianus, & Victor. Nam cum Caracallus nudatam illius corporis partem conſpexiſſet, dixit: *vellem ſi liceret*, cui Nouerca reſpondit, *Si libet, licet: An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Nam, licet legibus ſoluti ſint Principes, legibus tamen viuunt, quæ Seueri patris, eiuſdemque Principis præclara vox fuit. §. fin. quib. mod. teſt. infirm. ſoluti ſunt, quia ſi peccent, non puniuntur: ſoluti dicuntur, quia ſoluti videntur, l. 23. ex imperfecto, de legat. 3. inuerecundum eſt, leges non ſeruare Principem, quarum vindex dicatur, & cuſtos. Digna vox maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri, l. 4. C. de ll. Quin potius rectè dicimus, illud fieri non poſſe, quod factum contra pietatem eſt, aut fieri nefas eſt, quam loquendi rationem comprobat Papinianus in l. 15. filius. de condit. inſt. *Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & vt generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*. Sunt etiam quæ facere poſſumus, dicere non poſſumus, ideſt, ſine rubore vix poſſumus: vt contra, quædam turpiſſima factu, honeſta prolatu, pro conſuetudine, vt Stoici diſſerunt. Hieron. in. Eſaiam lib. 13. add. ex M. Tull. lib. 1. de Offic. Diſputant Stoici, multa re turpia, praua hominum conſuetudine, verbis honeſta eſſe, vt parricidium, adulterium homicidium, inceſtum, & cætera his ſimilia. Rurſuſque re honeſta, nominibus videri turpia: vt liberos procreare, inflationem ventris crepitu digerere, aluum releuare ſtercore, vexicam vrinæ effuſione laxare: denique non poſſe

nos

nos vt dicimus a ruta rutulam, ſic ὑποχοριστικὸν a menta facere, pia ἀποσιώπησις tacuit vir ſanctiſſimus quid ab ea voce ὑποχοριστικῶς fieret. Hæc igitur dici non poſſe, dicere ſolemus, quod dictu, relatuque turpia ſint, aut turpia videantur, quæ tamen Stoicos, aut Stoicorum Principes liberius vſurpaſſe, vel dicterium illud confirmat de Zenonis Republica ὅτι τῆς τῆ κυνὸς οὐρᾶς αὐτὴν γεγραφέναι: *in cauda canis eam ſcripſiſſe*, notabant nimirum illius ἀδιατρεψίαν, ſiue vt Sueton. reddit Calig. 29. & Paullus in l. 23. de legat. 3. *in verecundiam*. Sunt verò & verba complura, quæ μέσα, & ἀδιάφορα dicuntur a Græcis, quæ nimirum in medio ſunt, vt Gellius loquitur lib. 2. c. 7. Similia quædam apud I. Conſultos obſeruare licet: vt in l. 1. §. perſuadere, de ſeru. corrupt. *ſed perſuadere* τῶν μέσων ἐστὶν. *Nam & bonum conſilium quis dando poteſt ſuadere, & malum*. Habuerunt & Stoici & ἀδιάφορα, & μέσα, vt notum eſt, ſed id non cogit, vt imitatione Stoicorum a I. Conſultis vſurpari μέσα dicamus, licèt cætera ſæpe ad eam hæreſin accedere videantur, vt ab alijs obſeruatum fuit.

De Aleatoribus, Suſceptoribus, Alea vetita, & Quinctana. Cap. XXIV.

Aleæ nomen ab Alea milite, & a temporibus Troiani belli repetit Iſidorus Origin. lib. 18. c. 60. Cuius rei quem auctorem habuerit, non laboro. Alij certè variant. Euſtathius, Suidas, Caſſiodorus, ad Palamedem referunt; & Suidas Philoſophiæ plurimum huic inuento ineſſe ait: quaſi cæli altitudinem pyrgus, Zodiacum, Planetas, Aſtra, Terrenumque Mundum alia referant. Horum item quædam aleones noſtri folijs ſuis numero multis recens appinxere. τάβλα, inquit Suid. ὄνομα παιδιᾶς. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τοῦ ἑλληνικοῦ στρατεύματος φιλοσοφίας πολλῆς.

πολλῇ. Phyſiologicè hanc artem exerceri dixit Iſidor. c. 64. Donatus in Eunuchum refert, Pyrrhum Regem ſtratagematum peritiſſimum, primum oſtendiſſe, qua ratione ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, & Athæneus lib. 1. Procorum ludum deſcribit, in quo calculum medium ponebant, quem Penelopen appellabant, pro numero Procorum, centum octo calculis ludus conſtabat, vt hinc inde quatuor, & quinquaginta, tamquam acies inſtrueretur. Sed nos Edictum Prætoris tractamus. Hoc enim magis exploratum eſt, nomen iſtud non modò tabularum vſum, vt Iſidorus dicere videtur, ſed omnem alium, qui ab euentu fortuito pendeat, ſignificare, itaque quod noſtri I. Conſulti dicunt, *auerſione vendere, aut locare*, l. 36. opus, locat. l. vlt. de l. Rhod. de iact. l. 1. §. exercitorem, de exercitor. act. l. 4. §. 1. de peric. & comm. rei vend. Græci modò reddunt ἐν ὁμάδι, ſeu ἐφ᾽ ὁμάδα, modò ἐν κόττῳ, ſeu κόττῳ, in ancipiti enim eſt, quis meliùs ſibi conſulat, cum non ſingula putantur, ſed rerum vniuerſitas venit, aut locatur. Alea etiam emi dicitur, cum emitur ſpes, veluti captus, & hæreditatis, l. 8. de contr. empt. l. XI. de hæred. vel act. vend. Bene ratum eſt quod Iſidor. ſcribit c. 68. *Ab hac arte*, inquit *fraus, & mendacium, atque periurium numquam abeſt, poſtremo & odium & damna rerum, vndè & aliquando propter hac ſcelera interdicta legibus fuit*, quod & Iuſtin. ſcribit in l. vlt. C. de aleat. Sed & antea Senatus vetuit in pecuniã ludere, niſi virtutis cauſa fiat, l. 2. D. de aleat. Antiquum crimen, & interdictum: quod tamen Magiſtris, & aſſertoribus non caruit. Ouid.

Sunt etiam ſcripta quibus alea luditur, artes:
Hoc eſt ad veſtros non leue crimen auos.

Horat. carmin. lib. 3. *Seu mauis vetita legibus alea*. Qui ludebant, *aleatores*, & *aleones* dicti. Tertullian. de fuga in perſecut. c. 13. *Maſſaliter tota Eccleſia tributum ſibi irrogauerunt: Neſcio dolendum, an erubeſcendum ſit, cum in*

Matri

Matricibus Beneficiariorum, & Curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. Gloſs. vett. *κυβευτής, aleator, alea*. Similique forma dicti *calculones*. Auguſtin. de ord. lib. 2. c. 12. *Ergo vtilitas numerandi magna neceſſitate animaduerſa eſt, quibus duabus repertis, nata illa Librariorum, & Calculonum profeſſio, velut quædam Grammaticæ infantia, quam Varro Litterationem vocat*. Cum igitur vetita ſit alea, nulla erit actio, qua victores experiantur, adeoque Scæuola reſpondit, periculi pretium eſſe, ſi modò in aleæ ſpeciem non cadat, l. 5. de naut. fœn. Quin contra victorem repetitio datur tam ſoluenti, quam heredibus, quæ competit patri, vel domino, ſi ſeruus, aut filius-familias victus fuerit: & contra, pro modo tamen peculij l. fin. de aleat. l. 1. C. eod. Quo loco morem etiam obſeruo ponendi legumina, aut aliam quam materiam pecuniæ loco, vt poſtea pecunia ſoluatur. Repetitio in perpetuò datur, adeo vt non detur præſcriptio niſi 50. annor. l. 3. C. eod. Cum igitur non ſolùm actio victori denegetur, ſed & repetitio detur, dubitabitur, an ex ludo quæſita, reſtitutioni ſint obnoxia, quod non in iudicio humano quærendum eſt, in quo fruſtra id deſiderabit, qui poteſt experiri, & non experitur: ſed in iudicio Diuino. Reſtitutio exigi videtur etiam ante condemnationem, argumento vſurarum, c. 6. extra de iureiur. Præterea id ipſum ſuadet Iuſtinianus, cum dicat, *ſed ſolutum reddatur*, l. 3. C. de aleat. Hæſitatum eſt ſanè in eo a compluribus, ſed receptior eſt ſententia, quæ negat; nam reſtitutio nec naturali, nec ciuili nititur iure, non naturali, quod naturali iure dominium pecuniæ in victorem tranſierit, quid ni? ita lex inter colluſores concepta fuit, ita de re ſua victo diſponere placuit. Non ciuili, quod Iuſtinianus verba illa ſtatim explicet, dum ait, *ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur*. Hoc igitur lex præſcribit.

Quod

Quod de vſuris dicitur: longè diuerſum eſt; nam vſuras nec naturæ ius fouet. Mos item illorum legibus notatur, qui victi victores retinent, nec a ludo ſurgere patiuntur, quod Italicum vulgus appellat, *piantare*. Græci βασιλικῶν lib.60. ἀνακόψαι, quaſi ludum inhibere, & pauſam facere ſeu modum ponere. Alia complura contra aleam, aleones, aliaque ad hæc pertinentia, ſancita fuere. Nam ſi quis in alea rem ſuam vendiderit, euicta re, fruſtra conuenitur, l.2.D.quar.rer. act.non dat.Suſceptoribus præterea, & aleam præbentibus maximè infenſus eſt Prætor: adeo vt ſi verberati fuerint, aut aliquid eo tempore, quo aleam præbuerint, illis ſubtractum ſit, nullam habeant actionem, l. 1. eod. Dicitur autem ſuſceptor, vel qui domum ludentibus præbeat, ταβλαδόχος, quaſi tabulam præbens. Nam licèt, vt diximus, aleæ nomen generale ſit, obtinuit tamen vt per illud alueolus, & tabula præcipuè ſignificetur iuxta Iſidori ſententiam: & Iſidoro conſentit Concil.Elibertin. can. 79. *Si quis fidelis alea, ideſt tabula luſerit*. In Conſtitutione quadam, quæ exſtat apud Iuon. par.5. *Neque Epiſcopus, neque Profeſſor, neque Diaconus, neque ſub Diaconus neque Lector neque alius cuiuſcumque religioſi conſortij, vel habitus conſtitutus, tabolizare audeat vel ſocius ludentium fieri: vel ſpectator, vel in quocumque ſpectaculo ſpectandi cauſa venire. At ſi quis contra hæc fecerit per tres annos a ſacro miniſterio prohibeatur.* Hæc Conſtitutio deſumpta eſt ex Iuſtiniani Nouell. 123.c. 10. quo loco vetus Interpræs *ad tabulas ludere* dixit, quod Iuo *tabolizare*. Eiuſdem capitis meminit & Græcus Scholiaſtes ad can.42.Sanctorum Apoſtolorum: & ad can. 50. Syn. in Trull. *Tablizantes* dixit & Iulianus Epitomator. vide Leonis Nouell.87. & l. vlt. C. de Epiſc. Audient. & tit. 19. lib. 3. Eclog. & c. 15. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric. Quibus locis, Clericis non modo ludi quidem, ſed & eorum adſpectus interdicitur. An autem, & quando

Laicis

Digitized by Google

Laicis liceat vetitis ludis intereſſe, & eos ſpectare, & ſimilia, non eſt huius loci definire. Similes voces habent Itali, & aliæ gentes: dico a tabula ſumptas. Dicitur Alueolus ipſe *Tabula*. Scholiaſt. Iuuenal. in Sat. VII. *Alueolus eſt tabula calculatoria, luſoria*. At quæ Paullus tractat in l. 4. cod. Græci latiùs referunt: quod & Latini Gloſſatores faciunt, dum dicunt, permitti ludum veſcendi cauſa. Nam Paulus de his, quæ in conuiuio ponantur, & de familia loquitur. Igitur extra conuiuium, & familiam id permiſſum eſſe non dicit. Diximus, virtutis cauſa ludum permitti, eadem loquendi ratio, ſed ab alia mente, vt opinor, in antiquo lapide. *L. Firmio. L F. prim pil. Tr. mil. IIII. Vir.* I *D Colonia. deducta. Prim. Pontifici. Legio. IIII. Sorana. honoris. &. virtutis. cauſa*. Theologi Virtutem in ludo aliter accipiunt: ευτραπελίαν nimirum, quam Ariſt. lib. 2. c. 7. & lib. 4. c. 8. Ethicor. ad Nicomach. virtutem eſſe contendit, ad ludum aliquando pertinere dicunt, quamquam Philoſophus de luſu potiùs in ſermone, & auditu ibi loquatur. Eutrapeliam aliter accipit Apoſtol. ad Epheſ. 5. dum profligandam eſſe dicit. Sanè prædurum, & lapideum cor habeat neceſſe eſt, qui ludum aliquem in vita non admittat, quod ſi quiſquam eſt tam rigidus, & ſeuerus, qui mores ludis prorſus corrumpi putet, adeat hic triſtior Ariſtippum in purpura ſaltantem, aut Anacharſidem: & diſcat, ludere quem poſſe, vt ſerio agat. Ludum tunc damnabimus cum requiem ampliùs non imitabitur, cum fortunis, cum honeſtati, & corpori perniciem attulerit, de quo Philoſoph. agit Ethic. 10. c. 6. Virtutem vt Senatus acceperit, ſatis explicatur in d. l. 2. D. de aleator. & adhuc expreſſiùs in d. l. 1. C. eod. ludis quibuſam relatis, vt nempe ludere liceat μονόβολον, κοντομονόβολον, κονταν κόνταχα, ſeu Quinctanam vibrationem, vt hodie quoque dicimus, & alios. Ad Quinctanam vibrationem aliquando trahere conabar, quod Hieronymus in Euſebij Chronico

ſcribit de Caſſio Seuero: *Caſſius Seuerus Orator egregius, qui Quinctianum illud prouerbium luſerat, XXV. exſilij ſui anno ſumma inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Nam ſuſpicabar, ſcripſiſſe Hieronymum, *Quinctianum probolium*, ſed irrito, vt nunc arbitror, conatu.

De iure Aſyli Eccleſiarum. Templa, Eccleſiæ, Baſilicæ, Martyria, Auxilia, Exilium, Memoriæ, Εὐκτήριον, Oratorium, Oraculum, Cathecumeni Audientes, Competentes, Cathecumenium, Κυριακόν, Dominicum. Clamores, & Agapæ Tripudia in Eccleſijs. Βαλλίζειν, Ballemationes Cap. XXV.

AD huius capitis Inſcriptionem auidius fortaſſe quam ad ſuperiora exſilient, & accurrent Pragmatici, ſi eam ad Eccleſiarum, quam dicimus immunitatem, pertinere intellexerint. Nam ea de re frequenter in foro agitur, & exſtant verboſa recentiorum Interpretum iuris Commentaria: quamquam noſtra iam ætate modum his conſtitutum eſſe ſperare licebat, cum luculenta Gregorij XIV. Conſtitutio prodierit. Verùm vt cognouerint, non pro illorum inſtituto rem hanc a nobis explicari, triſtes, vt puto, abiecto libello abibunt, & illud ſollemne pronunciabunt, οὐδὲν πρὸς τἄλφιτα: peſſimam exinde de nobis, noſtriſque impoſterum quoque ſpem concipientes. Sed ea ſors huius libri eſt. Dicturus ego aliquid tumultuaria ſcriptione de iure Aſyli, ab eo exordiar, quod vulgò minus notum eſſe credo. Nam templa non modò apud Ethnicos

Digitized by Google

nicos ab alijs ſacris Aedibus diſtincta, & auguſtiora tantùm delubra ſic appellata, vt obſeruauit præcelſæ dignitatis vir, verùm etiam & primis temporibus naſcentis Eccleſiæ, & poſtea quoque a noſtris tamquam Idolo-latriæ propria, hæc appellatio reiecta. Zeno Veronenſis de continentia: *Proponimus itaque, vt ſæpè contingit, in vnum ſibimet conuenire diuerſæ religionis diem, quo tibi Eccleſia, illi adeunda ſint templa.* Hieronym. aduerſus Vigilantium: *Mortuo cadaueri, atque polluto præbebant excubias, vt poſt multa ſæcula Dormitantius ſomniaret, immo eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Iuliano perſequutore Sanctorum Baſilicas aut deſtrueret, aut in templa conuerteret.* Vopiſcus in Ep. Aureliani: (ita reſcribi velim in Annalibus Eccleſiaſticis, non *Valeriani*, vt eſt cuſum.) *Miror vos, Patres ſancti, tamdiu de aperiendis Sybillinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in templo Deorum omnium, tractaretis.* Ex his intelligemus, cur tit. XI. lib. 1. Codic. ita conceptus ſit: *De Paganis, & Sacrificijs, & Templis*: cur item ſancitum fuerit, omnibus locis, atque vrbibus vniuerſis claudi protinus templa: cur interdictum, redimi fertis templorum impios poſtes, l. 1. l. 7. eod. Cæcilius apud Minutium in Octauio: *cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* totidem pænè verba Celſi de noſtris, apud Origenem lib. IIX. contra Celſum: ἡμᾶς βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα, καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν: *nos aras, & ſimulacra & templa ſtatuere nolle*, quæ ad illa tempora pertinent, quibus clam, & ferme in Cryptis Chriſtiani ad ſacra conueniebant. Maximus Madaurenſis: *Horum buſta, ſi memoratu dignum eſt, reiectis templis, neglectis maiorum ſuorum manibus, ſtulti frequentant, ita vt præſagium vatis illius indignè ferentis emineat,*

Inque Deum templis iurauit Roma per vmbras.

Indignatur Maximus, quod Chriſtiani Martyria, ſeu Martyrum ſepulcra frequentarent. Martyrum ſepulturæ, &

Digitized by Google

Oratoria ab Eccleſijs, & Dominicis diſtincta. ***Martyria*** dicti, l. 13. l. 16. C. de Sacroſ. Eccl. vt etiam ***Auxilia*** pro templis Auxiliaris Deæ apud Apuleium me legiſſe memini: & ***exſilium*** pro exſilij loco apud Tacitum de Octauio Sagitta. Ea vox aliud etiam ſignificat. Hieron. in Euſeb. Chronic. ***Euſtathius Conſtantinopolitanus Præsbyter agnoſcitur, cuius induſtria in Hieroſolymis Martyrium conſtructum eſt.*** Quod non ad Martyres, ſeu ad Martyrum λείψανα, referendum eſt, ſed potius ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ appellatum eſſe dicitur, quaſi monumentum Dominicæ Reſurrectionis, vt Cyrillus Hieroſolymitan. ſcribit Catecheſ. 14. Dicebantur & ***Martyria***, & ***memoria Martyrum***. Auguſtin. de C. D. lib. 22. c. 8. Et verò adhuc deliberandum eſſe cenſeo, an dici poſſit, malè Interprætem Curopalatæ κατὰ τῶν μνημῶν, vel ἐν τῷ μνήμῃ τ. Χρυσοστόμου, vertiſſe, ***ad memoriam***, ſicuti dixere Auctores Notarum in eumdem Codinum, hi ſi quidem τῶν τιμῶν, de die potius, quo memoria agitur, accipi vellent. In Actis Proconſularibus Martyrum ***Memoria*** accipitur pro loco, in quo Acta aſſeruarentur. De Baſilicis, & martyrijs ita ſcribit Iſidor. Origin. lib. 15. c. 4. Baſilicæ priùs vocabantur Regum habitacula, vnde & nomen habent, nam βασιλεὺς, Rex, & Baſilicæ, Regiæ habitationes. Nunc autem ideo Diuina templa Baſilicæ nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur. Martyrium, locus Martyrum græca deriuatione, eo quod in memoriam Martyris ſit conſtructum, vel quod ſepulcra Sanctorum ibi ſint Martyrum. De Cœmeterijs, & Martyrijs Hæreticorum legimus quædam in can. 9. Laodicenæ. In 6. Syn. 4. ſancitum fuit, vt Præsbyter, & Diaconus μὴ ἀπολελυμένως, ἀλλ' ἰδικῶς, ***non abſolute, ſed peculiariter*** ad Ciuitatis Eccleſiam, vel Martyrium, vel Monaſterium ordinetur. Aliam quoque obſeruari huius vocis notationem, vt opinor, non vulgarem, quamquam ab hoc argumento alienam,

pro-

Digitized by Google

proferam ex probiſſimo, & caſtiſſimo Hieronymi ore; qui μαρτύρια, ſeu *teſtimonia* in Aquilæ translatione ad c. 46. Eſaiæ, exponit, *quando ſanguis in primo coitu maritali virginis approbatur*. De Oratorijs rurſus ita ſcribit Iſidorus ibidem: *Oratorium orationi tantùm eſt conſecratum, in quo nemo aliud agere debet, niſi ad quod eſt factum, vnde nomen accepit*, in can. pænult. diſt. 42. ex Benedicto Gratianus retulit fluxit, vt opinor, ab Auguſtini Ep. 109. Diſcriminat hæc Balſamon his verbis: *non parum intereſt inter Eccleſias conſecratas per encœnia reſerationis, & intronisſmum ſanctique Chriſmatis vnctionem, ac depoſitionem ſanctarum Martyrum reliquiarum, & eas, quæ hoc pacto conſecratæ non fuerint, locumque Oratorij obtineant*. Idem Balſamon, cum quæreretur, an ſacrificare liceret, aut baptiſma perficere in naui, vel domo non ſacra, ex can. 59. Trullanæ Synodi, & ex can. 84. Carthaginienſis reſpondit depoſitioni ſubiectum eſſe illum, qui ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ, *in oratoria domo* diuinum baptiſma perficiat, adde Iuſtiniani Nouellam 58. à qua receſſit Leo Nouell. 15. vt mox Balſamon quoque refert, ſcribens: *ſtatuunt quippe in Catholicis Eccleſijs baptiſmata fieri* & ſic Oratoria Canones excludunt. Addit: *Atqui conſtitutum eſt in can. 31. Synodi in Trullo. & in can. 12 Synodi coactæ in Templo Sanctorum Apoſtolorum, Baptiſmata Epiſcopo concedente, in Oratorijs quoque domibus perfici poſſe*. Pergit Balſamon, Leonis item varias Conſtitutiones antea velut excuſans; *definiuit (Leo) in 4. & 15. Nouellarum ſuarum, non ſolum in Eccleſijs, ſed & in Oratorijs, domibus indiſtinctè ſacra, & baptiſmata perfici. Quapropter ſecundum ea, quæ in his continentur, qui cum antimenſio ſacra fecerit, aut baptizauerit in Oratoria domo non conſecrata per encœnia reſerationis, & ſolemnem inthroniſmum, quin & per ſanctarum reliquiarum ſepulturam* (*quæ nempe Catholicarum Eccleſiarum gaza, & decora ſunt*) *ſed in domeſticam fidelium orationem*

nem ſegregata, aut in adicula nauigÿ cuiuſpiam Deo deſtinata, & ſanctis imaginibus decorata, nullum praiudicium patietur tamquam Canonum tranſgreſſor, & contemptor. Sed quantum pertinet ad ἐκκλησιαστικὴν λειτουργίαν, ſeu ἱερατικὴν λειτουργίαν aliud præſcripſere Patres, qui, vt & ipſe Balſamon ſcribit ad d.c. 31. Synodi Trullanæ, veluti παρασυνάγωγον notabant eum, qui in priuata domo ſacra peregiſſet. Hanc definitionem ſequutus eſt Iuſtinian, Nouell. 131. cap. 8. certa pœna conſtituta contra eos, qui in proaſtijs, vel domibus, vel fundis, vel priuatis locis ſacra miniſteria celebrauerint. exſtat can. 3. Concilij Aurelianenſis, can. 33. de conſecr. diſt. 3. & nouiſſimè ſancitum id ipſum Tridenti. Quoad baptiſma verò, ſeruanda eſt Conſtitutio Clementis V. in Concil. Viennenſi. Ex eo Balſamonis Reſponſo deſumptum eſt etiam Scholium ad can. 83. Carthaginienſis, apud Harmenopulum in Epitom. SS. Canon. Τμῆμα ζ, ἐπιγρ. ς. Cautè itaque ſemper legendi ſunt Canoniſtæ Græci, præſertim Balſamon, quem Romani Pontificis, & Eccleſiæ Catholicæ perduellem fuiſſe, ex compluribus locis intelligimus, ſed nos ex his diſcrimina tantùm inter Oratoria, & alias Eccleſias deprompta volumus. Cæterum quæ ſint ἀντιμίνσια, diſces ex Nicolao Cabaſila lib. 5. de vita in Chriſto, quo loco agit de Altaris conſecratione. Non tamen perpetua hæc videntur, cum *Oratorium* pro ipſius templi interiori parte aliquando accipiatur, idque Conſtitutione quadam Theodoſiana ſatis expreſſum eſt, lib. 9. C. Th. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt. Pateant ſummi Dei templa timentibus: nec ſola altaria, & Oratorium templi circumiectum, quod Eccleſias quadripertito intrinſecus parietum ſepto concludit, ad tuitionem Confugientium ſancimus eſſe propoſita; ſed vſque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur; confugiendo, aram ſalutis eſſe præcipimus: vt inter [vel, *iter*] templi, quod parietum

deſcrip-

deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & ianuas primas Eccleſiæ, quidquid fuerit interiacens ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Obſeruo extremas fores, & ianuas primas Eccleſiæ. Nam diuerſa erat Aedium antiqua ſtructura ab hac, quam nunc videmus, & vtinam inſpicere formas liceret antiquiſſimi ritus, quas Tyrannorum furor nobis ademit! proſtratis nimirum omnibus in Orbe Romano Eccleſijs Diocletiani, & Maximiani Edicto, certo loco extra Eccleſiam conſiſtebant pænitentes, alio intra populus, alio rurſus Sacerdotes, & præcipuo Sancta-ſanctorum, ac paſtophoria, ſeu ſecretaria, vt Paullinus appellat Ep. 12. Pænitentium tamen non vnus erat locus, quinque a S. Gregorio Neocæſarienſe in Ep. Can. recenſentur πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις, μέθεξις. Horum πρόσκλαυσις extra fores erat Eccleſiæ: ἀκρόασις intra, in quam & ex Catechumenis illi conueniebant, qui Audientes dicebantur, hi tamen ad ὑπόπτωσιν non admittebantur, quod is locus ad orandum, Catechumenis Competentibus ſtatutus eſſet, ideo fortè Theodoſius dixit, *oratum geſtiens populus*. Ad hæc pertinet can. 58. Baſilij Magni, in quo adultero annorum XV. pænitentia præſcribitur: τέσσαρα μὲν ἔτη, προσκλαίων, πέντε δὲ ἀκροώμενος, τέσσαρα, ὑποπίπτων· καὶ ἐν, συνεστώς, id *quattuor quidem annis plorans: quinque vero, audiens: quattuor, ſuccumbens: & vno ſtans*. Et quidem, ὑπόπτωσιν ſummiſſionem potiùs, aut flexionem, quam quaſi ſupernarum rerum contemplationem dictam aſſererem. Græcus Scholiaſtes in eum Baſil. can. ad verbum προσκλαίων, ita ſcribit: ἤγουν ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενος, καὶ τῶν εἰσιόντων δεόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι, *id eſt ſtans extra Eccleſiam, & introeuntes deprecans, vt orent pro eo*: ἀκροώμενον vero explicat, ἤγουν ἔξω ἱστάμενον ἐν τῷ νάρθηκι: *hoc eſt extra manens in Narthece*. Rurſus ὑποπίπτων ab eodem exponitur, ἤγουν ἔντος τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενος,

ὅτι.

ὄπιθεν τοῦ ἄμβωνος, καὶ ἐξερχομένης μετὰ τῶν κατηχουμένων. *nempe, ſtans intra Eccleſiam poſt ambonem, & cum Catechumenis, exiens*. denique συνεστὼς dicitur, ἤγουν τοῖς πιστοῖς συνευχόμενος, τῶν ἁγιασμάτων μήπω ἀξιούμενος, εἰ μὴ μετὰ τοῦτο. *hoc eſt, cum fidelibus orans, Sacramentis nondum dignatus, niſi poſt hoc*. In can. 25. Cæſarienſis ſtatutum fuit, vt Catechumenus peccans, ſi ſit inter genu-flectentes, auditor fiat: ſi ſit Auditor, expellatur, ad quæ Scholiaſtes ita ſcribit. Duo Catechumenorum Ordines erant, vnus quidem genu-flectentium, perfectior: alter verò Audientium, imperfectior. Dicit igitur, ſi ex ordine genuflectentium ſit, & peccet, inter Audientes referatur, dum peccare deſinat, quod ſi ex Ordine Audientium fuerit, ſubſiſtat extra Eccleſiam. Nam & Audientes extra Eccleſiam conſiſtebant, vſque ad Sancti Euangelij lectionem. Significat, non omnino expellendos Audientes, ſi peccauerint, ſed inferiori adhuc pænitentium Ordini adſcribendos eſſe. Similia leguntur, & in can. 56. 57. 64. 75. 77. eiuſdem Baſilij, in Canonibus Gregor. Thaumaturgi, in can. 15. & 16. Ancyranæ, in 1. Synodo, & alibi paſſim. A Catechumenis proprius templorum locus *Cathecumenium* dicebatur, can. 97. Syn. in Trullo. Nouell. Leon. 73. vt & *Prasbiterium* in Decret. Gelaſij Papæ c. 8. apud Clem. c. 30. de conſecrat. diſt. 2. & *Diaconicum*. Conc. Laodic. c. 21. Oratorium igitur & templi dicitur. Eccleſia nempe οἶκος προσευχῆς, *Orationis domus* appellatur, Nouell. 58. vt etiam legimus in can, 75. Baſilij Magni. Γέγραπται, ait Dominus, ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς κληθήσεται: *Scriptum eſt, Domus mea, Domus orationis vocabitur*. Saluianus de Gubernat. *Domus Dominicas, & Domus Eccleſiaſticas* appellat. Vet. Interpræs εὐκτήριον οἶκον modò *orationis domum*, modò *oratorij domum* vertit, vt in Nouell. 67. Theophilus εὐκτήριος ſiue Oratorium, & alia diſtinctè protulit: ὁποῖαι αἱ ἐκκλησίαι καὶ τὰ μαρτύρια, καὶ τὰ εὐκτήρια; id. qualia ſunt Eccleſiæ. Martyria

tyria, & Oratoria, lib. 2. tit. 1. §. 8. Quandoque Oracula dicta. Paull. VVarnefrid. lib. 4. Quoties enim cumque voluiſſet B. Ioannis Oraculum ingredi, ſtatim, velut a validiſſimo pugili, guttur eius feriretur, ſic ſubitò retrò ruebat impulſus. Iſidor. Propitiatorium, Oraculum inter duo Cherubin. vt accipiat, vide apud eumdem c. 41. in Exod. Exſtat. & Propitiatorij mentio non modò in lege veteri, ſed etiam apud noſtros: quod nimirum ad exemplum Templi Hieroſolymitani olim Eccleſiæ conſtruerentur. εἰς τὸ ἱλαστήριον neminem, præter Imperatorem, admittendum eſſe, ſtatutum fuit, can. 69. Synod. in Trull. *Oraculum* Græci & χρησμὸν, & λόγιον dicunt: λόγιον vero, ſeu *Oraculum* appellatum fuiſſe *Rationale*, de quo ſacræ litteræ loquuntur, ſcribit Ioſephus Antiquit. lib. 3. c. 9. quam vocem & aliter pro loco accipiunt. Gloſs. vett. λόγιον, (ſeu λογεῖον) τὸ τοῦ θεάτρου, *Pulpitum*, Iſidor. dixit *Analogium*: *quod ſermo indè prædicetur*. Hactenus de Oratorijs. Quoniam verò Domus dicuntur Eccleſiæ, vt retuli, & de Cathedralibus præcipuè hanc vocem pleræque nationes vſurpant, pauca ſubnectam de appellatione quadam, a qua potius eam vocem fluxiſſe, quidam crediderunt. Latini enim *Dominicum* hac notatione dixere. Hieron. in Chronic. *In Antiochia Dominicum, quod vocant Aureum, ædificari cœptum*. Nicephor. lib. 7. c. 49. ſcribit, a Conſtantino Κυριακὸν, ſeu *Dominicum* octogonum excitatum fuiſſe. Cyprian. de oper. & eleem. *Quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis*. Eamdem vocem & apud Metaphraſtem quodam loco me legiſſe memini, & in can. 74. Syn. in Trull. & in 28. Laodicenæ, & alibi frequenter. Ruffin. Eccl. Hiſt. lib. 10. c. 3. Tum Senior, Si hæc, inquit, ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me ad Dominicum. Ita igitur in Nouell. 131. c. vlt. & in l. 5. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, vel ibi exclam. non ſolùm Eccleſiarum, ſed & aliorum venerabilium locorum mentio fit. Verba Martiani: Denun-

tiamus vobis omnibus, vt in ſacro-ſanctis Eccleſijs, & in alijs quidem Venerabilibus locis, in quibus cum pace, & quiete vota competit celebrare, abſtineatis ab omni ſeditione. Nemo conclamationibus vtatur, nemo moueat tumultum, aut impetum committat, vel conuenticulam, collectà multitudine in qualibet parte ciuitatis, vel vici, vel cuiuſcumque loci, colligere, ac celebrare conetur. Interdicitur hìc ſeditionibus, & conclamationibus. Nam veteris licentiæ paſſim exſtant exempla. Anaſtaſ. Bibliothecar. ann. 472. in Hiſtoria, neſcio an edita: Quem & turbas excitantem, ſedile ipſius, quod erat in Eccleſia, ſubuertit, comminatus ei, quod niſi ceſſaſſet a talibus, tonderet caput eius, & turbis traderet publicandum. Sozomen. in Tripartit. lib. 1. c. 10 Cum itaque Collecta celebraretur, iniunctum eſt Triphyllio, vt faceret ſermonem in populo. Cumque ille locus veniſſet ad medium, TOLLE LECTVM TVVM, ET AMBVLA, cubile dixit, pro lecto, mutans nomen. Spiridion autem indignatus in eum, & exſiliens de Cathedra Sacerdotali, Tu melior es, inquit, eo, qui lectum dixit, quia eius verbis vti confunderis? Hoc autem fecit populo conſpiciente. Dicitur autem Collecta conuentus Fidelium, ſeu Synaxis. Vet. Interpr. in Nouell. 132. παρασυνάξεις, *adulteras*, & *contrarias Collectas*, aut *Collectiones* reddidit. *Collecta*, & *Collectio*, & etiam *Dominicum* frequenter in Actis Martyrum occurrunt pro ſacrificio. In Actis Saturnini, & ſociorum ſub Anulino Proconſule, Felix Martyr ſic ait: Quaſi Chriſtianus ſine Dominico eſſe poſſit, aut Dominicum ſine Chriſtiano celebrari. An neſcis, Satana, in Dominico Chriſtianum, & in Chriſtiano Dominicum conſtitutum, vt nec alterum ſine altero valeat eſſe? Cum nomen audieris, frequentiam Domini diſce: & cum Collectam audieris, nomen agnoſce, & mox alter Felix ait: Cum fratribus feci Collectam, Dominicum celebraui. Acclama-

tiones

tiones in Eccleſijs ſollemnes fuere: ἐγκύκλιοι nimirum, & illis ſimiles, quæ in Concilijs leguntur, his excipiebantur Epiſcopi concionantes. Auguſtin. de Doctor. Chriſt. lib. 4. c. 26. *Vnde autem crebro, & multum acclamatur ita dicentibus, niſi quia veritas ſic demonſtrata, ſic defenſa, ſic inuicta delectat?* Eædem voces ſæpius repetebantur, quod ſignificant illæ notæ D.X. D.XXX. *Exaudi Chriſte, Hilario vita. D.VI.* ideſt, *Dictum ſexies*. Itemque *Dignus Papa, dignus Doctor. D.VIII. Cuius ſedem, & annos. D.V. Vt antiquitas ſeruetur, rogamus. D.VII.* & alia huiuſmodi, in Decretis Hilarij, Symmachi, & aliorum. De Vociferatione in Eccleſia exſtant quædam Theophilacti inter Sanctiones Pontificias ſub tit. περὶ γελώτων, καὶ κραυγῶν ἐν ἑορταῖς. Ait ille auctor fuit moris, qui hodieque obtinet, vt in ſollemnibus, & publicis feſtiuitatibus contumelia Deo, & Sanctorum memoriæ fiat per indignas nænias, per riſus, & inſanos clamores, quibus hymni diuini complentur. Acclamationes improbauit & Chryſoſtomus in Homilijs non vno loco. Antea quoque ſancita quædam de canendi ratione, can. 15. Laodic. Quod non oporteat amplius præter eos, qui regulariter Cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere, illud obſeruo, de codice canendum fuiſſe, nimirum non memoriter: vt Cantica paſſiua, & vulgaria tollerentur. Exclamationes tamen ſollemnes in Orationibus antiqua Eccleſia admittebat, can. 19. eiuſdem Syn. Quod oporteat ſeorſum primum, poſt alloquutiones Epiſcoporum, Orationem ſuper Catechumenos celebrari: & poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in pænitentia, precem fieri. His etiam accedentibus, ad manum Sacerdotis, & deſcendentibus, tres Orationes conſummari Fidelium: ita vt prima quidem ſub ſilentio, ſecunda verò, & tertia per exclamationes ſolitas expleantur, & ita demum pacem ſibi inuicem dabunt.

Digitized by Google

Quin tripudiaſſe, & ſaltaſſe veteres in Eccleſijs, ſed per licentiam, non comprobato a Patribus ritu, oſtendere poſſumus. Theodorit. in ead. Hiſt. lib. 6. c. 48. de Iuliani morte: in qua vrbe, cum eius nunciatus fuiſſet interitus, publicam cuncti habuere feſtiuitatem, & non ſolùm in Eccleſijs, & ſepulturis Martyrum ſaltabant, ſed etiam in Theatrum Crucis victoriam prædicabant, illius Magiæ inſultantes. In eiuſdem obitu, Angelos ipſos exultaſſe, & canticum ſe præ letitia texere, in 3. contra Iulian. dicit Nazianzen. Improbatum legimus Concil. Toletan. 3. can. 23. Irreligioſa conſuetudo eſt, quam vulgus per Sanctorum ſollemnitates agere conſueuit. Populi, qui debent Officia Diuina attendere, ſaltationibus, & turpibus inuigilant canticis, non ſolùm ſibi nocentes, ſed & religioſorum officijs perſtrepentes, & in alio Toletan. improbantur obſtinatæ diſceptationes tumultuoſis vocibus in loco benedictionis effuſæ c. 4. 5. q. 4. Idem notatur in Cabillonenſi, Antiſſiodorenſi, & apud Balſamon. ex Carthaginienſi can. 63. & ex Braccar. can. 80. apud Burchard. lib. 10. can. 39. Dictæ *Ballimachia*, & *Balationes*, vel etiam *Ballemationes*. Gloſſæ: βαλλίζω *Ballo*. Suid. βαλλίζειν, τὰ κύμβαλα κτυπεῖν, κ̓ πρὸς τ̃ ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι, *pulſare cymbala, & ad illorum ſonum tripudiare*. De hoc eodem verbo diſſenſus exſtitit inter quoſdam apud Athenæum lib. 8. Nam cum quiſpiam reſpondiſſet, ὅτι βαλλίζουσιν οἱ κτ̃ τὴν πόλιν ἅπαντες τῇ θεῷ, *quod uniuerſi per ciuitatem choreas agerent in honorem deæ*, hoc verbum irridere cœpit Vlpianus, quaſi nemo Græcorum βαλλισμὸν vſurpauerit, ſed aut κωμάζειν, aut χορεύειν dicendum ſit. Ad quæ Mirtylus pluribus oſtendit, eam vocem probam, planeque græcam eſſe, & a pluribus vſurpatam. Indè *Cymbala ballematica* ex Græcis refert Iſidor. Origin. lib. 3. c. 21. In eiuſdem Gloſſario, *Choreis*, *ballationibus*. Rurſus ibidem, & in Excerptis Pithœanis, *Vallemachia*, *inhoneſta cantationes*,

&

& carmina, iocaque turpia. Balliſteorum exempla & ex ſacris litteris proferri poſſunt, ſed nullus eſſet ſub-notandi finis. Vide & Iuonem part. XI. cap. 64. & 77. & can. 53. Laodicenæ. Corruptis etiam moribus, celebrabantur in Eccleſijs Ludi Theatrales, & introducebantur in eis monſtra Laruarum, c. 12. cum decorem, de vit. & honeſt. Cleric. fortè quæ ex Concil. Nannetenſi relata ſunt, cum ioca vrſo, aut tornatricibus in Collectis fierent, prolatis Laruis quas Burchardus *Talamaſcas* vulgò appellatas fuiſſe ſcribit quæ vox affinis videtur noſtræ Italicæ *Maſchere*, qua ludiones, & perſonatos ſignificamus: quamque ad Perſicam *Maſchargi*, ludum nempe, aut iocum aliqui referunt. Demum in Eccleſijs Agapæ celebrabantur, & quidem antequam Euchariſtiam ſumerent, imitatione Cœnæ Domini & poſt, ſed ob temulentiam, & alia vitia ab vſque primis Eccleſiæ cunabulis ſugillauit id Ap. 1. ad Corinth. XI. demum omnino ſublatæ huiuſmodi conſuetudines, conſtituto vt Euchariſtia non niſi a ieiunis ſumeretur, Auguſt. Ep. 118. Cannones poſteriores in vniuerſum epulas in Eccleſijs interdixere. Laodic. 28. Quod non oporteat in domicilijs Diuinis, ideſt in Ecclesijs conuiuia, quæ vocantur Agapæ, fieri: nec intra Domum (græcè, ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ vt & in Codice Canonum) *comedere, vel accubitus ſternere*. Item Concil. Afric. can. 27. Illud etiam petendum, vt quæ contra præcepta Diuina conuiuia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt, ita vt nunc a Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur: vetari talia iubeant, & de ciuitatibus, & de poſſeſſionibus, impoſita pœna, prohiberi: maximè cum etiam in Natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas ciuitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos, atque

plateas

Digitized by Google

plateas exerceant. Apud Harmenopul. in Epit. Can. eadem compendio relata, ſed ex can. 7. Carthaginienſ. nimirum huiuſmodi conuiuia habita fuiſſe ἀναιχύντως ἐν ταῖς τῶν μαρτύρων μνήμαις: ita vt honeſtæ mulieres in Eccleſiam conuenire non auderent. Quo loco μνήμας de die, non de loco accipiunt, vt & ſuperius notabam, poſſis non minus de loco: quod Martyrum Monumentum μνήμας, ſeu *memorias* appellarent. Critici *ſepulcrum* μνῆμα dicunt, & μνημεῖον *Monumentum*. Auguſtin. de C. D lib. 22. c. 10. Denique illi talibus dijs ſuis & templa ædificauerunt, & ſtatuerunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt Nos autem Martyribus noſtris non templa, ſicut dijs, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed vni Deo & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus. H c mos antiquiſſimus in Eccleſia fuit, vt ædiculæ, & altaria erigantur in locis, in quibus reliquiæ Martyrum conditæ ſint. Concil. African. can. 50. Vt altaria, quæ paſſim per agros, & per vias, tamquam memoriæ martyrum, conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur, ſi autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur, & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. In his igitur memorijs potabant, ad has cibos deferebant. De primo Cyprian. de duplic. Martyr. *An non videmus ad Martyrum memorias Chriſtianum a Chriſtiano cogi ad ebrietatem?* S. Ambroſ. de Helia, & ieiunio: *Sicut illi, qui calices ad ſepulcra Martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt.*

Digitized by Google

bibunt, vide & Auguſtin. ep. 64. & Balſamon. Interrogat. 57. De altero more loquitur idem Auguſtin. de C. D. lib. 8. c. vlt. dicit tamen, a Chriſtianis melioribus vſurpatum non fuiſſe, & rurſus lib. 5. Confeſs. c. 2. refert, Epiſcopum in Africa id vetuiſſe, matremque ſuam, cum pultes, & panem, & merum attuliſſet, prohibitam fuiſſe. Deferebant quippe dapes ad Martyrum monumenta, & illis appoſitis, orabant: mox vt ſumerent, auferebant, qui mores ab alijs quoque obſeruati, & tamdem, vt retuli, interdicti. In priorem latus eſt can. 28. Laodicenæ, de quo proximè egi: quemque apud Harmenop. ſic conceptum reperi, οὐ δεῖ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ποιεῖν, καὶ ἐν οἴκῳ τοῦ θεοῦ ἐσθίειν, id. *Non oportet in Dominicis, aut in Eccleſijs Agapas facere, & in domo Dei manducare.* Concil. African. can. IX. Vt *nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conueniantur*, [ſic in Codice Canon. ſed emendandum, *conuiuentur*, vt ſcriptum eſt apud Gratianum, & alios] *niſi fortè tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiant* (legend. *recſiantur*) *Populi etiam ab huiuſmodi conuiuijs, quantum fieri poteſt, prohibeantur.* Vide & Reſponſum Ioannis Epiſcopi Citri ad Conſtantinum Cabaſilam apud Orientales. Sic igitur a clamoribus, a diſceptationibus, a canticis, a tripudijs, a ludis, a conuiuijs vindicatæ Eccleſiæ: vt verè Domus Dei, Domus orationis ſit. Tridentini Patres in eamdem ſententiam protulere quædam in Decret. de obſeru. & euit. in Celebr. Miſs. In pace factus eſt locus iſte, & domum Dei decet ſanctitudo, adeoque piè Martianus Imper. in d. l. 5. C. de his, qui ad Eccl. confug. dixit: *in quibus cum pace, & quiete vota competit celebrare*. Quem locum imitatus eſt Gregor. X. in Concil. Lugdunenſi, c. 2. de immunit. Eccleſiaſt. in 6. Ex his ſequitur, ferendum non eſſe, vt in Eccleſijs iudex diſceptet, quod exaudiendum eſt non modò de iudicio ſanguinis, c. 5. ex de immunit. Eccleſiaſt. ſed etiam de

alijs

Digitized by Google

alijs cauſis non Eccleſiaſticis. Iam verò nec Senatum, nec Comitia, nec Heterias, aut Societates, quas appellant, in illis cogi, fas erit: non conciones ad negocia profana, vel ad Collegia, vel Reſpublicas pertinentes haberi, ſatis conſtat ex illo Gregorij loco. Habeant ſibi Romani morem hunc: apud quos Senatus niſi in templo, aut loco per augures conſtituto haberi non potuit, quæ tamen ad pietatem pertinent, aut aliqua ratione ſancta dici poſſunt, ritè in Eccleſijs peragentur: vt promotiones ad Docturæ, vel Magiſterij Gradum, vt modeſtæ, & ſedatæ litterariæ velitationes; eſt equidem religioſa res Philoſophia, ſanctiſſima Ciuilis Sapientia, l. 1. §. an & Philoſophi, & §. proinde, D. de var. & extr. cognit. Ius Aſyli denique ſi aris, ſi ſtatuis ab Ethnicis datum fuit, quanto magis Domui Dei tribuendum eſt? Sanè Græci, & barbarorum plerique hoc ſeruandum eſſe cenſuere. Multa de Aſylis ſcripſere veteres, ab alijs diligenter collecta. Tacit. Annali 3. tria hominum genera recenſet, quibus templa complerentur: ſeruos, obæratos, capitalium criminum ſuſpectos. Et de obæratis quidem, poſtea quoque dubitatum fuit. Nam decoctores a ſacris terminis extrahi poſſe, nonnulli ex recentioribus credidere, quaſi publici latrones habeantur, ſed & Iuſtinianus Nouell. 17. publicorum tributorum exactiones, etiam intra templa decenter fieri mandauit. Ego vtrumque hodie falſum dixerim. Canonum præſcripta, & Pontificum Decreta in eo ſeruanda ſunt, nec Conſtitutio nouiſſima, quæ aliquot modò ſpecies exprimit, in quibus ius Aſyli non obtinet, varijs argumentis differenda, aut noſtræ gentis more [I. C. dico æui huius] neſcio quibus rationibus ſine modo vexanda. Hanc ſententiam ſequor. De ſeruis rurſus aliud olim præſcriptum erat. Nam in l. 4. C. eod. conſtitutum eſt, vt ſi ſeruus armatus in Eccleſiam inopinatus irruiſſet, abſtrahi poſſet, aut domino abſtrahendi copia, vel per vim non denegaretur; quin

ſi

ſi dum reſiſteret, occiſus eſſet, impunè dominus ferret. Cui loco mirè congruit quod in Tripartita lib. 14. c. 4. narratur: Serui quidam potentium, genere barbari, dominum crudelem experti, ad Eccleſiam confugerunt, & portantes gladios ingreſſi ſunt ad altare. Cumque rogarentur, exire nullo modo voluerunt, ſed impediebant ſollemnia celebrari, plurimis diebus gladios tenentes euaginatos: & parati ſe vindicare, omnibus ad eos accedentibus inſiſtebant. Qui poſtremò vnum Clericum perimentes, & alium vulnerantes, etiam ſe ipſos interemerunt quo facto, quidam tranſeuntium, hoc ſcelus nihil boni Eccleſiæ ſignificare prædixit, nec veritate fruſtratus eſt, ſignificabat enim populi diuiſionem, & deiectionem eorũ qui fuerunt cauſa diuiſionis. Et verò, quod ad Eccleſias confugientes arma deponere deberent, ita vt recuſantes per vim expelli poſſent, expreſsè a Theodoſio ſancitum fuerat, vt ex illius Conſtitutione conſtat. Græci βασιλικ. lib. 5. ita diſtinguunt, vt ſerui armati ſtatim ejiciantur, liberi verò prius vt apud Epiſcopum arma deponant, admoneantur. Conſtitutio exſtat tum græca, tum latina: exſtat & Epitome in Eclog. Eiuſdẽq; meminit Harmenopulus & Balſamon, & Ioannes Epiſcopus Citri, ſed de armis dicam infra ſuo loco. Serui tamen Dominis non aliter quàm præſtita ſecuritate, & ſacramento recepto, reddendi, l. 6. C. eod. Gelaſius in can. 32. & 33. 17. q. 4. quod Inſtitutum Eccleſiæ de his, *qui ad Eccleſiam confugium fecerunt*, antiquum eſſe, oſtenditur ex Concil. Tolet. & Aurelianenſ. can. 35. & 36. ibidem. *Nullus* præterea *Clericorum ſeruum aut diſcipulum ſuum fugientem ad Eccleſiam extrahere audeat, vel flagellare præſumat*, ait Concil. Ilerdenſe c. 8. Hæc de ſeruis, & obæratis, ſeu decoctoribus. Maleficis autem, quorum poſtremo loco meminit Tacit. non eodem modo ſemper conſultum fuit, per inſidias hominem occidentes, ab altari euelli iuſſit Deus Exod. XXI. 14. &

alibi, quod ſequitur Iuſtinian. d. Nouell. 17. Hæc ipſa recenſet Conſtantinus Porphyrogenneta Nouell. 12. quam in parte corrigit Manueli Comneni Nouell. 3. ad quæ pertinent quæ Garida ad Conſtantinum Ducam, & Romanus ſcribunt Baſilic. lib. *60.* & Caſſiodor. lib. *3.* Ep. *64.* Ex quibus non indiſtinctè, nec omnino impuniti homicidæ ad Eccleſiam confugientes dimittendi eſſent, ſed mitiùs puniendi: præſertim ne facinoroſi ſub hac occaſione graſſentur. Verùm e Chriſtiana Republica eſt, vt Eccleſiarum Maieſtas ſummo loco habeatur: ſatiſque nouiſſimè proſpectum fuit, ne atrociora crimina quædam Aſylum habeant. Quin maleficorum quoſdam Eccleſia aliquando tuebatur, qui hodie Aſylum, vt puto, non haberent, Quod enim de Bertarido narrat Paullus Diacon. lib. 5. c. 3. de geſt. Langob. ad Maieſtatis crimen pertinere videtur, & tamen de Hunulfo ſcribit: Cum Rex requireret, quid de Hunulfo factum fuiſſet, nunciatum eſt ei, quod in Beati Archangeli Michaelis Baſilicam confugium feciſſet. Qui mox ad eum miſit, ſponte promittens, quod nihil pateretur mali: tantùm in ſua fide veniret. Dixit, ſponte promittens, fortaſſe reſpiciens ad ſacramentum, quod exigebatur ab his, qui Eccleſiæ præeſſent, vti proxime dixi. Quòd barbari quoque pepercerint his, qui Romæ ad Baſilicas, vel loca Martyrum, vt olim Athenis ad aram miſericordiæ, confugerant, facundè narrat Auguſtin. lib. 1. de C. D. Huius criminis obtentu ſeuire ſeuiſſimis gentibus non placuit. Nunc verò ſi Principis Maieſtas lædatur, reos Eccleſia non tuetur: vt nec tuetur proditores. Quid igitur dicemus de eo, qui glande tormentaria clam inimicum traiecerit? Nam hos vulgo proditores appellant Alicubi qui iuri dicundo præerant, decreuerant, hos Aſylii iure non adiuuari. Sed a recentioribus in contrariam ſententiam itum fuit, & ſecundum eum Clemens IIX. Archiepiſcopo Panormitano aliquando reſpondit. Quoniam

Digitized by Google

niam verò delinquentes in Eccleſia, fruſtra ad Eccleſiam confugiunt, c.vlt.de immunit.Eccl. quæremus, an hodie tutus ſit, qui armatus ad eam confugerit, nam hunc delinquere, facilè probabimus, cum interdictus ſit vſus armorum, C.lib.XI.tit.46. vt armorum vſus inſcio Princ. interd. ſit c.2.de vit.& honeſt.Clericor. Sed noua Conſtitutio ab Eccleſia illos tantùm arcet, qui homicidia, & membrorum mutilationes in eadem perpetrare auſi fuerint, non igitur eos, qui arma geſtauerint. Quid ſi aliquis in bello, circumſcripto crimine Maieſtatis, ex mœnibus Eccleſiæ pugnauit, ſi hoſtes trucidauit, ſi vt aliqui dicunt. Eccleſiam incaſtellauit, ſi propugnaculi vicem obtinere voluit? Non video qua ratione defendi poſſit, perpetrata cæde, nam in Eccleſia deliquit, & receptum eſt, quod dicitur, in Eccleſia delinquere tum eum, qui extra Eccleſiam conſiſtens, alium qui ſit in Eccleſia transfixerit, tum etiam eum, qui in Eccleſia cum eſſet, alium, qui extra Eccleſiam eſſet, traiecerit, & trucidauerit, quid ſi aberrauerit, ſi fruſtra telum emiſerit? effectum exigi video ex Italica conſuetudine in delictis, & ita in hoc ſentiunt quidam. Velim perpendas verba Gregorianæ Conſtitutionis: *quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, earumue cœmeterijs committere non verentur.* in atrociſſimis delictis punitur etiam affectus, vt in crimine læſæ Maieſtatis, l.5.C.ad l.Iul.Maieſt. Inter Officia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *Sacellarius*, ſeu *Sacellius* erat, qui Sacellam obtineret, ὁ τὴν σακελλαν κατέχων, ſeu ὁ σακελλίου κρατῶν. Sacella verò exponitur, ἡ φυλακὴ τῶν προσφύγων τῆς ἐκκλησίας *Cuſtodia eorum, qui ad Eccleſiam confugiunt*, vt in Turco-Græcia obſeruatur. Poſtremo loco aliquid dicendum de pœna eorum, qui confugientes, ab Ecclesijs abducere tentauerint. Iure ciuili conſtitutum eſt, hos in crimen Maieſtatis incidere, adeoque vltimo ſupplicio, etiamſi nuda cogitatione, aut tractatu id perficere tentauerint, ob-

noxios eſſe, l.2.l.6.C.eod.Harmenopul.in Epit. iur. ciuil. lib. 2. tit. 9. verberatos, & raſos relegandos eſſe ſcribit. Exſtat hæc conſtitutio lib.60. Baſilic.tit 45. c. 17. Quo loco Græcus Interpræs quærit, qua ratione conciliari poſſit caput illud cum c.21.tit.45. eiuſdem libri: quod eſt ipſa l. 13. C. de Epiſc. & Cleric. per quam Violatores & Contemptores priuilegiorum Eccleſiaſticorum quinque auri libris multandi ſunt, & primò refert, quoſdam diſtinguere, vt poſterior hæc pœna ſit Ciuilis, prior verò Criminalis. Ipſe tamen dicit, rem hanc ita componendam eſſe, vt dicamus d.l.13. de Epiſc.& Cl. latam eſſe in eos, qui vi inuadunt aliorum Epiſcopatuum prædia Eccleſiaſtica, & producunt ſuos fines, vel aliter Eccleſiæ priuilegia contemnunt: at priorem illam Conſtitutionem, quam Græci referunt, ſpecialiter in eos latam eſſe, qui confugas abſtrahant. Rurſus Græci ad c. 41. tit. 51. eiuſdem libri 60. dicunt, pœnam eamdem eſſe, quæ ſacrilegij: legem autem ſacrilegij deportationem, & publicationem irrogare intelligunt l.3. ad l. Iul. peculat. Sed hanc dicunt generalem eſſe pœnam, & exſtare aliam ſpecialem: eam nempe vt puto, quæ verbera, & tonſuram præter relegationem continet. In canonibus aliæ quoque præſcriptæ ſunt pœnæ in can.20. & can. 21. 17. q. 4. recenſentur quædam, præter iſtas eſt Cenſura. Non tamen dictum eſt Anathema, vt ſententia opus non ſit, ſicuti quidam crediderunt. Dictum eſt in Concilio Toletano, vt refert Grat. in c. 35. 17. q.4. ſed ille Canon intra Prouinciam vim habet. Nec obſtat, quod Clem. IIX. facultatem abſoluendi ab hoc crimine Ap.Sedi reſeruauerit; quaſi nulla ſpecies reſeruetur ſine cenſura: Nam id non eſt perpetuum. Plura dicenda eſſent: ſed ne huiuſmodi ὑπόμνημα modum iam excedat, ſatis erit de his, quaſi per indicem, in hunc modum ſubmonuiſſe.

De

Digitized by Google

De Conſecratione Altarium, & de Reliquijs Sanctorum. Antimenſia. Priſci mores aliquot ad ſacra myſteria pertinentes. *Cap. XXVI.*

MArtyres ipſi, quibus ductoribus templa ingreſſi ſumus, nos ducant ad aras: ducant ad Auguſtiſſima Myſteria. Adeo enim Eccleſia Sanctorum λείψανα, ſeu *Reliquias* veneratur, vt ſine his altaria conſecrari vix permittat. Eas certe in Conſecratione exigit, vt conſtat ex verbis Vigilij Papæ, can. 24. de Conſecr. diſt. 1. Et dubitatum fuit, an Conſecratio ſine his abſolui poſſit. Plerique opinantur, Altaria ſine Reliquijs conſecrata, adhuc profana cenſeri. Nec defuere, qui contrariam ſententiam tuerentur. Sunt verò & Aræ quædam ἀφόρητοι, quæ circumferri poſſunt: tabulæ nimirum lapideæ, & conſecratæ, quas etiam *Altaria viatica* Bonifacius appellat, & concilium Triburienſe, *Tabulas conſecratas*. Alibi dicuntur *Ara ſacra*, vel *Ara portatiles*. Super his olim in locis etiam non ſacris, Epiſcopo volente, Miſſarum ſolemnia celebrare licebat, c. 12. c. 14. c. 30. de conſecr. diſt. 1. Has ipſas Tabulas Epiſcopo circumferre, & cum abeſt ab Eccleſia, in locis etiam profanis, honeſtis tamen, ſacra myſteria peragere permiſſum, c. vlt. de priuileg. in 6. Sed primum abrogatum eſt hodie, vt priori capite dicebamus: nec Epiſcopi iam illius facultatis compotes ſunt, qua per antiquos canones licebat eis iubere, vel permittere, vt in locis etiam profanis, & in priuatis Oratorijs Sacra celebrarentur. Hoc Epiſcopis haud pridem, annuente Beatiſſimo Pontifice PAVLO. V. a Purpurato renuntiatum fuit, ſed Bonifacij Conſtitutio, qua priuilegium Epiſcoporum continetur, antiquata non dicitur. Quin etiam, vrgente neceſ-

ſitate,

Digitized by Google

ſitate, puta in bello, etiam in loco profano, non tamen in mari, vel in flumine, ſi copia ſit aræ ſacræ, Sacrificium offerri poſſe, non ſine ratione creditur. Græci pro Sacris Aris, vtebantur Antimenſijs. Hæc apud Latinos non puto in vſu fuiſſe. Si de nomine quæras, notationem explicabit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolit. *Sic autem appellantur, quòd referrant, & imitentur multiplices illas menſas, quibus ſacra, & dominica menſa inſtruitur. Precipuè verò ſuper illis ponuntur menſis quas Conſecratio non ſanctificauit.* Interpræs apud Harmenopul. in Epit. can. hæc poſtrema vertit: *Propriè verò menſas illas ſignificant, quas Conſecratio non ſanctificauit.* Mihi videtur, aliter vertendum eſſe, & aliud verba ſignificare: vt in loco Ioannis Epiſcopi Citri, quem poſtea referam. Præterea quærebam, quid ſibi voluerit Nicephorus, dum dixit, Antimenſia referre multas illas menſas, quibus ſacra, & Dominica menſa inſtruitur. Sunt, qui hæc verba ſic accipiant vt dicat Nicephorus, Antimenſia ipſius conſecratæ menſæ, ſeu aræ vicaria eſſe, ſunt quidem: ſed ego non intelligo, quænam dicantur multæ illæ menſæ, ſi de Ara ſacra ſermo ſit. Cum verò & Dominica, & ſacra dicatur menſa, ad Domini menſam, in qua plures erant accubitus, quis fortè credat hæc referenda eſſe. Βῆμα Conſtantinopolitanum plures item habebat menſas. Luitprandus lib. 6. c. 3. Eſt domus iuxta Hippodromum, Aquilonem verſus, miræ & altitudinis, & pulchritudinis, quæ Deca-ennea-cubita vocatur. Quod nomen non ab re, ſed ex apparentibus cauſis ſortita eſt. δέκα enim græcè, latinè decem: ἐννέα, nouem: cubita, aut a cubando inclinata, vel curuata poſſumus dicere. Emenda, cubita, vt a cubando, inclinata, vel curuata poſſ. dic. Pergit. ille: Hoc autem ideo, quoniam quidem XIX. menſæ in ea, quæ ſecundum carnem eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate apponuntur. In quibus Imperator pariter, & conuiuæ, non ſedendo, vt

cæteris

Digitized by Google

cæteris diebus, ſed recumbendo epulantur. Quibus in diebus, non argenteis, ſed tantùm aureis vaſis miniſtratur. Ioannes Epiſcopus Citri in Reſponſionibus ad Conſtantin. Cabaſilam prolixa Oratione Antimenſiorum vocem, & notationem explicat. Appellationem enim a menſa deduci ait, & addit: *Secundùm hac enim, & explicata in menſis mappa, menſalia vocantur, qualia ſunt, quæ ad menſa, & menſarum ornatum ponuntur, proletario verò ſermone, antimenſia vocantur ſicut in veſtimentis antipana, & quæcumque in ſimilibus, vi reflexionis, huiuſmodi appellationem ſortita ſunt.* Hinc ſubdit quod ex Nicephoro proximè retulimus, nimirum, Antimenſia in illis poni Menſis, quas Conſecratio non ſanctificauerit. Ait enim, ex ipſis, & Menſam in Conſecratione, & Oblationes in Sacrificijs Sanctificationem accipere. Et, inquit. *Cum igitur templum conſecratum non fuerit, quod illi deeſt, Antimenſij ſanctificatoria vis implet. Hinc neque fas eſt in templo conſecrato aliquando ſine Antimenſio ſacris operari.* Explicat exinde, quo pacto ſcribatur: *per iota*, inquit, διὰ τὸ ἐθνικὸν, *propter gentilitatem.* Addit rationem quamdam ex Grammaticis Canonibus, vt ipſe putat, deſumptam: de qua alibi dicturus ſum. Præterea in templi tantùm dedicatione Antimenſia fieri potuiſſe docet; & eos, qui aliter feciſſent, Eccleſiaſticarum traditionum tranſgreſſores appellat: qui ἄδωρα δῶρα, καὶ οὐκ ὀνήσιμα κατὰ τὸ εἰπόντα, *dona non-dona, & inutilia, vt ille ait*, offerant. Elegans parœmia a Sophocle ſumpta, apud quem Aiax ſic loquitur.

Ἀλλ' ἔστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία,
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.
Verùm ſed eſt prouerbium mortalium,
Non dona dona, nec iuuant hoſtilia.

Si quæras, quando, & qua ratione fierent Antimenſia, docebit Interrogatio Bellæ Epiſcopi, his verbis Manueli propoſita: *Nouimus, Antimenſia fieri quando Antiſtes per ſe*

Dedi-

Digitized by Google

Dedicationem operatus fuerit, darique Sacerdotibus ex panno ſubſtrato, menſaque circumuolente in fruſtra diſſecto, & depicto: nec ſine his ſacrificare fas eſſe. Quærit exinde, quid agendum ſit vbi Antimenſia deſint, & ſacra ſint peragenda. Reſpondet alter, Antimenſia non exigi in omnibus Menſis, ſed in ijs, de quarum Conſecratione ambigitur. *Nam Antimenſia Conſecratarum Sanctarum Menſarum vicem obtinent: & vbi conſtiterit, Menſas Conſecratas eſſe, illic Antimenſijs opus non erit.* Citrius ad Cabaſilam in eodem Reſponſo: *Antimenſia, ſanctificandi vim obtinent, quam in ipſis per ſacrificium producit conſequentia ſeptemdierum Conſecrationis Templorum recens exſtructorum, in Ara illic poſita recepta.* Præterea docet, Antimenſia Prouinciarum terminis non circum-ſcribi, ſed & extra terminos vim ſuam ſeruare, vt ſacra Vnctio, & alia ſancta ſeruant. Hæc ipſa iiſdem pænè verbis, quibus vtitur Citrius, ſcribit, & Nicephorus, qui addit, ſi per errorem, Antimenſium lotum fuerit, profanum non reddi, ſed vim ſuam retinere, igitur lauare non oportet. Quo verò ritu, quibuſque verbis Antimenſium Menſæ, vel Aræ impoſitum conſecraretur, in Euchologio Græco fusè traditum fuit. Ex his omnibus iam ſatis conſtare puto, Antimenſijs eamdem vim Græcos tribuere, quam Aræ Sacræ apud Latinos obtineant: fierique ex panno illo, quo in Dedicatione templi Menſa, & Ara quodammodo induebatur, ab Epiſcopo nimirum diuiſo, & in partes diſſecto, vt quiſque Sacerdos panni fragmentum haberet, indeque, vbi opus eſſet, ideſt etiam in Aris non Conſecratis ad Sacra Myſteria peragenda Antimenſio vteretur. Quare Balſamon quoque in verbis, quæ Analecto ſuperiori protulimus, dum de ſacris in priuatis etiam Oratorijs peragendis agebat, Antimenſia requirebat. Hæc igitur ſunt, quæ Græci Antimenſia dixere, & quibus pro ſacris Aris vſi ſunt. Quoniam verò, vt principio dicebamus, in Altarium Con-

Digitized by Google

ſecratione Reliquiæ Sanctorum exiguntur, quæritur, an Reliquiarum loco, cum Altaria conſecrantur, Euchariſtiam in his collocare, & deponere liceat. Olim id vſurpatum fuiſſe, & præſertim a Leone Papa, fertur. Qui mos oſtendit, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem, quæ aliquando ita proponebatur. Altari diruto, Epiſcopus inuenit arculam, & in arcula membranam, & Hoſtiam, (*Buccellam* dixiſſet Tertullianus: Auguſtinus, & alij *Particulam*) colore viuidam. Hanc adorandam ſollemniter expoſuit. Et tamquam anceps eſſet, an Epiſcopus Idololatriæ populum obnoxium reddidiſſet, quid de eo ſtatuendum eſſet, hæſitabatur. In eam ſententiam itum eſt, Epiſcopum non peccaſſe; quin potius piè, ſanctèque rem hanc peregiſſe. Nam & color, & alia argumenta Sacramentales ſpecies, adeoque Diuiniſſimum Sacramentum ad illud tempus manſiſſe oſtendebant. Præterea membrana inſcripta erat: & inſcriptio docebat, ante annos ferme CCL. Altare illud ab Epiſcopo conſecratum fuiſſe. Cum itaque olim moris eſſet, vt Altaria eo pacto conſecrarentur, vti dicebamus, & ſpecies per illud æui ſpatium, non ſine prodigio, manſiſſent, conſtanter affirmandum videtur, illas adorandas fuiſse. Sanè nec ſapor defuit, vt mox ſumentis experimento comprobatum fuit. Hodie tamen aliud ſeruandum eſt. Licèt enim olim hoc aliquando vſurparetur, non tamen id cogit, vt hodie quoque vſurpandum ſit. Ad quam ſententiam confirmandam illud potiſſimum vim habet, quod & in Concil. Carthaginienſi 3. c. 6. (in Codice can. ex Concil. Carthagin. c. 18.) præſcriptum fuit: *Placuit, vt corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt enim a Domino, Accipite, & edite. Cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere*, nimirum hoc Sacramentum ſpiritale præbet alimentum, & in hoc ſeruandum eſt. Vt verò cadaueri detur, vt in Altaribus deponatur, hæc ratio non permittit. Alterum illud, interdictum etiam

can. Trullan. 83. Σώματι νεκρῷ μή τις τῶν ἁγιασμάτων μεταδιδότω. *Ne quis mortuo corpori Sacramenta præbeat*. Ad eumdem morem pertinet quod ſcribit Amphilochius in vit. S. Baſil. eum nempe aliquando Euchariſtiam in tres partes diuiſiſſe, *vnamque ſumpſiſſe, alteram reſeruaſſe vt ſecum ſepeliretur; tertiam verò in columba aurea ſuper aram pendente, repoſuiſſe*. Huiuſmodi columbas aureas, & argenteas, in quibus Diuina Myſteria ſeruarentur, ſuper Baptiſteria ſuſpenſas legimus in libello ſupplici, quem Clerus, & Monachi Antiocheni, 5. Synodo obtulerunt, obſeruata hæc alijs. Neſcio an ad hoc ipſum pertineat can. 6. Nicolai Patriarchæ: ὁ τῆς ἁγίας κωλυόμενος δωρεᾶς μηδὲ ὑψουμένης προσφορᾶς ἐσθιέτω, οὕτω γὰρ ἐν τῷ βίῳ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ Συκεώτου εὕρηται. *Qui a ſancto munere arcetur, nec oblationum in ſublime elatarum particeps fiat, ſic enim in vita S. Theodori Sycrota* [perſcriptum] *reperitur*. Obſeruant etiam quod apud Gregorium lib. 2. Dialog. c. 24. ſcriptum eſt de puero Monacho, cuius cadauer ſemel atque iterum terra eiecerat. Nam parentibus S. Benedictus manu ſua protinus Communionem Dominici Corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum Corpus ſuper pectus eius cum magna reuerentia ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit. A cadauere haud longè abeſſe videtur qui cum morte luctatur, & ſenſum amiſit, qui iam nec comedere, nec bibere poteſt, de hoc agit Græcus Interpres, morem tamen quemdam inungendi, & tangendi deſcribit minus ab Eccleſia receptum: niſi fortè Sacramentum exeuntium intelligit. Cum enim Nicephorus Patriarcha ſcribat, etiam poſtquam cibum deguſtauerit, imperciri oportere ſacrã Cõmunionẽ ægro in diſcrimine vitę conſtituto, addit hæc verba: *Beatus autẽ Ioannes ſic ait: His, qui ad extremã debilitatẽ deuenere, & iam exiliter quidẽ reſpirant, planè tamen ſenſu deſtituti ſunt, & neq; bibere, neq; comedere*

poſſunt, Sacramenta impertire non oportet: ſed per horũ conta-ctũ, & inunctionem tum labia, tum lingua ipſorũ obsignanda. Hodie ad ægros Euchariſtia deferenda eſt vt ſumant, non vt adorent, aut deoſculentur, cum ſumere nequeunt. Contrarias conſuetudines vim non habere placuit Pio V. vt & Romani Proceres teſtantur. Complures alij ſimiles mores antiquati ſunt. In can. 101. Syn. in Trull. decretum fuerat, Segregandum eum eſſe, qui Domini Corpus immaculatum percepturus, non manus extendens, καὶ ϛαυροειδῶς χειρίζων, ideſt, *& in Crucis modum conformans*, illis ipſis illud acciperet, ſed receptaculo quopiam recipere mallet. Ad quæ Græc. Interpr. *Cum nimirum quibuſdam religio eſſet, manibus oblationem recipere, aurea, vel argentea vaſa parabant, & in his ſumebant. Hoc igitur abrogat, omnium pretioſiſſimum hominem dicens.* Quin etiam domum deferebant Euchariſtiam, & in Arca ſeruabant. In Actis Martyrum de Domna, & Inde: fictile præterea thuribulum, & lucerna, & lignea arcula, in qua repoſuerant ſacram oblationem, cuius fiebant participes. Nec tamen temporibus illis naſcentis Eccleſiæ per hæc veneratio decreſcebat, quin potiùs intendebatur. Tertullianus de cor. mil. docet, ſpecies etiam communes, maiores noſtros, vt venerationem Diuinorum hoc etiam pacto conteſtarentur, religiosè tractaſſe. Calicis, aut panis, etiam noſtri, aliquid decuti in terram, anxiè patimur. Sed hæc, & alia plura pridem ab alijs obſeruata. In pſeudo-Synodo ad quercum, inter alia B. Ioanni Chryſoſtomo obiectum fuit, quod poſt Diuinorum Myſteriorum perceptionem, vt Nicephor. ſcribit lib. 13. c. 9. paſtillum deguſtaret in throno; in quo & indueretur, & exueretur, propter ſputum nimirum hoc faciebat Chryſoſtomus, ſi faciebat. Huius nefarij Conciliabuli capita exſtant etiam poſt Commentariolum Harmenopuli de Sectis, & apud Photium in Bibliotheca: & inter alia, tamquam crimen, hoc quoque recenſetur de paſtillo ſumpto.

Ad l. Iul. Maieſtatis. Ex ea demptum crimen, ſi quis Imperatori maledixerit. *Cap. XXVII.*

A DIVINA ad humanam Maieſtatem, a Templo ad Aulam deſcendamus. Duplex eſt iudicium Maieſtatis: *Perduellionis* nempe, & *Maieſtatis*. Sic enim γενικῶς vſurpari *Maieſtatem*, probat l. vlt. ad l. Iul. Maieſt. Sunt & alia huiuſmodi apud noſtros: *Cognatio*, *Adoptio*, *Iuriſdictio*. Ita ferri poſſunt quicumque crimen Maieſtatis, morte finiri negarunt. Nam manifeſtò Perduellionem ſignificabant. Apud Tacit. Annali 4. ideo putant Piſonem reum nõ fuiſſe peractum ob mortem opportunam, quia ſermonis cõtra Principem crimen morte obliteretur, Maieſtatis verò non; quaſi Maieſtatis crimen tunc minimè cenſeretur, ſi quis Principi maledixiſſet, vt eo ipſo loco, item Annali 1. & alibi Tacitus ſcribit, non enim eadem in iudicium veniebant, quæ olim, cũ dicta impunè erant. Verùm, vt diximus, Perduellionem intelligebant, aut intelligere debebant. Poſteriores, ad Maieſtatem id promiſcuè pertinere noluerunt, l. 7. famoſi, ad l. Iul. Maieſt. quo tamen loco Modeſtini verba Tribonianum immutaſſe ob l. vn. C. ſi quis Imp. maledix. plerique opinantur. Nam Paullus ſententiarum lib. 5. tit. 29. verba quoque ad hoc crimen trahit: quod ſub Tiberio præſertim obtinuit. Senec. lib. 3. de benefic. c. 26. *Sub Tiberio Cæſare fuit accuſandi frequens, & panè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ſermo, ſimplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis ſæuiendi placebat occaſio, nec iam reorum exſpectabatur euentus, cum eſſet vnus.* Idem Dio, Sueton. alij. Marcellin. lib. 14. Excogitatum eſt ſuper his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipſa parum cauendi,

Digitized by Google

ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta deſtinarentur, relaturi, quæ audirent. Hi peragranter, & diſſimulanter honoratorum circulis adſiſtendo, peruadendoque diuites domus, agentium habitu, ſi quidquam noſcere poterant, vel audire, latenter intro-miſſi per poſticas in Regiam nunciabant, id obſeruantes conſpiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes verò ſupprimerent Cæſaris quas inuitis compluribus formido malorum impendentium exprimebat. Et interdum acciderat, vt ſi quid in penetrali ſecreto, nullo citeriore eius vitæ miniſtro præſente, pater-familias vxori ſuſurraſſet in aurem, velut Amphiarao referente, aut Marcio quondam vatibus inclytis, poſtridie diſceret Imperator. Ideoque etiam parietes arcanorum ſoli conſcij timebantur. De Sabini fœdiſſima delatione ſcribens Tacitus Annal.lib.4. ſimiles artes refert. Per *Frumentarios*, poſteriores Principes occulta quæque explorabant, vt ſcribit Spartianus & Victor. *Otacuſtas*, & *Frumentarios* Zonaras alicubi deſcribit. Varia exempla proferre licet eorum, qui ſermones exciperent, & captatorum perfidiſſimum genus profert Arrian. Diſſert. Epict. lib. 4. c. vlt. Hi loquaces facilè capiebant, ſermones de Principe miſcentes. Verba illius: *Aſſedit tibi miles priuati habitu, & Principi maledicere incipit: hinc tu quaſi fidei pignus ab eo acceperis, quod prior maledixerit, ipſe quoque ſenſum tuum promis, mox vinctus abduceris.* Quin & tempora incuſare, idem erat ac Principi maledicere, vt ἐν τῷ πλάτει relatum dicit Interpræs βασιλικ. lib. 60. tit. 36. Nam quidam ſupinè, & facilè erumpunt, quod dicant ſe malis annis natos, contra Principes temporum ſuorum felicitatem ſæpè extollunt, vt & virtutes, & pacem, & caſtitatem, §. 1. quibus mod. tutel. finit. quibus nil frequentius occurrit. Laudat & Tacit. in Agricol. *temporum felicitatem*, & Plin. in Panegyr. orationibus diſcernendam eſſe temporum felicitatem dicit. Quod

verò

verò Seneca ſcribit, *omnis ſæuiendi placebat occaſio*, eſt id quod Modeſtinus ſugillat in d.l. 7. dum ait: *hoc tamen crimen a iudicibus non in occaſionem ob principalis Maieſtatis reuerentiam habendum eſt, ſed in veritate*, quam ſcripturam referunt Florentinæ Pandectæ, licet quidam pro *occaſione*, legant *accuſationem*: inter quos Duarenus eſt, ſed falſi ſunt. Salluſt. in Catilin. in orat. Cæſar. numquam ipſi per occaſionem talia fecere. Spartian. in Caracallo: Neque ceſſauit vmquam ſub diuerſis occaſionibus eos interficere, qui fratris amici fuiſſent. Gloſs. vett. Occaſio, Πρόφασις, Αἰτία, Εὐκαιρία, Ἀφορμή. Baſilius Patritius in Decretis Symmachi Papæ: *Concordia principaliter ſeruetur Eccleſia ne per occaſionem ſeditionis ſtatus Ciuilitatis vocetur in dubium* de hoc plura in his libris iam dixi Illius Theodoſianæ Conſtitutionis verba referam, quod aurea ſint. Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, cum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere, quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab iniuria, remittendum. Vndè, integris omnibus, hoc ad noſtram ſcientiam referatur, vt ex perſonis, hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus. Digna verba ſunt, quæ Principes repetant, & ſibi propoſita velint. Auguſti clemens, & vrbana reſponſio, cum ad Aeliani accuſatorem conuerſus, commotoque ſimilis dixit: *Velim hoc mihi probes: faciam, ſciat Aelianus, & me linguam habere: plura enim de eo loquar*. Suet. Aug. c. 51. Sed. & in can. 54. & 83. SS. Apoſtolorum interdictum, ne quis Principem, ne quis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia adficiat. Græci ad eum locum notant, Contumeliam vetitam eſſe, non admonitionem, aut repræhenſionem.

nem, addito c. 13. lib. 60. βασιλικ. nimirum d. l. vn. C. ſi quis Imp. maledix: Maieſtatis igitur crimen, vno excepto perduellione, exſtinguitur mortalitate, d. l. vlt. & dicitur perduellionis reus, hoſtiliter aduerſus Rempublicam, vel Principem animatus. In Gloſſis: *Perduelliones*, οἱ κατὰ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων βουλευόμενοι, ἢ κατὰ βασιλέων. In Gloſs. iuris: Τὸ περὶ Κατοσιώσεως. τὸ περὶ προδοσίας, καὶ ἐπιβουλῆς βασιλέως. *crimen proditionis, & inſidiarum in Imperatorem*. Eclog. lib. 60. ὁ περὶ τῶν ἐπιβουλων νόμος. *lex Maieſtatis* eodem pacto dicitur & tit. 36. οἱ ἡμαρτηκότες καθοσίωσιν, *rei Maieſtatis*, vt ἐπὶ τυραννίδι ἐλεγχθεὶς *perduellionis conuictus*. illa rurſus ibidem gemina ſunt Gloſarum verbis: περὶ καθοσιώσεως ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου τῆς προδοσίας, καὶ τῆς κατὰ βασιλέως ἐπιβουλῆς. Horum etiam memoria damnatur, quod pertinere videtur ad pœnam, quæ poſt mortem irrogatur, l. fin. C. eod. Theophil. lib. 3. c. 1. *licet crimina morte exſtinguantur, hoc & aduerſus defunctos exercetur*. Idem Theophilus perduellionis crimen τῆς τυραννίδος ἔγκλημα vocat; & quem *reum* Iuſtinianus dicit, ipſe *Tyrannum* appellat lib. 4. tit. 18. quod Græci præſertim paſſim vſurpant, intelligunt autem eum, qui Principis nece Tyrannidem affectet, ideoque factum, vt veluti domino ſeruus, ſic Imperatori Tyrannus opponi credatur. Latin. Pacat. in Panegyric. Theodoſio dicto: *Talis denique tuis offertur occulis, qualem offerri decebat victori captum, domino ſeruum, Imperatori tyrannum*. Vocauerat Latinus *reum* ſupra hunc ipſum Maximum, quem poſtea *tyrannum* dixit. Euſtathius de temporib. Conſtitutionem refert, quæ addenda eſt tit. Codicis, de bon. proſcript. ſeu damnat. referunt & Græci lib. 60. Baſilic. & demum antiquata fuit, Nouell. 143. c. vlt. Præcipiebat, vt detinentes bona eorum, qui perduellionis damnati fuiſſent, ea intra certum tempus Fiſco deferrent. Quo loco Interpretes Græci notatu id dignum eſſe dicunt de ijs, qui detinebant bona *tyrannorum*. Lamprid. in Heliogabalo; *Miſit qui in*

caſtris

caſtris ſtatuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri ſolet de tyrannis. Spartian. in Hadr. *Tatianum, vt conſcium tyrannidis, & argui paſſus eſt, & proſcribi.* Vide & can. 30. SS. Apoſtolor. Sed quid dicemus de eo, quod notant quidam, Maieſtatis, perduellionis, tyrannidis damnatos, non modò ipſos perditos olim, ſed memoriam etiam, nomenque eorumdem adflictum fuiſſe? ſic enim videntur ſentire, in crimine quoque maieſtatis, non ſecus ac perduellionis, vltra mortem fuiſſe ſæuitum, olim quidem perduellionis reo crux deſtinabatur: quem, veluti Regium morem, inſectatur M. Tullius, & vſurpare voluiſſe Labienum contra Rabirium, Populo Romano narrat in ea oratione, quam pro eodem Rabirio perduellionis reo ad eumdem populum habuit. Porcia lex expreſsè ciuem Romanum carnifici, & virgis eripuit. Liu. lib. X. *Porcia lex ſola pro tergo ciuium lata videtur, quod graui pœna, si quis verberaſſet, necaſſetue ciuem Romanum, ſanxit. Valeria lex, cum eum, qui prouocaſſet, virgis cædi, ſecurique necari vetuiſſet, Si quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltra, quam improbè factum adiecit.* Igitur Valeria imperfecta lex fuit. C. Gracchus quoque legem tulit, Ne de capite Ciuium R. iniuſſu populi iudicaretur. Cæſar. apud Salluſt. Catilin. *tunc lex Porcia, aliaque leges paratæ ſunt, quibus legibus exſilium damnatis permiſſum eſt* In crimine perduellionis exſilij pœnam commemorat, & Valerius lib. 6. c. 5. ſed tamen antiquitus etiam, ſiqui deueniſſent in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem, more maiorum, morte mulctati, vt Manlius Capitolinus, & alij: vt recentiùs ipſi coniurati, M. Tullij tempeſtate: quibus Cæſar obtentu harum legum fruſtra conſulere niſus eſt, quæ ſanctio ex XII. fluxiſſe videtur, l 3. cod. Itaque ſiue vltimo ſupplicio afficerentur, ſiue fato natura concederent perduellionis rei, tamen adhuc memoriæ, nominiſque caſu pœnas dabant, illorumque bona fiſco addicebantur: maieſtatis verò crimen haud indiſtinctè morte vindicabatur,

&

& ſi ſuperueniſſet, oblitterabatur. Neque minus tamen memoria periclitabatur, licèt non mors, ſed exſilium irrogatum eſſet. Sed & ſtatuæ damnatorum trahebantur, vel detrahebantur, l. 24. eorum, de pœn. Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca, ſummam ignominiam eſſe dicit, ſi tollantur inſcriptiones: & legem Athenis fuiſſe ſcribit, vt eius, quem ob ſcelus mori oporteret, nomen e publicis tabulis eraderetur. Hodie Inſignia, quæ *Arma* vocant, pro ſtatuis detrahenda eſſe dicunt, rectè volunt præterea, hoc crimen vltimo ſupplicio vindicari: quod indiſtinctè verum eſſe, vix adhuc mihi perſuadere potui. Nam in Pandectis exſtant adhuc veſtigia priſcæ pœnæ: nec tales antinomias relictas fuiſſe facilè credam. Dicunt quidam, d.l. 24. antiquatam eſſe ex his, quæ in l. 5. & 7. C. eod. tit. habentur, poſſit etiam videri loqui de mitiori pœna ex indulgentia. Legimus enim & olim ob maximum coniurationis crimen in inſulam reos exactos, vt de Criſpino ſcribit Tacit. Annal. 16. & vt apud eumdem Lepidus pro Lutorio ſentire videtur, lib. 3. Sed quomodo accipiemus l. 40. Metrodorum, de pœn.? olim ſanè pro libidine Principum, quidam in exſilium eo nomine mittebantur, denique tamen ferme mori iubebantur, & vt tunc loquebantur, Senatus ius exſpectabatur, vt idem Tacit. de Caſſio in Sardiniam deportato ſcribit eodem lib. 16. S. Conſultum ius dicitur: dicta & Magiſtratuum edicta, inter alias iuris ſcripti ſpecies. Aliquando & ſpecie ſeceſſus, aut honoris, exſilium irrogabatur, vt de Tiberio, & alijs legimus. Antiqui Scriptoris de Iuuenale fragmentum: *Venit ergo* Iuuenalis *in ſuſpicionem, quaſi tempora figuratè notaßet, ac ſtatim per honorem militiæ quamquam octogenarius, Vrbe ſummotus, miſſuſque ad Præfecturam Cohortis in extrema parte tendentes Aegypti*. Igitur non erit fortè a benignitate iuris alienum, ſi dixerimus, crimina quædam, Maieſtatis lege compræhenſa leuiùs puniri, nec de his Imperatores loqui in Con-

ſtitutionibus, quibus vltimum ſupplicium irrogarunt: vt contra, dederim hæc ipſa quandoque vel ratione perſonæ vel ſimili alia ex cauſa exacerbari. Tradunt etiam, perduellionis reum fieri, qui ſummam Reipublicæ tentet, cuius caput eſt Princeps; Maieſtatis vero crimen in eum cadere, qui certis alijs caſibus Rempublicam, aut Reipublicæ partes læſerit. Poſtea tamen Arcad.& Honor. in d.l.5. vnum crimen eorum fecere, qui contra Principem factionem ſuſceperint, quiue cogitauerint de nece Illuſtrium virorum, qui ſint ad latus, vel in Conſiſtorio Principis, aut etiam Senatorum. Hodie id locum haberet in Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ. Pontifices id expreſsè quoque ſanxere, c. 5. de pœn. in 6. Horrendum eſt perduellionis crimen: adeo vt per illud, pœna ſuos auctores egredi alicubi dicatur, & ad filios quoque pertingat, d. l. 5. §. filij, C. ad l. Iul. Maieſt. quod tamen viri quidam doctiſſimi ad terrorem potius pertinere voluerunt, vt præſertim conueniat cum l. 22. ſancimus, C. de pœn. Verùm illi nimis benigni ſunt, & lenes ſupra lenitatem Imperatoriam, qua ſatis pœnam euitare dicuntur filij, vita conceſſa. Arnob. lib. 1. *in vltionem maieſtatis offenſa inteſtinas exerant, experianturque virtutes.* Crudelis ſanè ſanctio, quis neget? ſed antiqua tamen, & omnium Ciuitatum communis, vt ait Cicero. Sic enim charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ reddet. Hinc in declamatione quadam Procopij Sophiſtæ, tyrannicidæ mulier filiorum vitam optabat, adſcribam προθεωρίαν ex libro ſcripto, quod opus nondum editum ſit, quod ſciam. Lege ſancitum erat, poſt tyrannum, & filios mactari. Alia lex, Tyrannicida quod voluerit, petat, vxor tyranni, trucidato viro, filios optat. Declamatio eſt pro Tyrannicida, vt ſequitur: μελετῶμεν τὴν ὑπὲρ τῆς τυραννοκτόνου λέγοντα. ἡ στάσις ἀντινομία. *ſtatus Antinomia.* Quòd tamen Principes huiuſmodi iudicia ſæuiùs, & acriùs exerceant, vt cæteris

atro-

atrocitate pœnarum terrorem incutiant, ſibique conſulant, quantùm cognitoribus licuerit, res temperanda, reus hic non erit, niſi ſubditus: Princeps non niſi ſummus, ratione Feudi, neutrum intelligemus. Præcipua huius iudicij ſunt, quòd ad accuſandum, etiam famoſi, & mulieres admittuntur, l. 7. famoſi, l. 8. in quæſtionibus, eod. Serui quoque in Dominos torquentur, & accuſatores, ſi opus fuerit: nec vlla dignitas a tormentis eximit, l. 3. 4. & pæn. in C. diciturque proximum Sacrilegio crimen ab Vlpiano in l. 1. ita vt quandoque confundantur. Impietatis crimen dictum Dioni Caſſio, ἔγκλημα τῆς ἀσεβείας. Gloſſographus καθοσιώσεως ἔγκλημα appellat: Nam Græci nulla voce Maieſtatis parem vim exprimere poſſunt. Apud eumdem, καθοσίωσις, *Deuotio*, *Dicatio*, *Maieſtas*, at μεγαλειότης non *maieſtas* eſt, ſed *magnitudo* potiùs, a qua *Maieſtas* ipſa dicitur, & per quam a M. Tullio deſcribitur in Partit. orator. Græci βασιλικ. lib. 60. tit. 55. *Sacrilegium* pro *maieſtate* dixerunt: ἐὰν δὲ ῥᾳθυμήσωσιν, ὑποκείσθωσαν τῷ τῆς ἱεροσυλίας ἐγκλήματι: quod Zeno dixit, *Maieſtatis crimen incurrere*, l. vn. C. de priuat. carcer. Quin etiam Pontifices probarunt, in hoc crimine de ſe confeſſo credi poſſe ſuper crimen alienum, ex decreto Iulij Romani Pontificis, c. 5. 15. q. 3.

Deductio iuris a iuſtitia, in l. 1. de iuſt. & iur. pacti a pactione, in l. 1. de pact. De conuicio, in l. 15. de iniur. Gloſſæ vett. & Gloſſæ iuris emendatæ. Cap. XXVIII.

IN ipſo Iuriſ-prudentiæ limine ſtare cogimur, ſub-obſcura enim eſt ſententia Vlpiani in l. 1. de iuſt. & iur. Ait: *Iuri operam daturum, priùs noſſe oportet, vnde nomen iuris deſcendat, eſt autem a iuſtitia appellatum. Nam, vt eleganter Celſus definit, Ius eſt Ars boni, & æqui.* Græci

Νόμος δὲ τέχνη τοῦ καλοῦ. Sanè non minùs obſcurum videtur quod dicitur, *Ius a iuſtitia appellatum*, quàm difficilis ratio, qua ex ſententia Celſi id ipſum probatur, quid? nonne hìc ordo verborum eſt, vt *ius* in-primis ſtatuere oporteat, a quo ſit *iuſtum*, & ex hoc *iuſtitia*? Quod & Grammatici magno ſupercilio, vel contra Vlpianum contenderent: nimirùm δίκην dici, mox δίκαιον, δικαιοσύνην. Eat igitur I. Conſultus in ius Grammaticum, quod Criticus aliquis γραμματικώτερος iuſſerit. Sed I. Conſulti iura dant. Sanè, ſi hoc principium Celſo damus, Inter alias iuris acceptiones, & hanc obtinere, vt dicatur *Ars boni, & æqui*, facilè rem hanc expediemus. Duo explicanda ſunt: quòd ius a iuſtitia dicatur: quòd item huius rei ratio a definitione iuris petenda ſit. Scio, de primo & alios egiſſe: non ita luculenter de altero, ſed ex hoc pendet, & illud, de hoc igitur priùs dicamus, de vtroque dicturi. Hanc definitionem I. C. omnibus probari, & veluti conceptionem quamdam recipi, ponendum eſt. Omnis Ars principia quædam ſibi vindicat, ſiue definiat, ſiue petat, ponatve. Alia quoque plura Ius ſignificat, ſed ſi ius eſt Ars boni, & æqui, erit & Ars iuſti, cum æquitas iuſtitia quædam ſit. Ideoque Vlpianus infert ex eo, huius nos meritò Sacerdotes appellari poſſe, quod iuſtitiam colamus. Chariſ. ex 7. Origin. Caton. *iurum, legumque cultores*. Dicamus itaque, Ius eſſe Artem eorum, quæ ad iuſtitiam pertineant, Conſequens erit, iuſtitiam in-primis ſtatuendam eſſe: mox eorumdem, quæ ad iuſtitiam pertineant, erit Ars. Nempe Ars poſterior eſt his, circa quæ verſatur, & ex obſeruatione deſcendit. Ita ius, ſi pro Arte boni, & æqui accipiatur, a iuſtitia ducitur. Sed adhuc a nobis Grammatici quærent (faſtidioſa natio!), ecqua ſit nominis, & appellationis ratio. Nam hæc phyſica potiùs videntur, Vlpianus autem, & de *appellatione* tractat, in qua ipſi toti ſunt, & a qua pendent. Nimis moleſti ſunt: & ne integro

anno

anno cum his rixandum habeam, e re fuerit, aliorum exemplo, illos ad Iſidorum, ad M. Tullium, ad Ariſtotelem ablegare, quibus Venus a venuſtate, ſedere a ſeſſione, Sapiens a Sapientia, Homo ab humanitate: Vir etiam a virtute, & verum a veritate, appellantur. Iſidor. lib. 10. *Verus a veritate, hinc & verax, maior eſt veritas, quam verus, quia non eſt veritas a vero, ſed verus a veritate deſcendit*. Nec eſt, cur ardeliones iſti, quibus inflexionum vices, aut ſuperſtitioſa elementorum penſitatio, modulus eſt ſapientiæ, Originationes iſtas ordinem denominationis peruertere dicant: Nam is eſt ordo naturæ, quæ violanda non eſt, vt Grammatiſtas ſequamur. Idem Iſidorus: Licèt origo nominum vnde veniat, a Philoſophis eam teneat rationem, vt per denominationem Homo ab humanitate, Sapiens a Sapientia nominetur, quia priùs Sapientia, deinde Sapiens: tamen claret alia ſpecialis in origine quorumdam nominum cauſa, ſicut homo ab humo, vndè propriè eſt appellatus. Et quamquam I. Conſulti noſtri ſæpiùs in his imitatione Stoicorum nimis religioſi fuerint, hoc tamen e re ipſa petitum videtur, vt explicauimus. Iuſtinian. Nouell. 69. ius Grammaticum extimuiſſe videtur, ſcribit enim: τὴν τὰ δίκαια πᾶσι βραβεύουσαν, φαμὲν δὴ τὴν τοῦ πράγματος ἐπώνυμον δικαιοσύνην. id. *Nomine rei ſanè congruente, iuſtitiam dicimus, quæ omnibus iura diſtribuat*. Sed illa priori ratione pacti quoque, & pacis originem ad pactionem reuocamus, l. 1. de pact. Pactum, & pax, pacta ineundo, ideſt pactionibus conficiuntur, l. 12. in bello, de capt. & poſtlimin. Nam actus paciſcentium, & conuenientium præcedere oportet, qua ratione & pacta, & contractus aliquando facti dicimus, l. 7. conſilio, §. vlt. de curat. fur. l. 27. ſi vnus ex argentarijs, §. pactus ne peteret, de pact. Nec tamen hinc ſequitur, vt dicamus, pactionem, non pactum a I. Conſulto poſtea definiri: nam eam ſententiã ſequimur, quæ ait, pactionem pro ipſo pacto mox

vſur-

vſurpari, & certo fine comprehendi, l. 3. de pollicit. Cum dicimus, pactum a pactione dici, per pactionem, paciſcentium conuentionem, & quod antea facti interceſſerit, intelligimus, ſed hæc facilè confunduntur. Ad rem ipſam referenda ſunt, & illa: damnum, & damnationem dici ab ademptione, & quaſi patrimonij deminutione, l. 1. de damn. inf. militem a militia, non arte illa quidem, ſed duritia: exercitum ab exercitatione, l. 1. de teſt. milit. nouationem non tantùm a nouo, ſed a noua etiam obligatione, l. 1. de nouat. liberos a libertate, §. 1. de iur. perſon. de quo ſcripſi antea. Suſpicatus ſum aliquando, eamdem rationem originationis Vlpianum ſequutum eſſe in l. 15. §. 4. de iniur. Conuicium autem dicitur vel a concitatione, vel a conuentu, hoc eſt a collatione vocum, cum enim in vnum complures voces conferuntur, conuicium appellatur, quaſi conuocium. Nam ὑπέρθεσις eſt forte, ſeu ὑπερβιβασμὸς τῶν στοιχείων: traiectio nimirum, ſeu traductio elementorum, vt ita ſcripſerit: Conuicium autem dicitur vel a Conuiciatione, &c. vel etiam vt Concitationem dixerit κατ' ἀντιστοιχίαν. Niſi concitatio vim exprimit, quam Conuicij vox contineat. Gloſs. vett. Conuiciatur illi, & Conuicium facit. Καταβοᾷ, Ὑβρίζει. & mox: Conuicior, Κάμνω, & rurſus: Conuocat, & Conclamat, & Concitat, Συγκαλεῖ. Conuicium, Καταβόησις. Ὀχλαγωγία. & alibi: Ὀχλαγώγιον, Comicium, videtur emendandum, Conuicium. In Gloſſis iuris ita pariter legendum eſt: Κομβίνιον. ἡ εἰς τὸ φανερὸν ὕβρις, καὶ ἡ βουλὴ, ἤτοι ἐκ τῶν πολλῶν συναγωγή. Emend. Κομβίκιον. Conuicium, ſiue Conuocium facit, & qui concitat ad vociferationem, & qui contra bonos mores, vt Gellij verbo vtar, vociferat, ſit tam præſenti, quam abſenti, & proinde ad domum, ad ſtationem, ad tabernam, vt Vlpianus docet, ex cuius verbis, Græci ὀχλαγωγίαν ita deſcribunt: ἐστι πολλῶν τινων συνοδος, ὅτε πολλῶν λέγει φωναὶ παρὰ τοὺς ἀγαθοὺς τῆς πόλεως τρό-

τος

πον εἰς αὐτὸν (vel εἰς ταυτὸ) συντρέχουσιν ἐπὶ ψόγον, καὶ ἀτιμίᾳ τινός. *Eſt conuentus complurium quorumdam concurrentium ad vociferandum aduerſus bonos mores ciuitatis, ad inuidiam, & infamiam alicuius.* Baſilic. lib. 60. tit. 21. & in Eclog. tit. περὶ στασιωτῶν, ἢ τοι τῶν στάσεις καὶ θορύβους, καὶ ὀχλαγώγια ποιούντων. καὶ τῶν, καὶ τὰ ἑξ. Pertinent hæc ad ea, quæ antea de Canticis, & Pſalterijs ſcripſi.

Stephanus, & Accurſius compoſiti. De Gloſsis Græcis, & Latinis. De Papiniano item, & Bartolo. Cap. XXIX.

PRobabunt, vt opinor, plerique ex Italis meis, quod nunc molior: ſpero nec omnes apud exteras gentes ægre laturos. Nam Gloſſatorem noſtrum olim in Gallia, tamquam Orpheum, aut Pentheum aliquem miſerè, fœdèque diſcerptum, ac dilaniatum, mox apud eamdem benè litteris excultam gentem, contra Bartolum ipſum coronatum vidimus. Ego quidem hoc modo non ago, vt Interpretes noſtros inter ſe committam: Sed Accurſium non eum eſſe opinor, quem Italiam protuliſſe, nos pænitere debeat. Recudantur quæ ad Hiſtoriam, aut ad linguarum peritiam pertinent: inducantur deliramenta quædam Viuiani, eorumue, qui paraphraſes, & theorias neſcio quas confinxere, quibus gloſſemata Accurſiana reſperſa ſunt: & habebunt Latini Gloſſatorem, qui vel doctiſſimum quemque Græcorum non temerè prouocare poſſit. Eos appello, qui iuris libros nocturna, diurnaque manu verſant. Qui ab eo exigunt, quod præſtare non potuit, maiorum manibus iniqui ſunt. Accurſium tamen non omnium gloſſematum Auctorem fuiſſe, ſed ea potius vndequaque ex varijs antiquis Gloſſo-graphis collegiſſe, & his ſua quo-

que

que addidiſſe opinor. Sanè in antiquis libris, Accurſij gloſſemata a cæteris diſtingui, & quamplurima diuerſorum Auctorum nomen præferre video: Seruoti nimirum, Ioannis, Vberti, Hugolini, Martini, Alderici, Azonis, & aliorum antiquorum Gloſſo-graphorum, tantum abeſt, vt gloſſematum omnium Auctor Accurſius fuerit. Sed veluti Gloſſatorum anteſignanum, non abſurdè Accurſium, gloſſam vulgò vocitant. Græci antea eadem appellatione vſi ſunt. Nam & ipſi inter ſuos Interpretes, Thalelæum, & Stephanum præcipuos habuere, illum *Iuriſ prudentiæ oculum*, hunc *Gloſſam*, ſeu *linguam legum* dixere. Demetrius Syncellus Metropolitanus Cyzicenus in Melete quadam, cum Stephani ſententiam retuliſſet, mox hæc verba adiecit: καὶ ταῦτα μὲν ὅτι τουωνὶ τῶν νομων γλῶσσα ὁ Στέφανος. id. *Et de his quidem in hunc modum* (loquitur) *lingua legum Stephanus*. Præſtantes nimirum I. Conſulti *lingua legum* dicti. Auguſtin. Ep. 1. hemi-ſtichio præpoſito: — *& multum terret factura ſecurum*: *Præcipuè Apoſtolorum linguas exhortor vt legas, ex his enim ad cognoſcendos Prophetas excitaberis, quorum teſtimonijs vtuntur Apoſtoli*. Valentinianus Quæſtorem *Armarium legum* appellauit: Marcianus ius honorarium *viuam vocem iuris ciuilis*: Balſamon Charto-phylacem *Dextram, os, & labra Patriarchæ*. Præco item *vox Iudicis*, aut *vox legis* Iuſtiniano eſt: Carnifex *manus legũ* Synefio. Vt Gloſſæ vox pro Gloſſatore apud nos etiam accipiatur, nõ malè ſuſpicari poſſumus, indè fluxiſſe. Multa per manus tradita ſunt, vt alibi ſcripſi. Habuerunt igitur Græci Stephanum, quẽ Accurſio opponant: Habent Latini Accurſium, quẽ cum Stephano componant. Critici recentiores, *Gloſſam*, vnius verbi, vel nominis interpretationem eſſe dicunt: *vt catus, ideſt doctus*, vt vult Alcuinus Caroli Magni magiſter, quod Auctori ſuo probandum relinquo. Iſidorus etiam Origin. lib. 1. c. 29. & lib. 2. c. 30. a Philoſophis Aduerbium dictam eſſe ait, vel potius *Ad verbum*,

Digitized by Google

bum, ὀρ' ς ἔπος. Verba illius: Gloſſa, græca interprætatione, linguę ſortitur nomen. Hanc Philoſophi Aduerbium dicunt: quia vocem illam, de cuius qualitate requiritur, vno,& ſingulari verbo deſignat. Quid enim illud ſit, in vno verbo poſitum declarat: vt Conticeſcere, eſt tacere. poſtremo addit:& omnino, cum vnius verbi rem vno verbo manifeſtamus. Iuxta quam ſententiam, Gloſſa vno verbo, vnaue voce conſtaret. Sed profectò Gloſſas aliter Veteres accipiebant. Nam ex Ariſtot. Galeno, Polluce, Suid.& Quinctiliano lib. 1. c. 1. intelligere licet, priſcos, Gloſſas appellaſſe linguam ipſam ſecretiorem. Poſtea obtinuit, vt Interprætationes obſcurarum vocum Gloſſæ dicerentur. Quod vt ex malè detortis, & prauè perceptis veterum verbis fluxiſſe conſtat, ita hoc interpretandi genus haud longa oratione concipiendum eſſe, receptum eſt. Centones noſtros Gloſſis benè farctos, qui videre cupit, antiquos libros inſpiciat, in quibus & interprætationes verborum, & παρεπομεναὶ viſuntur, tum ἔξωθεν, tum ἔσωθεν κειμέναι: vt & in Græcis quibuſdam libris reperiuntur, Scholiorum, quæ in fronte adſcriberentur, eorum item, quæ adnotata eſſent extrinſecus, mentio βασιλικῶν lib. 60. tit. 51. Par iſtud I. Conſultorum non infeliciter, vt opinor, produxi. Sunt verò, qui & alia exhibere nitantur, & præſertim Bartolum cum Papiniano componant. Vereor de exitu,& neſcio, an iſti ex æquo certamen hoc inire poſſint neſcio, an ſatis vterque decretorijs armis inſtructus ſit. De Papiniano multa, & præclara ſcripſere veteres, nec facilè tam laudatum ab antiquitate I. Conſultum reperias: vt rem arduam aggrediantur, qui aliquem ex noſtris cum eo conferre velint. *Aſylum iuris*, & *doctrinæ legalis Theſaurum* dixere. Spartianus ſic eum appellat in Seuero. Dicti nempè homines ipſi *Theſauri*, aut *Bibliothecæ*, feſtiuis laudationibus. Eunapius Sardianus, Dionyſium Longinum Rhetorem, ἔμψυχον βιβλιοθήκην idest *Spirantem Bibliotheca*m

eam, ſeu *viuum Muſæum* vocat. Obſeruant alij, quemdam a Platone θύλακον λόγων, *rationum*, vel *orationum ſaccum* appellatum fuiſſe: a Niceta Balſamonem *iuris lucernam*: λύχνον nimirum ταῖς τῶν νόμων τηλαυγέσι λάμψεσι. His equidem, alijſque ſimilibus, Bartolum laudaſſe priores, nemo non nouit. *Legum Saccum* dixerunt, *iuris lucernam* appellarunt, nec opus eſt, vt ego tam lepida, tam vrbana, diſertaque noſtrorum encomia infercire ſtudeam: ne quis aliquid horum me ſuffuratum eſſe cauſetur. Sed dicamus, vt & alibi retulimus, quoſdam olim ſiue notandi, ſiue replendi, vel explicandi ſtudio, in Papinianum Notas ſcripſiſſe: Complures item, & inſtructiſſimos I. Conſultos ab eo profeciſſe, Florentinum, Martianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venuleium, vt ſcribit Lampridius; quem tamen in quibuſdam falſis vir doctus arceſſit. In eo quoque a Bartolo Papinianum referri probabunt, non enim defuerunt qui Bartolum æmularentur, vt Baldus: qui Magiſtellum dicerent: qui nomen illius allatrarent: (quod ego quidem de Papiniano non legi) vt Signorollus Homodæus, adeo Bartolo, eiuſque nomini infenſus, vt opiniones ipſius fantaſticas dixerit, plures item, & doctiſſimos ab eo profeciſſe, fama eſt, hodieque vidimus homines, qui tamquam acceſſiones acceſſionum nobis exhibere vellent, (ſæculum inficetum!) in Bartoli Commentaria opere iuſto Commentarios libros ſcriptitarunt. Nec de auctoritate I. Conſulto concedent, quamquam ingens Papiniani fuerit: intantum, vt inter pares ſententias, eas dico, quæ aſſertorum æquali numero niterentur, illa obtineret, & potior haberetur, in qua Papinianus eſſet, vt in Codic. Theodoſ. lib. 1. de Reſp. Prudent. proditum fuit. Numeri enim omnimodam rationem in controuerſijs habendam eſſe, Papinianum verò, vt ſingulos vincere, ita duobus cedere, placuit. Vtrumque a Iuſtiniano ſublatum l. 1. §. ſed neque, C. de vet. iur. enucl. poſtremum rurſus

poſto-

poſterior, & deterior ætas reuocauit, quod vtinam ſine Artis noſtræ pernicie ſit. Nam non modò in Subſellijs, ſed & in Scholis, quod vix ferendum videtur, Catholica audimus in dies. Eamdem quippe auctoritatem vbique terrarum, ſed præſertim in Luſitania, & Hiſpania, aliquando Regia lege lata, Bartolum obtinuiſſe, indicabunt. Quod ſi ad iuuentutis arbitrium re delata, diſceptetur, ſpecioſo apparatu cauſam inſtructam vtrimque videbimus. In Athenæis olim regnabat Papinianus: præcipuo tempore iuris ſtudioſis pulcherrimus Papinianus ſui recitationem præbebat, cum nempe Papinianiſtæ dicebantur, cùm primùm in honorem illius feſtum diem peragebant: per belliſſimam item machinationem in tertium annum a Iuſtiniano introductus Papinianus, & a Græcis Tripertitum volumen *Anti-Papinianum* dictum: nec ante λύται, ſeu λυταὶ, Auditores dicti: quod nomen anno quarto vſurpabant, cum quæſtionibus enodandis iam ingenij vires admouebant. An hæc ipſa de Bartolo dici poſſint, dicant, qui mores noſtros edocti ſunt, hi enim optimè norunt, anno ſecundo nomen ab eodem Auditores accipere, Inſtitutionibus nempe Iuſtiniani perlectis: nec ante ad arcana quæſtionum admitti. Nec manus dabunt, ſi Papinianum Præfectorium dixeris, ſi libellos ſub Seuero egiſſe, ſi inter amicos Principis fuiſſe, docueris. Nam & Bartolum Carolo Imperatori ſimilem operam nauaſſe, & iudicia diſceptaſſe, & maleficos in ordinem redegiſſe, oſtendent. Ad fata cum venerint, vix rationem inuenient, qua freti aliquid de illis παραλλήλως proferant. Prioris non ſolùm acerbum, ſed & infelix, triſte: alterius mite. Nam Papinianus coram ſæuiſſimo Principe ſecuri percuſſus; cuius cineres parentes infeliciſſimi, turbato ordine, compoſuerunt. Bartoli funus mite quidem, ſed fatis, & in eo properantibus: quod, vt nonnulli volunt, haud multum quadrageſimum annum egreſſus eſſet. Quos fata diuidunt,

hi iungere tentant, frementibus, an ridentibus docto-ribus? Hi nempe Bartolum, ſi cum Papiniano conferatur, pumilionem credent. Scio, inter Luſitanos, Goueanum eruditum I. Conſultum peſſimum iuris Magiſtrum Bartolum dixiſſe: Noui tamen eidem gentem illam plurimum tribuere, & olim tribuiſſe. Si qui ſunt præterea eruditi viri, qui iuris docendi rationem illis temporibus vel natam, vel auctam, mox longè, lateque propagatam minùs probent, dent hanc veniam his, qui plures ſequuntur: & eadem illa tempora incuſent, quibus ſumma ingenia, quale illud Bartoli fuiſſe pauci inficiabuntur, in mitiorum Artium, & litterarũ nocte quadam verſabantur. Si in hac litterarum luce poſtliminio mortis Bartolus vel Accurſius aliquis rediret, aliter, niſi fallor, & ipſe ius tractaret, & eam fortè prudentiam labore perpetuo, obſtinataque diligentia nobis exhiberet, quam omnibus numeris abſolutam vix in vno, aut altero æuo noſtro vidimus. Denique magnum omnium pœne gentium eſt præ-iudicium; idque nec ipſos Bartolo-maſtigas latere ſcio: quod vetus ſit opinio, inter Iuris Interprætes, primas tenere Bartolum. Tulit quidem & ætas noſtra, quos Papiniano comparare, fortè minus inuidioſum eſſet: ſed ſcripſere ſæculo, in quo non minùs æquitas, quam iudicium deſideretur. Illud iniquiſſimum eſt, quod illi Iudices nobis ſedent, qui diſceptant, quæ ignorant.

Antichreſis, quando permiſſa Αντιφώνησις. *Hyperocha. Superfluum. De pecunia conſtituta. Gloſſæ iuris emendatæ.* Cap. XXX.

PRo *Antichreſi* apud Marcianum antiqui iuris Interprætes *Antiphonam* ſubſtituebant: pro *Hiperocha* apud Tryphoninum, *Hypothecam*, quod & alij poſteriores faciebant.

Digitized by Google

bant. Nimirum quid eſſet vtrumque, vtrique ignorabant. Similia pleraque notari poſſunt. Nec ideo tamen hominibus non malè omnino, vt quidam volunt, de Iuriſ-prudentia meritis illudendum. Nunc autem triumphantur, & de illis ita plerique loquuntur, vt mitiùs excipi potuiſſe credam, ſi parricidij, aut turbatæ Reipublicæ reos offendiſſent. Et quis hodie paulò inſtructior a morſu antiquorum Interpretum temperat? Quis non eo ſibi maximè placet? Nec magis ab his abſtinere iam homines norunt, quàm a corio vncto canes abſterreri. Doceant meliora meliori ſæculo nati: ſed citra inuidiam aliorum doceant. Quod e re noſtra eſt: præſertim ne qui in eo doctrinæ genere conſenuere, per obſtinationem, & peruicaciam auctoritate quæſita, cæteros traducant, & a recto auertant. Nam non pauci ex his, qui Dictaturam in Scholis gerunt, ſi de his hodieque interrogentur, neſcio quid reſpondere poſſint. Sed ego a primo iam incipiam. *Antichreſin*, mutuum pro credito pignoris vſum eſſe, accepimus. Nomen etiam ſic explicatur. Cum verò in *Antichreſi* vſurarum quodammodo iactura ſarciri videatur, inſtauratis nimirum his, quæ nobis decedere videntur, & quaſi redintegratis ex fructuum oppignerati prædij perceptione, ideo non malè eorumdem fructuum receptionem quamdam *Antichreſin* euidentiùs eſſe dixeris, quæ aliquatenus, & παχυμερέστερον vſuris pecuniæ creditæ reſpondeat. Gloſſæ iuris: Ἀντίχρησις ἐστὶν, ἡ ἀπὸ τῶν ἐνεχυριασθέντος ἀγροῦ καρπῶν ὑπὲρ τούτων ἀνάληψις. Sed ego corruptè legi ſuſpicor, ὑπὲρ τούτων, & legendum eſſe, ὑπὲρ τόκων. *Prædium* verò potiùs dixerim, quam *agrum*, quod *Antichreſis* etiam in prædio vrbano contrahi poſſit, vt in domo, l. x1. ſi is, qui bona, §. 1. de pignor. Marcian. in l. 33. de pignerat. act. rem ipſam oppigneratam ἀντιχρήσεως nomine ſignificare videtur. Ideo etiam dixi, fructus vſuris aliquatenus reſpondere, quod etſi legitimarum vſurarum modum excedant, retineri poſſint. Veluti cum creditor

creditor pignori domum accepit, vt ipſe domo, debitor verò pecunia vtatur, quamquam enim ex locatione domo, penſio maior redigi poſſit, quam vſurarum legitimarum modus exigeret, non minuetur ſors, quaſi fœnus illicitum ſit contractum, quod propter incertum euentum conſtitutum fuit. Si verò creditor domum ablocauerit, quod ſupra legitimarum vſurarum modum perceperit, ſorti imputabit, l. 14. l. 17. C. de vſur. *Antichreſis* mutuum continet vſum, non abuſum, qui vſum habet, locare non poteſt, l. 8. l. 10. §. 1. de vſu, & habit. itaque locando, fines *ἀντιχρήσεως* exceſſit, nec vltra ab incerto euentu pendet. Harmenopul. Epit. lib. 3. tit. 5. §. 6. Non ſolùm autem *expreſſa*, de qua locuti ſumus, ſed etiam *tacita* reperitur *Antichreſis*, vt obſeruat Cuiacius ex l. 8. in quib. cauſ. pign. vel hypotech. tacit. contr. Hoc diſcrimen eſt inter eas: tacita vſurarum modum ſeruat; ideoque ſi ſupra modum creditor fructus percepit, ſorti imputabit. Nec eſt cur virum illum doctiſſimum quidam repræhendant, quod dicant, nimis generaliter ab eo pronuntiatum fuiſſe, Expreſſam *Antichreſin* vſurarum modum non ſeruare. Nam cum hoc ex incerto euentu pendere, & ipſe monuerit, & dicat d. l. 17. C. de vſur. iam nimis euidens eſt, ipſum nil aliud voluiſſe, niſi expreſſam *Antichreſin*, cum incertus fuerit euentus, vſurarum modum non ſeruare; cum certus fuerit euentus, ſeruare. Quæres, an *Antichreſis* Pontificio iure permittatur. Nam ſanè re ipſa vice vſurarum fructus percipiuntur. Sed fructus reſtitui, & ſorti imputari Pontifices volunt, c. 6. de pignor. Non imputabit tamen Eccleſia, quæ feudum pignori acceperit, ſed Vaſallus interim à ſeruitio immunis erit, c. 1. de feud. c. 8. de vſur. Nec imputabit maritus, cui dos promiſſa, non numerata fuerit, c. 16. eod. De *Antichreſi* alia quædam tractat Manuel. Comnen. Nouell. 2. c. 6. & Harmenop. Epitom. lib. 3. tit. 3. §. 122. Pro *Antichreſi* veteres *Antapocham*, aut *Antiphonam*

lub-

Digitized by Google

ſubſtituebant, quoniam, vt diximus, illam ignorabant, & prioris quidem vocis argumentum non planè eſt ἄλογον, ſi nempe dixerimus, *Antaphocam* pignoris cautionem ſignificare. Minus rationis in altera eſt. Ἀντιφώνησις ad *conſtitutam pecuniam* pertinet. Gloſs. vett. Ἀντιφωνῶ, *Conſtituo.* Ἀντιφώνησις, *pecunia conſtituta.* Gloſs. iuris: Κωνστιτοῦτον, σύστασις, ἢ ἀντιφώνησις. *Conſtitutum*, vox honoraria eſt. Qui Conſtituit, ἀντιφωνητὴς, ſeu ἀντιφωνήσας, vel *Reſponſor* appellatur: vt & res ipſa ἀντιφώνησις, ſeu *Reſponſio* dicitur, quod *Expromiſſio* intercedat, citra verborum tamen ſollemnitatem, & hoc diſtat a ſtipulatione, ſi verba ſollemnia prolata fuerint, quænam erunt Prætoris partes? non enim aliud auxilium ius ciuile deſiderat. Conſtituit quis & pro alio, & pro ſe ipſo, & abſens per Epiſtolam, vel per nuntium ad condictam diem, l. 4. l. 5. §. 3. l. 14. l. 26. de conſt. pecun. hoc diſtat *Conſtitutum* a fideiuſſione: quamquam cæteroqui alterius obligationis acceſſio quædam, & fideiuſſio videatur. Nam pacto nudo perficitur, ſed præcedentem obligationem deſiderat, hoc diſtat a pacto. *Conſtitutoria* præterea tranſit in hæredem, l. 1. C. eod. Harmenopul. lib. 1. tit. 3 §. 47. & lib. 3. tit. 6. §. 2. Formulas *conſtituendi* vide in Nouell. 115. c. 6. & in Eclog. lib. 26. tit. 2. Miror autem, nouam rem quibuſdam fuiſſe, quam nondum quiſquam adnotaſſet, vt apud Tryphoninum in l. 20. quærebatur, qui pot. in pign. ex Pand. Flor. *Hyperocha* pro *Hypotheca* legendum ſit. Hoc pridem Alciat. noſter XI. Parergon, c. 1. monuerat. Illud mihi nouum viſum eſt, quod quidam dicunt, *Hyperocha* nomen extra pignoris cauſam producendum, & finem illius aliter concipiendum eſſe. *Hyperocha* nomen latiùs patet: verum eſt, Critici: Υπεροχὴ, *Eminentia*, *Excellentia*, *Exſuperantia*, *Faſtidium* [fortè legend. *Faſtigium*.] Sed quæ ratio dictat, vt ad alia quoque hoc nomen trahere oporteat, licèt ad alia trahi poſſit? Quaſi verò *Interceſſio* non etiam alia

multa

multa ſignificet, & tamen in iure ciuili præcipua quadam ſignificatione ſumatur: vt & *Nouatio*, & *Actio*, & alia ſexcenta. Nec mirum, quod ni quoque fateantur, vix aliter *Hyperocha* nomen a I. C. vſurpatum fuiſſe, quam pro eo, quod plus ſit in pretio fundi, quam in prioris credito. *Hyperocha* latina voce a Prudentibus aliquando *Superfluum* dicitur. Papinian. in l. 96 pupilli, § 3. de ſolut. Cum eodem tempore pignora duobus contractbus obligantur, pretium eorum pro modo pecuniæ cuiuſque contractus creditor accepto facere debet, nec in arbitrio eius electio erit, cum debitor pretium pignoris conſortioni ſubiecerit, quod ſi temporibus diſcretis, SVPERFLVVM pignorum obligari placuit, prius debitum pretio pignorum iure ſoluetur, ſecundum SVPERFLVO compenſabitur. Paull. in l. 6. de naut. fœn. dixit, aliarum mercium alijs nauibus impoſitarum, proprijſque fœneratoribus obligatarum, ſiquid SVPERFVISSET, pignori accepit. Caius quoque in l. 15. quæ nondum, §. qui res ſuas ff. de pignorib. periphraſi vſus eſt, dixit, quod pluris eſt, dixit, quod excedit. Et ita *Hyperocham* reddere voluit.

De feſtinatione iudicantis. Sententiarum Effectus. ἐξ ἀποτελέσματος. *Factum. Cap. XXXI.*

VIcem rei iudicatæ non obtinet præpropera, & præpoſtera executio. Diſceptator partium allegationes audire, & examinare debet. Nam ante requiritur, vt lis maturè diſcuſſa, & ſententia ritè prolata ſit, tunc demum rei iudicatæ vigor ad effectum perduci poteſt, hoc & ad executorem pertinet, l. 8. executorem, C. de execut. rei iudic. Is quidem aliquando citra iudiciales turbas cognoſcere poteſt; puta cum ei mandatum eſt, vt exequatur, ſi narrationi rem ipſam reſpondere compererit: ſed cogni-

tio

tio tamen omitti non poteſt. Quid igitur, ſi ſtatim exequatur? Irritus erit conatus, temporis enim anguſtiæ docent, illum properaſſe. Quid ſi de cauſæ cognitione conteſtatus eſt? ne quidem eo caſu executio effectum habebit. Ita ſæpè pronuntiatum fuit, præſertim in Auditorio XII. Virali Romano. *Effectus ſententiarum* dicitur, cum hæ ad exitum perducuntur. Ita conceptus eſt tit. 1. lib. 42. Pandectarum: *De re iudicata, & de effectu Sententiarum, & de Interlocutionibus*: & apud Paullum tit. 5. lib. 5. Sentent. *De effectu Sententiarum, & finibus litium*. Gloſs. *Effectui mancipari*. αἴρετι παραδοθῆναι. In Nouel. 1. εἰς ἔργον ἄγειν: *ad effectum perducere*. Eadem voce deſcribitur conſummata iniuria ius dicentis, qui aliquid noui iuris in alium ſtatuerit: nam *cum effectu accipimus, non verbotenus, & ideo ſi cum vellet ſtatuere, prohibitus ſit, nec effectum decretum habuit, ceſſat edictum*, l. 1. quod quiſque iur. Sanè, vt aliàs diximus, efficacem actionem eſſe, quæ valeat ad condemnationem, ita dicimus, effectum habere ſententiam, quæ perueniat ad executionem. Firmic. lib. 1. c. 2. *Iniuſti ſunt enim ſemper, ſicut nouimus, Iudices, qui de incognitis ſibi pronunciant rebus. Non habent etiam iudicandi auctoritatem, qui ad ſtatuendum aliquid imperitæ licentia temeritatis adducuntur: neque ad effectum ſententiæ, inexanimatis* (reſcr. *inexaminatis*) *partis allegationibus proferuntur*. Ea de cauſa Gordianus reſcripſit: *Nam ſubſcriptionem ad libellum datam talem, qua diuerſam partem in poſſeſſionem fundi mitterit, vicem rei iudicatæ non obtinere, non ambigitur*. Aliud præterea exigitur, vt Reſcriptum effectum habeat. Symmach. Ep. 47. lib. 10. Hoc etiam Diuus genitor tuus in omnium ſemper animis, & ore victurus, pia lege conſtituit: qui ſententiam quoque ſub comminatione depromptam, effectu, atque executione vacuauit. Gloſs. vett. Exεξετασμός. Effectus, Executio. Inſtitutionis effectus in l. 4. de hær. inſt. Itaque dicitur Ef-

fectus, cum res perficitur, & ad exitum perducitur, ideſt ἀποτέλεσμα. Græci quoque perfectum hominem exponunt, quem Paull. effectum dixit: Partus autem, inquit, *qui membrorum humanorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus: & ideo inter liberos connumerabitur*, l. 14. de ſtat. homin. Ad exitum vitæ pertinere videtur illud Iſidori lib. 8. c. 9. ex aliquo fortè antiquo Scriptore: *quem effectum habeat vita qui naſcitur*. Antiquus Gloſſograph. Ἀποτέλεσμα: Effectus, Euentus. Noſtri ſcribunt, vt locum habeat l. Aelia-Sentia, non ſatis eſſe conſilium fraudandorum creditorum, ſed & euentum exigi. Senec. de Tranquillit. lib. 2. Omnia ſcelera, & ante effectum operis, quantùm culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt. Caſſiodor. Ep. 31. lib. 4. quæ in aquæ-ductu reficiendo probabili cura ex noſtra auctoritate ſuſcepit, celeriter ad effectum faciat peruenire. Vet. Interpr. Iudic. 18. & ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum. Saluian. de Gubernat. Mens enim boni ſtudij, ac pij voti, etiamſi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Ἀνεπιτέλεστα dicuntur, quæ ad effectum non perducuntur. Manuel. Comnen. Nouell. 2. Iuſtinian. in Conſt. de nou. Cod. fac. corrigenda eſſe, multis retro-Principibus viſa ſunt, interea tamen nullus eorum ad effectum ducere auſus eſt. Leo Papa IV. ad Epiſcopos Britanniæ: efficaciter ad effectum ſuum retinere, ſic & in l. 1. C. ſi nupt. ex reſcr. Gloſſæ iuris: Ἐφεκτεύμ. προκοπή. Dicitur autem a Criticis προκοπή, Promotus, Proceſſus, Prærogatiua, Proceſſio, Prouentus. Aliquando effectum iuri opponi dicunt, & ita legendum eſſe in l. 20. filium, de bon. poſs. cont. tab. exhæredatum effectu. Sed diſſentientibus libris, antiquam ſcripturam ego libens retineo: quamquam eo pacto aliquando hæc vox accipiatur, vt in l. 14. §. vlt. comm. diuid. Ita effectionem optimè in Florentinis libris ſcriptum fuiſſe puto in l. 58. §. vlt. ff. locat. licèt hanc ſcri-

ptu-

Digitized by Google

pturam immutauerint, & refectionem ſubſtituerint. Eademque ratione dicimus, ex duobus liberis, eum, qui eſſet in poteſtate, ſolùm patri iure ciuili ſuccedere: cum tamen & emancipato detur a Prætore bonor. poſſeſſio, illum eumdem non in ſolidum, ſed ex parte hæredem effectu eſſe: nempe re-ipſa, ἐξ ἀποτελέσματος, vt ait Theophilus. A facto quidem effectus appellatio deſcendit: ſed & factum ab effectu pendet. Harmenopul. Epitom. lib. 1. tit. 1. §. 51. φάκτος δέ ἐστι τὸ κεφάλαιον, καὶ τὸ τῆς ὑποθέσεως ἀποτέλεσμα. id. *Eſt autem factum, caput, & propoſita rei effectus.* In Gloſſ. Græc. eadem, ſed auctiora: φάκτα, ἔργα, καὶ ὁ τρόπος τοῦ πράγματος. φάκτον, ἔργον. φάκτον, ποίησις, ἡ ἀρίθμησις, ἢ πρᾶγμα. φάκτον, ἡ ἀρίθμησις, καὶ πρᾶξις. φάντο πράγματος γεγονότος. φάκτον ἐστὶ τὸ κεφάλαιον, καὶ τὸ τῆς ὑποθέσεως ἀποτέλεσμα, καὶ ἡ τῆς πίστεως ἀνήκουσα ζήτησις. Mox verò corruptè ſcriptum, niſi fallor, φακτοὺς, ἡμερολόγιον, nam φαστοὺς ſcribendum apparet. Cum item res, quæ nondum in bonis debitoris eſt, pignori ab eo data fuerit, deinde verò in bonis eiuſdem eſſe cœperit, & vtilis actio exemplo pigneratitiæ datur, l. 5. C. ſi aliena res pignori data ſit, Græci dicunt, ἐξ ἀποτελέσματος videri validè eum oppigneraſſe. Similes voces vſurpant Mathematici, vt apud Firmicum, & Ptolomæum legimus in Tetrabibli. Fulgentius Mytholog. lib. 3. *In Muſicis prima Muſica, ſecunda Apoteleſmatice,* & paulo poſt: *In Muſicis verò aliud eſt harmonia phthongorum, ſyſtematum & diaſtematum, aliud effectus sonorum, virtuſque verborum.*

De Nuptijs, & Gradibus. De arbitrio nubendi. Tentata quædam in Ambroſio, quædam reſtituta. Luci claro reddita obſcura Triboniani ſententia.

Cap. XXXII.

COmplures ſunt in Nuptijs, quæ aliter Pontifices, aliter I. Conſulti definiunt. Præcipua ſunt, quæ ad Gradus in Stemmate, & ad parentum conſenſum pertinent. Scio, refractarios eſſe, qui antiqua I.Conſultorum dogmata hodie quoque adſtruere nitantur. Obſtinant in pluribus. Nam Canones aut ſugillant, aut contemnunt, aut denique peruersè diſtrahunt. Plerique ad antiquam diuinam Legem, quaſi Iudaicis inſtitutis nobis viuendum ſit; hæc reuocanda eſſe contendunt, quod præſertim de Gradibus in ſua Babylone præſcripſere. Sunt & qui mores obtentui ſumant. Varietas ſententiarum inter eos, argumentum eſt ſimpliciſſimæ veritatis inter noſtros. De his quædam primò dicemus: de conſenſu parentum dicturi poſt. Semper conſanguinitatis, & Graduum præcipua ratio habita fuit: nec omnia tamen in lege diuina præſcripta fuere. *Quanta huiuſmodi inuenies* (ait Ambroſius ad Paternum) *non eſſe interdicta Lege per Moyſen edita, & tamen interdicta ſunt quadam voce naturæ?* Admonet autem hic locus quorumdam, quæ in hanc ſententiam ab eodem ſcripta fuere, fateor enim, vix alium exſtare locum in Ambroſio, qui mihi adeo negotium fecerit, magiſue me torſerit, quam illa ad Paternum Epiſtola. Illa igitur præbeat argumenti partem. Principio exponit, quod tractat: Paterni quidem vnanimis mei ſalutationem legi, ſed conſultationem haud quaquam paternam, vt velis filio neptem copulare ex filia: ſed nec auo te, nec patre dignam. Itaque quod conſulueris, conſidera. Omne enim quod

agere volumus, prius nomen facti eius interrogemus, & tunc vtrum laude, an vituperatione dignum ſit, exiſtimabimus. Liber ſcriptus, vnanimi mei, præterea conſolationem, non conſultationem, legitur in eodem, qua de re alibi ſcripſi in his libris. Mox, vt interrogemus, hanc vim habet ea vox, vt vel præcipiat, vel ſuadeat, & hoc alio loco iam explicaui. Audiamus alia: ſi quis deſponſata ſibi, & tradita vtatur, coniugio vacat, qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, cuius vel ſolo nomine reprimitur plerumque tentandi audacia. Hoſtem ferire, victoria eſt: reum, æquitas; [ita legendum, non rerum æquitas, vt in quibuſdam ſcriptis, & cuſis,] innocentem, homicidium, quod ſi quis percipiat animo, reuocat manum. In mſs. coniugium vocat. Ne qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, illud confirmat & Iuo part. 8. c. 101. germana lectio eſt: quamquam vt centones ſuos conſarcinaret, & ſententiæ vim adderet, Gratianus retulerit, *rite coniugium vocatur*, can. 38. 27. q. 2. Coniugij nomen Ambroſius ex ore illius, qui ſua vtatur, fiducia quadam pronuntiari vult. Iam principio dixerat, facti nomen interrogandum eſſe. At adulterij nomen, haud ita facilè ex ore adulteri expreſſeris, ideo dixit, *Ne qui alienæ*, &c. Auguſtin. etiam lib. 15. de C. D. nomina penſitat, & Baſilius Magnus in Epiſtola quadam, vt & Euſtathius refert, ſanè ratio dictat, vt ſolliciti eſſe debeamus, ne violati pudoris, & probroſæ neceſſitudinis argumentum nomina præbeant. In eodem libro legitur: *quod ſi quis præcipiat animo*. Equidem nomen ſi perpendatur, a facinore retrahere poteſt. At priùs reputandum eſt: quamquam fermè contra fiat. *Sed a Cæſare*, ait Tacitus de Nerone, qui matrem interfecerat, *perfecto demum ſcelere, magnitudo eius intellecta eſt*. Ille ipſe, qui ſcelus cupiat, ſceleris nomen oderit. Phædra apud Senec. Tragic. ad Hippolytum:

Me-

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens,
Noſtros humilius nomen affectus decet.

Eadem apud Ouidium:

Nec quia priuigno videar coitura nouerca,
Terruerint animos nomina vana tuos.

Rurſus apud Ambroſium in his, quæ ſequuntur. Epiſcopi nomen deſiderari ſuſpicabar: *Super hoc igitur meam a ſancto viro Epiſcopo veſtro expectari ſententiam, non opinor, neque arbitror.* liber ſcriptus: *Super hoc igitur meam a Sancto Curo Epiſcopo ueſtro.* Niſi *Curus* pro *Cyro* ſit. Sequitur, quod expedire haud facilè poſſim: *Quid enim eſt quod dubitari queat, cum lex diuina, etiam patrueles probibeat conuenire in coniugalem copulam, qui ſibi quarto ſociantur gradu? Hic autem gradus tertius eſt, qui etiam ciuili iure a conſortio coniugij exceptus videtur.* Quid ais Ambroſi? Diuina lege patrueles in coniugium conuenire non potuiſſe? Vide quid aſſeras, Sanctiſſime, & iuris tam ſacri, quam profani Conſultiſſime Pontifex. Tu hoc me doceas oportet: tu, qui iuri dicundo quandoque præfuiſti: me, inquam quem in tua parte ſcis eſſe. Illud etiam me anxium, & ſollicitum reddit, quod addis: *Quod ſi ideo permiſſum putas, quia ſpecialiter non eſt illud prohibitum: nec illud prohibitum ſermone legis reperies, ne pater filiam ſuam accipiat vxorem. Numquid ideo licet, quia non eſt prohibitum? minimè.* Quæ verba aliter quidem in libro veteri leguntur, ita nempe: Quod ſi ideo permiſſum putas, quia ſpecialiter non eſt prohibitum ſermone legis, reperies, ne pater filiam ſuam accipiat vxorem? fortè ſcriptum fuerat, reperies ne, ne pater filiam ſuam ac. vx.? Sanè, quis dixerit, permiſſum eſſe, vt auunculus neptem accipiat vxorem, quod ſpecialiter ſermone legis interdictum non legatur? nam nec ſpecialiter ſermone legis interdictum legitur, ne pater filiam accipiat vxorem: & tamen nefas eſſe, non eſt qui neget, igitur & illud malè colligeretur. Sed nodus manet

etiam

etiam ſi hoc pacto legamus, quod id ſermone legis interdictum reperiatur. Et Paterno quidem fortaſſe ciuilis potius, quam diuini iuris conſulto, contrarium, Ambroſi, perſuadere potuiſſes: Alij verò, niſi liquidò probetur, non credent. Pugnat, ecce Auguſtinus, (ſcis qui vir, & quantus) & pugnat acriter, contra hoc alterum, quod aſſeris, verbis legis productum. Nam lib. 3 quæſt. 58. in Leuitic. c. 18. ad illa verba, Turpitudinem patris tui, & matris tuæ non reuelabis, ita ſcribit: Prohibet cum matre concumbere, ibi eſt enim turpitudo patris, & matris. Idem Auguſtin. apud. Iuon. part. 9. c. 16. Hac locutione concubitum vetuit in his perſonis: ibi eſt enim turpitudo patris. Adhuc in maiori ſum æſtu, & laboro magis, cum eumdem Auguſtinum, priorem etiam illam aſſertionem de patruelibus impugnare lego lib. 15. de C. D. c. 16. Experti autem ſumus, in connubijs conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam rarò per mores fiebat quod fieri per leges licebat: quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verum tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti: & quod fiebat cum conſobrina, pœne cum ſorore fieri videbatur: quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & pœnè germani ſunt. Fuit autem antiquis Patribus religioſæ curæ, ne ipſa propinquitas ſe paullatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nondum longè poſitam rurſus matrimonij vinculo colligare, & quodammodo reuocare fugientem (hæc ipſa verba Iſidorus expreſſit, & Alexander II.) Vndè iam pleno hominibus orbe terrarum non quidem ſorores ex patre, vel matre, vel ex ambobus ſuis parentibus natas, ſed tamen amabant de ſuo genere ducere vxores. Verum-tamen quis dubitet, honeſtius hoc tempore, etiam conſobrinarum prohibita eſſe connu-

gia?

gia? Senſit igitur Auguſtinus, Conſobrinarum coniugia diuina lege non fuiſſe interdicta. Idemque probabimus ex nuptijs Iacobi cum filijs Laban auunculi ſui, Geneſ. 29. & ex nuptijs filiarum Salphaad cum filijs patrui de familia Manaſſe, Numer.c.vlt. Pergo ad reliqua. Nam & in alijs adhuc offendo. Ait Ambroſius: *Longè diuerſa iniuria* (in mſs. legitur, *inuidia.*) *Illud tamen licèt in veteri teſtamento legimus, vt aliquis vxorem ſuam ſororem duceret, iſtud inauditum, vt quiſquam neptem ſuam in vxorem accipiat, & coniugem dicat.* Principio rerum, & gentium, ſororum coniugia neceſſarium fuit admittere, poſteà tamen exemplum aliquod ſimile vix reperietur. Niſi dicamus, in veteri teſtamento Abrahamum vxorem ſuam *duxiſſe ſororem*, ideſt pro ſorore habuiſſe, eamque ſororem appellaſſe, Geneſ. 12. & 20. Itaque in mſs. legitur, *ſororem diceret.* Sed quì dicemus inauditum, quemquam neptem ſuam in vxorem accepiſſe, ſi Abrahamus Saram accepit? Vetus hæc controuerſia fuit, quod alij Saram Abrahami ſororem, alij neptem fuiſſe contendant, priores ſententiam ſuam probari dicunt ex verbis eiuſdem Patriarchæ Geneſ. 20. *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Sed in ſacris litteris conſanguinei ſæpè fratrum, ſororumque nominibus appellantur; Geneſ. 13. & 26. & 29. itemque Tob. 8. & ex ea loquendi ratione, alijſque compluribus, poſteriores hoc tollere nituntur. Ad hæc tria, qua ratione reſponderi poſſit, vt Ambroſium tueamur, fateor me non ſatis videre. Poſtremum tamen hunc nodum aut ſoluere, aut ſcindere tentabo, & ad manum eſt gladius, nam quid vetat nos ex verbis iſtis conijcere, & ſuſpicari, Ambroſium in eadem fuiſſe ſententia, in qua fuit aliquando Hieronymus, (licèt is variauerit) Clemens Alexandrinus, & alij, quibus ea potior opinio viſa eſt, quòd Sara Abrahami ſoror, non neptis fuerit? Nec propterea neceſſarium, eſt vt vera ſit, ſi ſecundum eam quoſdam

pronun-

pronuntiaſſe dixerimus. Quod ſi hoc minus arrideat, dicamus, Ambroſium inauditum dicere, quod in veteri lege hoc καθολικῶς ſancitum reperiatur, *Vt quiſquam neptem ſuam in vxorem accipiat, & coniugem dicat*. Diximus *Vt*, quam vim habeat. Abrahami coniugium ante legem fuit. Itaque diceret Ambroſ. Eſto quod Abrahamus ſororem ſuam vxorem duxerit: at ſingularia res fuit, & fortaſſe vel opportuna, ſi non neceſſaria, vel a Deo probata, ſi non myſtica. Lege verò lata, nec vt neptem, nedum ſororem quiſquam coniugio ſibi copularet, permiſſum reperitur. Quid ſi dixeris, reperiri quidem, quod aliquis neptem ſuam vxorem acceperit: non reperiri, quod etiam coniugem eamdem dicere auſus fuerit? Nam Abrahamus hac potiſſimum de cauſa trepidauit, & a coniugis nomine abſtinuit: quod ſciret, gentes non ſine horrore hoc intelligere potuiſſe.

Tranſgrediamur ad illud, quod de nuptijs parentis, & natæ dicebat Ambroſius. Nam adeo falſum eſſe dicunt, quod in lege diuina his nuptijs ſpecialiter interdictum non fuerit, vt nulla ratione aſſertionem hanc defendi poſſe credant. itaque μνημονικὸν ἁμάρτημα eſſe ſuſpicantur. Ego (niſi temerarium ſit) cum Ambroſio dicere tentabam, in diuina lege hoc ſpeciali ſermone interdictum non reperiri. Nam quæ dicuntur Leuitici c. 18. & 20. aut pleraque ex illis, ſi quis dixerit, κυριώτερον, & præcipuè ad nefarias, & inceſtas coniunctiones, non ita ῥητῶς, ϗ κυρίως, ad impedimenta matrimonij referenda eſſe, is quidem ab interpretum communi ſententia recederet, ſed fortaſſe non planè aberraret, nec quaſi planus, & profanus damnandus eſſet. Quod tamen ea ratione prolatum velim, vt ad Ambroſij potiùs defenſionem pertineat, quàm quòd ego contra ſententiam aliorum id mordicùs, & pertinaciter defendere velim. Sanè ad eam ſententiam confirmandam non leuis momenti fuerit Ambroſij locus iſte, vt interim

dum ipſius defenſionem meditamur, eiuſdem auctoritate niti videamur. Et ſcio, Leuitici verba ad facinora & nefarias coniunctiones, alios etiam quoſdam trahere tentaſſe Sed quod a me proponitur, longè leuius eſſet. Nam ad impedimenta quoque, & interdicta nuptiarum hæc pertinere crediderim, ſed per conſequentias. Qui concubitu quarumdam interdicit, ſimul & earumdem nuptijs interdicere videtur. At Ambroſius hoc non dicebat, cum ſpecialiter ſermone legis connubium patris, & filiæ vetitum eſſe negabat. Nec planè ab hac ſententia Auguſtinus abhorret. Licet enim ad nuptias hæc trahat, veluti dum in quæſt. 76. ſcribit, *Quæritur, quouſque ſit intelligenda iſta cognatio, cum ex longo gradu liceat vtique accipere vxorem ſemperque licuerit*: attamen & ad concubitus nefarios illum reſpexiſſe, negari non poteſt. itaque quæſt. 65. hoc pacto diſſeruit: *Vndè apparet, illa ita prohibita, vt etiam mortuis viris ſuis, non ducant vxores, quarum probibet turpitudinem reuelare*, intelligimus nimirum, non modo viris viuentibus, ab earum concubitu abſtinendum eſſe, quando matrimonium cum alio conſiſtere nequit, ſed ſi etiam viri earum vixerint. Quòd ſi dederis, vtrumque prohiberi quidem, & concubitum, & matrimonium, ſed adhuc deliberandum eſſe cenſueris, vtrum horum ſpecialiter, vtrum tantummodo vi collectionis, & per conſequentias interdicatur, & vtrum ab alterutro pendere, dicendum ſit; hac omiſſa controuerſia, faciliori ratione, & vt opinor, citra inuidiam, hoc enodare tentabo. Cum enim dicitur, *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ, non reuelabis*: illud ſignificatur, ne filius cum matre concumbat. Si rurſus dixeris, his verbis, filiæ quoque cum patre cõcubitum expreſsè prohiberi, negabo licet enim & turpitudo patris exprimatur, illa tamen ad matrem pertinet. Auguſtinus. *Probibet cum matre concumbere, ibi eſt enim turpitudo patris, & matris, Nam po-*

ſtea

Digitized by Google

ſtea prohibet & Nouerca, vbi dicit: Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis: turpitudo enim patris tui eſt, vbi expoſuit, quomodo in matre vtriuſque ſit turpitudo, ideſt patris, & matris: in nouerca autem tantùm patris. Quin & manifeſtò hæc ad matrem relata ſunt, cum additum eſt: *mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius*, & in vniuerſum cum viro, non cum fœmina lex loquitur. Itaque multa, quæ omiſſa ſunt, intelligenda, & rationis ſimilitudine colligenda. Auguſtin. eadem quæſt. 76. *Vbi & aliqua non commemorata, intelligenda dimiſit.* Idem Auguſtin. Ep. 73. ad Poſſidium. *Niſi fortè quia Belial nominauit, & generalem ſocietatem dæmoniorum prohibuit; licet Chriſtianos ſacrificare Neptuno, quia nihil propriè de Neptuno petitum legimus.* Nimirum id falsò colligeretur. Verum eſt igitur, quod dixit Ambroſius, ſpecialiter ſermone legis prohibitum non reperiri. *Ne pater filiam ſuam accipiat vxorem.*

Supereſt, quod poſtremum eſt, ſi retro-numeretur, ſed in quo primo hæſitauimus, & magis in difficili eſſe arbitramur. Explicandum enim eſſet, quonam loco diuina lex, patrueles in matrimonium conuenire prohibuerit, vt Ambroſius aſſeruit. Quod ſi quis probare poſſit, palma in medio poſita eſt. Mihi certè τῶν ἀδυνάτων hoc adhuc viſum eſt. Ideoque illud ſubinde mihi ſuccurrebat, de alia, non de lege Moyſis Ambroſium id protuliſſe. Equidem Imperatorum leges & ab ipſis, & ab alijs diuinas appellari, paſſim occurrit. Theodoſianæ verò Conſtitutionis inferiùs meminit Ambroſius: & mox quaſi profanam legem retuliſſet, dixit, *Sed priùs ſacra legis ſcita interrogemus.* Hoc tamen recipi non poteſt, cum ſtatim de lege Moyſis agens, ſcribat, *quia cum leuiora interdicta ſint de patruelibus fratribus, multò magis hoc, quod arctioris eſt plenum neceſſitudinis, interdictum arbitror.* Et infra ſatis docuit, ſe diuinam ipſam legem Dei, non Imperato-

ris dixiſſe, cum ſcripſit: *Sed ſi diuina te prætereunt, ſaltem Imperatorum præcepta, a quibus ampliſſimum accepiſti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt*. Nec ſanè decet, vt Pontifex, præſertim cum de lege Dei agit, hominis legem, diuinam appellet, quamquam diuina, vel ſancta quandoque non abſurdè dicatur illa, in qua de rebus diuinis, aut ſanctis egregiè tractetur. Iuſtin. lib. 1. Inſt. tit. 22. Quod ſi quis credat, Ambroſium per diuinam legem, Eccleſiaſticam aliquam Sanctionem, & fortaſſe can. xɪɪx. Apoſtolorum intellexiſſe, vix probare poterit. Certè, quod pertinet ad canonem illum, etiamſi diuinæ legis nomine cenſeri daremus, etiāſi inter Apoſtolicos ſine aliqua hæſitatione reciperemus, verba tamen ad conſobrinas, aut patrueles non traheremus, aliud ſuadent verba græca, aliud etiam docet antiquus Interpræs in Codice Canonum: apud quem ille can. xɪx. eſt, his verbis relatus: *Qui duas in coniugium ſorores acceperit, vel filiam fratris, clericus eſſe non poterit*. Igitur ad aliud Ambroſium reſpexiſſe, dicendum eſſet. Si quis diligentiùs animaduertat, quænam lex Numer. c. vlt. a Moyſe promulgata fuerit, reperiet, occaſione filiarum Salphaad conſtituiſſe, vt omnes ducerent vxores de Tribu, & cognatione: illis verò præcipuè, veluti priua lege, eumdem conceſſiſſe, vt nuberent, quibus vellent, tantùm vt ſuæ tribus hominibus, peculiare fuit, vt nuberent, cui vellent, præterea ſi quæraramus, quinam id a Moyſe petierint, reperiemus homines fuiſſe de Tribu Manaſſe: illos fortè ipſos, quibus filiæ Salphaad poſtea nupſere, aut certè illorum conſanguineos. Ex quibus colligemus, nec in fœminis, nec in viris voluntatem ad connubium defuiſſe. Cur igitur id a Moyſe petebant? Non aliam fortè ob cauſam, niſi quod interdictum erat, Ne patrueles in matrimonium conuenirent. Itaque indulgentiam, vel iuſſum quærebant: vt viderentur præcepto potiùs paruiſſe, quàm illud ipſum voluiſſe.

Ante

Digitized by Google

ante legem latam, Iacob accepit quidem conſobrinas, ſed quaſi ſub-dubitans dixit Laban, *Melius eſt, vt dem tibi eam, quam alteri viro*. Ad hæc igitur, & ad alia ſimilia fortaſſe reſpexit Ambroſius, cum illud protulit. Triplex ἄπορον propoſui: nec adeo mei plenus ſum, vt meliorem coniectorem adhuc deſiderari non credam. Videant doctiores. Et de his quidem hactenus.

Cæterum nuptiæ inter conſobrinos, patrueles, amitinos, non ſemper Iure Romano interdictæ fuere, quod oſtendunt Liuij verba lib. 42. *Cum primum in ætatem veni, pater mihi vxorem fratris ſui filiam dedit*, idem docet §. duorum, de nupt. l. 3. l. 17. per adoptionem, §. amitam, de rit. nupt. exſtant & formulæ antiquorum teſtamentorum, quæ idem oſtendunt in l. 78. Lucius, §. filiam, ad Trebell. in l. 23. & in l. 24. de condit. inſtit. Charite apud Apul. Metamorph. lib. 4. *Specioſus adoleſcens inter ſuos principalis, quem filium publicum omnis ſibi Ciuitas cooptauit, meus alioquin conſobrinus, tantulo triennio maior in ætate, qui mecum primis ab annis nutritus, & adultus indiuiduo contubernio domuſculæ, immo verò cubiculi, torique ſanctæ charitatis affectione mutuo mihi pignoratus, votiſque nuptialibus pacto iugali pridem deſtinatus*, (ſponſalia deſcribit) *conſenſu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus ad nuptias, officio frequenti cognatorum, & affinium ſtipatus, templis & ædibus publicis victimas immolabat.* De hoc ipſo quædam leges apud Quinctil. in prooem. lib. 6. Sed Triboniano quidem obloquitur Theophilus in eod. tit. de nupt. itemque Caius Inſt. 1. c. 7. niſi Aniani facinus illud fuerit. Certè ſæpiſſimè magna inconſtantia variatum fuiſſe, docet Auguſtinus, vt vidimus: docent & alij, vide l. 19. celebrandis, C. de nupt. l. 2. de inſt. & ſubſt. l. 1. C. Theodoſ. de inceſt. nupt. Vlpian. in Fragment. tit. 5. Tacit. Annal. 12. Harmenopul. Epitom. lib. VI. tit. IV. Has nuptias aliquando ex Reſcripto petitas fuiſſe, docet Caſſio-

dor.

Digitized by Google

dor. lib. 7. Formul. 46. & verba quædam ad has ipſas pertinentia Tribonianus detraxit ex l. 1. C. ſi nupt. ex Reſcrip. pet. Sententias Patrum apud Gratian. videbis: præſertim in can. 20. 35. q. 3 in can. 54. Syn. in Trull. in can. 2. ead. 35. q. 3. Gregorij verba obſeruabam ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum: Quædam lex terrena in Romana Republica permittit, vt ſiue fratris, & ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, ſeu duarum ſororum filius, & filia miſceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, & ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Hoc vult Gregorius, progeniem ex his coniunctionibus natam, non eſſe vitalem, aut cito extingui. Leuitici c. xx. abſque liberis morientur, & rurſus: abſque liberis erunt. An ad hæc reſpexit Gregorius cum ſcripſit, experimento didicimus? Non enim omnes ea verba ſic, vt ſonant, accipiunt. Auguſtin. lib. 3. quæſt. 76. in Leuitic. Sed quid eſt, Sine filijs morientur: cum filij ex huiuſmodi coniunctionibus, & ante nati ſint, hodieque naſcantur? An hoc intelligendum eſt, Lege Dei conſtitutum, vt quicumque ex eis nati fuerint, non deputentur filij: ideſt nullo parentibus iure ſuccedant? Quod etiam iure Ciuili ſancitum fuit, nam ex nefario complexu qui naſcuntur, nec filiorum nomine cenſentur: ideſt non ſunt iuſti filij, vt dicit d. l. 1. C. ſi nupt. ex Reſcr. pet. Equidem ſi non videntur habere patrem qui eum habent, quem demonſtrare non licet, l. 23. ff. de ſt. hom. id multò magis de his, qui ex nefario complexu naſcuntur, dicendum erit. Id etiam in C. Theodoſ. expreſſum fuit: *ſed neque vxorem, neque filios ex ea editos habere credatur*. Hęc eſt Auguſtini ſententia. Gregorius, verba Leuitici experimento fortaſſe comprobari dixiſſet, licet non de iiſdem cõiunctionibus tractet, & ad id, quod Auguſtinus obijcit, reſpõderi poſſet, naſci quidem filios, & ex huiuſmodi complexu, ſed progenies non facilè propagari: idq; ſæpius

anima-

Digitized by Google

animaduerſum fuiſſe, licet aliquando aliud etiam contingere poſſit, vt ſciamus, comminationem illam eſſe Diuinã, non tamen Edictum perpetuum, aut immutabile, cum Supremo rerum Arbitro aliud ſederit. Aurelij expoſitionem I. Conſultus magis probabit, opinor. Nam, vt diximus, non iuſtus filius, nec filius dicitur: non iuſtus pater, nec pater cenſetur. Pater is eſt, quem nuptiæ demonſtrant, l. 5. de in ius voc. Ergo is, quem nuptiæ patrem demonſtrare non poſſunt, quod ſint nefariæ, & interdictæ, pater non erit. Qua ratione explicanda ſunt etiam Triboniani verba in §. ſed & ſi quis, de ingen. *Sed & ſi quis ex matre naſcitur libera, patre verò ſeruo, ingenuus nihilominus naſcitur quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus eſt: quoniam vulgò conceptus eſt*. Hic enim ille, qui ex matre libera, patre ſeruo natus ſit, comparatur ei, qui ex matre libera, patre incerto naſcitur, ſi quæras, quænam ſit comparationis ratio, dicam hanc eſſe, ſicuti ſeruus legitimo iure pater eſt nullus, ita nullus videtur pater, qui incertus eſt, quantum igitur ad patrem pertinet, in eo ſimiles ſunt: neuter patrem habere intelligitur, hoc colore vtuntur & alibi I. Conſul. l. 43. de adopt. Idemque dici poteſt de eo, qui ex interdictis nuptijs natus fuerit. Rationes verò, quæ ſuadere videntur, vt certorum graduum in nuptijs contrahendis ratio habeatur, vltra quos interdictum producendum non ſit, eleganter Auguſtinus explicauit: explicarunt & alij. Conſilium eo præcipuè nomine ſalutare, quod neceſſitudinis vim doceat, & charitatem latiùs extendat. Hoc etiam in bellis gerendis conducere in primis intellexere Romani, vt ait Euſtath. in Commentariolo *de duobus Conſobrinis, qui duas Conſobrinas duxerant*. Nam priſca ſtruendarum acierum ratio hæc erat, vt ſecundum tribus, & familias milites in manipulos diſtribuerentur, ita firma acies effici credebatur, vt perrumpi, ledique nulla vi poſſet, equidem adfectio mutua mortales com-

pellere

Digitized by Google

pellere ſolet, vt in diſcrimine fortiter faciant, non ſolùm vt virtutem oſtendant, vel vt ſe ipſos ab iniuria, & a morte vindicent, ſed & vt neceſſitudine ſibi iunctos defendant, & tueantur. Adderem exemplum antiquius, non Romanum, ſed Græcum, ſi fœdum non eſſet, & honeſtum crederem. Cum verò progenitorum virtus, quam in poſteros transfundi, & deriuari docent lineamenta, oris, & habitudinis ſimilitudo, mores, & alia, ſenſim in propagatione minuatur, ritè, rectèque inſtitutum fuit, vt certus modus nuptiarum interdicendarum poneretur. Cuius variæ ſunt rationes, vt diximus ad Mundi, & Hominis ætates veteres reſpiciebant, vt Iſidorus: ad cognationis memoriam, aut cognitionem alij, vt in can. 32. Vuormatienſ. Concil. ſeu ad lineamenta affinitatis, quæ generis ſucceſſione cognoſcantur; vt in c. 5. Concil. Toletani II. Denique ad quattuor humores, vel ad quattuor elementa, interdictum ad quartum vſque Gradum ſupputatione Canonica, non abſurdè referri poſſe cenſuit Innocent. III. in Concil. Lateranenſ. c. pænult. de conſanguin. & affin. quæ ratio Canonicæ Sanctionis, licèt princeps non ſit, phyſica tamen eſt, & ſatis humanæ naturæ reſpondet. Euſtathius eodem loco ait, Conſentaneum eſſe, vt dicamus, Legiſlatores in huiuſcemodi Sanctionibus ad varia exempla reſpexiſſe; præcipuè verò ad illius lapidis vim, quem magnetem vocant. Nam ferrum, quod primò lapis hic contigit, firmius adhæret: quod rurſus hoc tangit, iam minus: quæque deinceps, ſemper minus, vt extremo contactu remiſſa admodum, & hebetata vis illa cognoſcatur. Adderem & alia, præſertim de diuerſa ſupputandi ratione; niſi ad reliqua ex his, quæ propoſui, properandum eſſet.

De conſenſu enim aliquid dicere decreui, ſed præmoneo, ad præſcriptum iuris ciuilis. Itaque ſi quidtum ex alijs, tum ex antiquis Patribus ad hanc rem attulero, ſic accipiendum erit, tamquam ad antiquas leges, & profanas

Digitized by Google

nas ſanctiones & ipſi reſpexerint. Nam in re ipſa qui ius ciuile ſequuntur, aberrant. Eccleſiæ iudicio ſtandum eſt. Cum igitur filij-familiarum nuptias contrahunt, parentum in quorum ſunt poteſtate, conſenſum deſiderari, antiquum eſt dogma I. Conſultorum. Quin etiam *iuſſus*, ne dum *conſenſus*, præcedere debet, ſi Tribonianum audimus, tit. 10. lib. 1. Hæc verba Interpretum aures lancinarunt. Obijcitur l. 5. ſi vt proponis, & l. 12. nec filium, C. de nupt. Vtraque fruſtra. Ego Triboniani verba ſic accipio, vt nihil noui hoc iure contineri, oſtendere velit, immo mitius agere, minuſque vim ſuam exercere, quam ratio dictet. Hoc nempe vult: Si tam ciuilis, quàm naturalis ratio ſpectetur, non modò id æquum eſſe, vt conſenſus a patre præſtetur, verùm etiam hoc ampliùs, vt iuſſus præcedere debeat: *intantum vt iuſſus parentis præcedere debeat*. Dictat ciuilis ratio, patria nempe poteſtas, qua filiuſ-familias ſeruo comparatur, vt in omnibus ad patris-familias præſcriptum ſe gerere debeat, dictat naturalis, cum iure gentium filij parentibus parere habeant, l. 2. de iuſt. & iur. ideoque iuſſus exigitur, cum obſequium debeatur, præſertim in re tanta, quantam matrimonium eſſe conſtat, quo pater per filium vniuerſæ poſteritatis ſpem complectitur. Nunc autem leniter admodum, & benignè iure ciuili conſenſus ſic exigitur, vt ſatis ſit ſi parens poſtea conſenſerit, aut non contradixerit, l. 5. l. 7. de ſponſal. Quidam hic *iuſſum* pro *voluntate* accipi volunt, vt & in l. 28. ſi ſuſpecta, §. quoniam, de inoffic. teſt. ſed obſtat l. 11. 12. 13. de his, qui not. inf. Præterea nodus adhuc maneret, ſi voluntas præcedere debeat. Nec audio Paraphraſtem ſcribentem: δεῖ δὲ τὴν πατρὸς ἡγεῖσθαι κέλευσιν, τουτέστι, δεῖ τὸν πατέρα συναινεῖν. Quod Gloſſema, verba Triboniani admittere non puto. Iuſſus non eſt vbi quid factum eſt, ſed antequam fiat, Præterea, propter educationem parentibus hunc honorem idem Græcus I. Conſultus deberi vult: non ego. Hæc patriæ poteſta-

Digitized by Google

poteſtatis potiùs ratio eſt, vt quibuſdam placuit: quamquam poteſtatem ad patres præcipuè pertinere, aliud etiam ſuadeat, vt aliud Analectum oſtendit. Patria verò poteſtas honoris huius ratio ciuilis eſt, vt prædiximus. Dices, ita manifeſtò colligi, illam ipſam educationem honoris huius cauſam eſſe, propria tamen ratio non eſt, niſi patria poteſtas, quæ ad fœminas non pertinet. Maior eſt latitudo illius rationis, quæ in educatione conſiſtit, aut rationes prædictæ id ipſum continent, aut matri quoque honor hic deberetur, & amplior. Hæc enim de prole certior, eiuſque maior & labor, & amor. Ariſtot. δοκεῖ δὴ τὸ εὖ μὲν πάσχειν ἄπονον εἶναι, τὸ δ᾽ εὖ ποιεῖν ἐργῶδες. διὰ ταῦτα δὲ καὶ αἱ μητέρες φιλοτεκνότεραι. ἐπιπονωτέρα γάρ ἡ γέννησις, καὶ μᾶλλον ἴσασιν ὅτι αὐτῶν. Nunc autem conſtat, non deberi. Venus apud Apul. Metamorph. lib 6: *Impares enim nuptiæ, & præterea in villa ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri: ac per hoc ſpurius iſte naſcetur.* Dixit, *patre non conſentiente*, non dixit, *matre*; licèt mater indignabunda loqueretur: quod nempe ciuilis ratio patria poteſtate nitatur, l. 2. de rit. nupt. Ideo a Triboniano quoque dicitur, *quorum in poteſtate ſunt*; & mox, *parentis*. Dixit, *impares*: quia Ordines legitimè non coniungebantur cuiuſuis conditionis fœminis, l. 44. l. Iulia, l. 49. obſeruandum, de rit. nupt. De alijs Dignitatibus plura Græci Βασιλικ. lib. 28. Idem eodem libro: *Iam faxo nuptias non impares, ſed legitimas, & iure ciuili congruas*. Illud etiam, veluti crimen obiectum, *in villa*: ſed cum adiuncto, *ſine teſtibus*: quaſi clandeſtinæ nuptiæ fuerint. Idem, in Apologia Pudentillæ obiectum refert, *ſexageſimo anno ætatis ad libidinem nupſiſſe, & quod in villa, ac non in oppido tabulæ nuptiales ſint conſignatæ*. Alterum mox ipſe diluit: quod nempe in villa nuptiæ celebrarentur, ne ciues ad ſportulas conuolarent. *Cæterum lex quidem Iulia*, inquit, *de maritandis Ordinibus, numquam ſcilicet in hunc modum*

inter-

Digitized by Google

interdicit, VXOREM in villa ne ducito. Primùm fruſtra obijceretur hodie, ob l. pænult. C. de nupt. Olim crimen erat, & varium, pro legum, & temporum varietate, pro ætate conuenientium, vt conſtat ex Vlpiani Fragmentis, alijſque compluribus locis. Sed ad Tribonianum reuertamur. Intantum enim *iuſſus* parentis præcedere debet, vt licèt ſatis ſit, ſi poſtea conſenſum præſtiterit, nuptiæ tamen ante conſenſum non intelligantur, ſed ab eo tantùm tempore, quo conſenſerit, nec retro trahatur rati habitio, l. 13. ſi vxor, §. ſi quis vxorem, ad l. Iul. de adulter. Orientales ex Conſtitutionibus: *Nuptiæ namque non fiunt niſi conſentiant, qui coniunguntur, & qui eos in poteſtate habent.* Baſilius Magnus: *puellæ præter patrum ſententiam nubentes, ſcortantur.* Eiuſdem Baſilij Canon apud Harmenopulum ita relatus in Epitome Canonum. *Nuptiæ ſine conſenſu eorum, qui habent in poteſtate, ſunt ſcortationes. Igitur neque patre, neque domino viuente ita conuenientes, culpa carent.* Huic rei medicinam facit eorumdem, ſi ſequatur adſenſus. Orientales ex eodem Baſilio: Licèt autem parentibus in gratiam redeuntibus emendari videatur, quod factum fuerit, non tamen ſtatim in communionem recipiuntur, ſed tribus annis pænitebunt, quandoquidem non accedentibus his, qui in poteſtatem habent, aliquando in ſcortationem nuptiæ inciderunt, ex eo verò tantùm tempore confirmantur, quo coniunctioni domini annuerint. Illud facundia tua tempeſtiuè ſubmonebitur, Legem eſſe diſponentem, ſi per triennium ignoretur, vbi pater degat, & an ſuperſtes ſit, licere filijs eius vtriuſque ſexus legitimas contrahere nuptias: ſi verò ante triennium captiui, aut abſentis filij nuptias celebrauerint, conſtet autem, patri perſonam non improbari, nuptias ratas eſſe. Cur igitur non reſcinduntur huiuſmodi nuptiæ? ob publicam vtilitatem, inquit Paull. ſent. lib. 2. tit. 19. Ergo imperfectam legem illã dixere, merito: nam dãmnat

Digitized by Google

quidem huiuſmodi nuptias, ſed non diſſoluit: negat retrotrahi parentum rati-habitionem, ſed illegitimam prioris temporis conſuetudinem non caſtigat. Canoniſtæ Græci, punita ſcortatione, minùs perfectam ex imperfecta reddere videntur. Sed hoc non eſt ex iure ciuili. Locus ille ex Canonibus Baſilij deſumptus eſt. Balſamon in Commentario notat, eo caſu non obtinere, quod dici ſolet, *Quæ ab initio non valent, tractu temporis non conualeſcunt.* Præterea ſic parentis conſenſus exigitur, vt nepote vxorem ducente, & filius conſentire debeat, non ſolus, auus: neptis verò ſi nubat, voluntas, & auctoritas aui ſufficiat, l. 16. oratione, de rit. nupt. Quæ non vnam videntur habere rationem: nempe, ſicut in adoptione, ne inuito ſuus agnoſcatur hæres, l. 6. de adopt. ſeu ne aucta familia, cum in patris poteſtatem poſt aui mortem filij recidant, aliquam ipſius ſubſtantia iacturam ſentiat, l. 28. tam dementis, C. de Epiſcop. audient. Sed nec, niſi parentibus volentibus, nuptiæ renouantur, l. 18. nuptiæ, de rit. nupt. Quod intelligemus pro ciuili ratione, de liberis, qui ſint in poteſtate, l. 25. filius, eod. l. 3. §. ſi emancipati, de bon. poſs. contr. tab. Dices, licèt in poteſtate non ſint, ſupereſt naturalis ratio iuris gentium; quæ nec emancipatione, nec alia qua ciuili ratione labefactari poteſt, l. 8. iura ſanguinis, de reg. iur. Dicam, emancipationem ita laxare, & remittere naturæ vincula, licèt ſoluere nequeat, vt patria poteſtas intendit, & adſtringit: Dicam, naturæ rationem *ſuadere*, (quo verbo & Tribonianus vtitur) ideſt, quaſi honeſtum exigere, vt & Pontificij Iuris Interpætes dixere, non tamen ad id cogere, aut veluti omnino neceſſarium requirere: ideoque diſſimulandum eſſe. Itaque ratio ciuilis, ideſt patria poteſtas præcipuum videtur momentum habere, non iniuria, nam nec temerè poteſtatis vim remittunt, & onera ſentiunt parentes. Scholiaſtes ad can. 6. Carthaginienſ. *Interdictum eſt etiam Sacerdotibus,*

Digitized by Google

ne illorum parentum oblationes recipiant, quibus ſcientibus filÿ in poteſtate poſiti ſcortantur. Nam eorum, qui in (alterius) *poteſtate poſiti ſunt, delicta, ad eorum dominos referuntur, vt ait B.* Ioannes. Et in can. 35. eiuſdem Carthaginienſ. definitum fuit, Epiſcopum, aut Clericum, qui ante ſtatum ætatis, aut morum, filium emancipauerit, delictorum ab eo admiſſorum participem eſſe. Fœminæ tamen, licèt in poteſtate non ſit, aliorum aliquando conſenſus neceſſarius eſt: vt ſi minor ſit xxv. annis, de ſententia patris nubere habeat, l. 18. l. 20. C. de nupt. Igitur in mulieribus plenæ ætatis Conſtitutio locum non habet, ſed ſuo arbitratu nubent, cur hoc expræſſum non fuerit, dicemus poſtea. De poſteriori conſtitutione agendum eſt. Aiunt Imperatores: *In coniunctione filiarum in Sacris poſitarum, patris expectatur arbitrium, ſed ſi ſui iuris puella ſit, intra quinctum & viceſimum annum conſtituta, ipſius quoque adſenſus exploretur.* Accurſius ait, *ipſius patris-familias*. Sed hoc fortè Conſtitutio vult: Si filia ſit in poteſtate, parentis arbitrium exſpectandum eſse: ſin minùs, ipſius quoque filiæ voluntatem explorari debere. Græci dicunt, communi ſententia, & patrem, & ipſam in matrimonium conſentire oportere: & priorem x i i x. Conſtitutionem ſecundùm hanc xx. intelligendam eſse. Lege Regia nominatim in filiam parenti vitæ, neciſque poteſtatem datam fuiſse, didicimus ex antiquis fragmentis apud Collatorem, tit. 4. & ſexus imbecillitas hæc ſatis ſuadet. De Viduis quoque idem conſtitutum: ſi quidem, etiamſi emancipationis libertate gaudeant, tamen in ſecundas nuptias ſine patris ſententia non conuenient. Vult ius ciuile, Viduas minores ita nubendi arbitrium habere, vt ſine patris tamen ſententia non nubant: nuptiarum verò Virginis, vnius patris-familias arbitrium eſſe. Sic Paullum intelligo, cum in l. 13. de ſponſal. ſcribit: filio-familias diſſentiente, ſponſalia nomine eius fieri non poſſunt. Sic Terrentium

accipio

accipio in l. 21. de rit. nupt. Non cogitur filius-familias vxorem ducere, qua ratione iſta dicuntur? Nam nemini dubium eſt, omnes conſentire debere, ideſt tam eos, qui coeunt, quàm eos, quorum in poteſtate ſunt, l. 2. eod. l. 11. de ſponſal. Sed ideo dicuntur, quod non idem ius prorſus ſit in filia-familias, & in filio-familias, illa conſentire intelligitur, neque ſemper diſſentire a patre poteſt, niſi vno tantum caſu, ſi indignum moribus, vel turpem ſponſum ei pater eligat, quem vnicum caſum notauit Vlpian. in lib. ſingul. de ſponſ. vel, vt Græci referunt, de dotib. l. 12. ſed quæ patris, de ſponſal. ex quo inferunt, Extra eum caſum cogi conſentire. Sed licèt cogatur, tamen illud ipſum maluiſſe videbitur, ne dicamus, matrimonium inter inuitos eſſe contractum, nam & voluntas coacta voluntas dicitur, l. 22. ſi patre, de rit. nupt. & qui diſſentit, inuito haud extremè opponitur, l. 45. in eo iure, §. deinde, eod. Matthæus Græcus Canoniſta obſeruat, filium etiam in ſacris poſitum, a patre cogi non poſſe, vt matrimonium contrahat, ſi in caſtitate degere voluerit. Quod adeo verum eſt, vt licèt Theologi cenſeant, non poſſe filium citra culpam ad patris præſcriptum, matrimonium recuſare, ſi parentis maximè interſit, attamen id intelligendum eſſe dicant ex hypotheſi, ſi nempe filius alium ſtatum ſequi, & a matrimonio abſtinere non conſtituerit, quid ſi & hoc conſtituerit, pater tamen adeo ſit inops, vt non aliter viuere poſſit, quam ſi filius certum matrimonium contraxerit? Dicendum eſt, Patri ſubueniendum eſſe. Hoc pietas exigit. Patria poteſtas iure diuino hanc vim non haberet. Nam per matrimonium quodammodo filius alteri mancipatur; & in ſeruitutem traditur, nempe propter coniugij vinculum; non igitur a patre cogetur. Equidem, parentes liberos diſtrahere poſſe, iure ciuili conſtitutum fuit, ſed & nos iam diximus, cogente neceſſitate filium in hoc etiam patri audientem eſſe oportere. Quis dixerit, ex hac ea-

dem

Digitized by Google

dem ratione ſequi, vt filius citra ſententiam patris matrimonium contrahere nequeat, ſi ſit in poteſtate, nam videtur ſe ipſum patri adimere,& coniugi mancipari. Si ad ius ciuile referas, verum eſt. Sed Pontifices in re ſacra, in re tanta conſenſum cōtrahentium requirunt. Hoc etiam præſcriptum Tridenti. Hoc ſeruandum. Si qua ex his, quæ retulimus, ad diuerſam ſententiam pertineant (iterum moneo) ad ius ciuile referenda ſunt: etiam quæ Baſilius Magnus ſcripſit: nam & huic ius ciuile præ oculis erat, vt opinor, nec adhuc fortè ea tempeſtate hæc ita rata erant, aut tam apertè in Eccleſia conſtituta. Quin etiam ſeruos ipſos, vel citra domini ſententiam in matrimonium conuenient. Nam a Myſterijs neque liber, neque ſeruus arcendus eſt, vt ait Hadrianus, c. 1. de coniug. ſeru. Sanè id ipſum non ſolùm ab Eccleſia, ſed etiam ab Alexio Comneno Imperatore præclarè conſtitutum fuerat Nouella v. inter editas, exſtat etiam inter Conſtitutiones Imperatorias Orientalium. Ad ea, quæ ex Baſilio afferuntur, eodem pacto reſpondebimus. Æquiſſima verò mihi videtur ſententia eorum, qui dicunt, filium non poſſe citra culpam clam patre matrimonium contrahere, ſed illum ante conſulere debere: mox, etiam ſi diſſentiat, ſuum arbitrium ſequi. Quod licèt de fœminis quoque dicendum ſit, multa tamen ab his præterea pudor exigit, licèt lex, aut Eccleſia non dictet. Equidem, ne arbitrium parentes negligentiores reddat, & diutiùs quàm par ſit, nuptiæ protrahantur, etiam iure ciuili ſancitum fuit, vt cum ad 25. annum filia peruenerit, non imputetur ei, ſi peccet, aut nubat, dum libero nubat. Iuſtinian. Nouell. 115. c. 3. Dicitur autem id non imputari εἰς ἀχαριςίαν, non autem quod honeſtum planè ſit, filiam ſine parentis voluntate nubere. Nec immeritò. Nam contrarium potius Virgines decet, propter cultum verecundiæ, quem D. Ambroſius non ſolùm exigit in virgine, verùm etiam in vidua

lib.

lib. 1. de Abraham cap. vlt. De virgine ait: *illa iudicium exſpectat parentum*: vt in d. l. 20, C. de nupt. *patris exſpectatur arbitrium*, poſtea ſubdit: *non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum.* Addit Euripidæum teſtimonium, quod Hermione dicat,

> Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει,
> Κ' οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.
>
> *Sponſalia mea pater curabit meus.*
> *Nec meum eſt, hæc arbitrari*

De vidua verò ita ſcribit: *Mulier etiam, quæ amiſſo citò marito, adoleſcentula laqueum infirmitatis ſuæ timet incidere, ſi vult, nubat: tantùm in Domino, vt electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ procacioris exiſtimetur auctor, ſi ipſa de nuptijs ſuis electionem ſibi vendicet, expetita enim magis debet videri a viro, quàm virum ipſa expetiſſe, verecundiam præmittat antequam nubat, quoad ipſum coniugium plus commendet verecundia.* Ambroſius & in virgine, & in vidua hanc verecundiam requirit. Imperatores pariter de vtriuſque pudore ſolliciti, iudices etiam partes ſuas interponere volunt: tunc nimirum, cum fœminæ patre deſtitutæ ſententiam de nuptijs ferre a lege permittitur, vt ſi nolit, vice ſua iudex deliberet. Hodie fermè Iudices faceſſunt, Viduæ minùs erubeſcunt, Virgines quoque facillimè arbitrantur.

Rurſus ſub-notata quædam de Arbitrio, de Raptu, de Nuptijs dilatis. An pater dotet, An exheredet filios, qui contra ſententiam ipſius in matrimonium conuenerint.

Cap. XXXIII.

SI quis animaduertat, quot malorum Iliades excitare poſſit vis in matrimonijs contrahendis, Eccleſiaſticam Con-

Digitized by Google

Conſtitutionem, quæ contrahentium conſenſum, & arbitrium totum facere vult, non ſolùm ſanctam, ſed etiam Reipublicæ ſalutarem eſſe conſtituet. Indè nimirum raptus, inde fugæ, indè iurgia, & hoſtiles ac Eteocleæ, ſi conuenerint, inter coniuges, contentiones, & ſimultates: vt omittam adulteria, & fœdiora mala. Balſamoni tale facinus aliquando proponebatur: *Fœmina quædam, cum proprio patre cogente, in viri manum legitimè conuenire deberet, gnara cautionibus ſcriptis coniugium a patre munitum fuiſſe, rem, vt probè confecta erat, cuidam amatori ſuo indicauit.* Cum verò volens rapta mox ab amatore fuiſſet, Balſamon legitimam, canonicamque ſanctionem intentat. Et raptus quidem pœnas duriſſimas eſſe, iure ciuili ſancitum fuit, l. vn. C. de rapt. virg. Nouell. 143 & 150. vt alibi ſcripſi, ſed eo magis cauendum eſt, ne coniuges cogantur. De pœnis huius criminis agit & Attaliata tit 84. Quæ Pſellius in Scholio quodam addidit, non ſunt ex Conſtitutionibus Iuſtiniani, ſed ex Nouella Leonis: *Vim puellæ inferens, & barbaricè cum gladijs per vim illam rapiens, gladio puniendus. Si quis vero ſine armis puellam rapuerit, & publicationem patitur, & manus ei abſcinditur. Vel potius, non patitur publicationem, ſed ſaltem ipſius patrimonium vniuerſum violatæ adiudicatur.* De pœnis Canonicis, Baſil. Magn. in can. 22. 30. 37. Balſamon in Commentar. & alij. Sed recens plura Tridentis quæ præcipua nobis ſunt. Nam ad conſenſum contrahentium referendum videtur, vt nullum conſiſtat matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nec ſeparata, & in loco libero, ac tuto collocata fuerit. Quod etiam diximus, ex Nouella Iuſtinian. vt Virgo poſt annum 25. nubat, cui velit, confirmauit Baſilius Macedo, non ita tamen vt liceret ei in quemcumque vellet ſe conijcere, ſed, ſi pater negligens eſſet in ipſius nuptijs promouendis, vt ad Præfectum, vel

Quæſtorem, in Prouincijs verò ad Præſidem rem deferret qui patrem cogerent, vt & nuptui filiam collocarret, & dotem præſtaret. Quæ licèt hodie nullam vim habeant, cum filiarum ſit arbitrium, & honeſtum tantummodo dicatur, vt parentes conſentiant, quia tamen re-ipſa ſæpè contingit, Virgines a nuptijs arceri, ex vſu eſſet, vt Magiſtratus ex officio in parentes, ac adgnatos intempeſtiuè a nuptijs virgines cohibentes caute inquirerent, & prudenter, ac ſine turbis vulgarium iudiciorum cauſas cognoſcerent, ſed cognitionem ad Antiſtites Ciuitatum potiùs pertinere crediderim. Ad conſenſum etiam pertinet, quod quæri ſolet, An pater filios exhæredare poſſit, ſi contra ſententiam, & voluntatem illius matrimonium contraxerint, & olim quidem, non dubium eſt, iure ſuo vtebatur parens, qui ob hanc cauſam exhæredabat, l. 3. §. ſi emancipatus, de bon. poſs. contr. tab. Hodie verò dicendum eſt, non poſſe. Matrimonij enim arbitrium filij non haberent. Sed nonne pater ſaltem ante conſulendus, & illius voluntas exploranda, & quaſi prætentanda? verum eſt, ſed ſi pater reluctetur, arbitrium tamen filium ſequi poſſe, dicebamus. Quid ſi nec patrem conſuluerit? peccare dicemus, ſed in peccantem nullam humanam ſancitam eſſe pœnam, non rectè facit: nec tamen punitur, quod non eſt nouum, l. 14. & ſi quis, §. Diuus, de relig. & ſumpt. fun. Idemque dicendum de filia, quæ indigno nubat, non enim ob id exhæres erit. Olim aliud dicendum erat, cum filia citra ſententiam patris nubens ſtuprum admittebat, nam ex legitima cauſa exhæres erat, cum in corpus ſuum peccabat, Nouell. 115. De his, qui contra ſententiam patris in matrimonium conueniant, Nouella non loquitur. Quid ſi lex aliqua alicubi dictet, vt filia ſine paterno conſilio nubens exhæredari poſſit? non enim arbitrium nubendi tolleret, ſed conſilium petendum eſſe præſcriberet, & honeſtum eſt, igitur hoc improbandum non videtur. Et

illud

Digitized by Google

illud controuerſum eſt. An pater dotem præſtare teneatur filiæ indigno nubenti. Sunt, qui velint, omnino teneri. Sed ita ne dicemus, patrem cogi, ſi coniuges abundent, ſi alimenta habeant? Nam filia in patris necem nupſit: nam familiæ vniuerſæ notam inuſſit. Fortaſſe non errant, qui ad dotem præſtandam patrem dicunt non eſſe cogendum, ſi vtrique coniugi alimenta, & cætera liberorum onera ſuperſint, l. 5. §. non tantùm, de agnoſc. & alend. liber. Extra cauſam hanc certè pater dotem præſtabit.

De furore, redhibitione, & ſeparatione. Enthuſiaſmus, σωφροσύνη. *Cap. XXXIV.*

AIT Vlpianus: *Interdum tamen, inquit* Viuianus, *vitium corporale vſque ad animum peruenire, & eum vitiare: veluti contingeret* φρενιτικῷ, *quia id ei ex febribus acciderit. quid ergo eſt? ſi quid ſit animi vitium tale, vt id a venditore excipi oporteret, neque id venditor, cum ſciret, pronunciaſſet, ex empto eum teneri*, l. 1. §. apud Viuianum, de Aedilit. Edict. quid ſibi vult, cum ait, *quia id ei ex febribus acciderit?* Dicant Medici. Nam freneticus non eſt ſine vitio corporis, id eſt ſine febre. Galenus in primum Prorrhet. Hip. com. 1. ſect. 2. φρενῖτιν δ' οὐκ ὀνομάζουσιν ἁπλῶς τὴν ἐμπύρετον, ἀλλὰ τὴν διηνεκοῦς τῆς παραφροσύνης, τῇ διηνεκεῖ δὲ τῆς παραφροσύνης ὅταν πυρετὸς γένηται, τὴν φρενῖτιν γνώριμον μὲν & ſectione 4. φρενῖτις ὀνομάζεται πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ τοιαύτη διάθεσις, ἐν ᾗ τὰς φρένας ὁρῶσι βεβλαμμένας, ὡς δὴ καὶ νοῦν, καὶ διάνοιαν ὀνομάζουσιν. Celſus lib. 2. c. 1. *Inſaniam febricitantium* φρενῖτιν *appellant.* Idem lib. 3. c. 18. *Primam inſaniæ partem aggrediar, quæ & acuta, & in febre eſt: Græci* φρενῖτιν *appellant.* ἡ ἀκριβὴς ex flaua naſcitur bile, & diſtat a delirio, quod hæc perpetua ſit. ἡ μέντοι φρενῖτις ἀεὶ παραμένει, ait Trallianus lib. 1. c. 13.

13. Igitur qui aliquando ex febribus delirauerit, non redhibetur, & id voluit Vlpianus, dum dixit, *ſicuti ſi aliquando febrem habuit*: Nam huic comparat *fanaticum*, eumue qui circa fana bacchatus ſit, ἐνθεαστικόν, qui deo plenum ſe adſimulauerit, id verò ſæpe ex atra naſcitur. Actuar. lib. 1. c. 35. οἵδε γὰρ δοκοῦσιν ὑπὸ μείζονός τινος ἐφορᾶσθαι δαίμονος, καὶ προλέγειν οἷον πειρῶνται τὰ ἐσόμενα, καθάπερ οἱ τινες ἐνθεάζοντες. *Vim maiorem*, licèt in re diuerſa, & I. Conſulti dixere, & προλέγειν Vlpiano ibidem eſt *profari*. Enthuſiaſmum graphicè deſcribit Galenus in Definit. Medic. Ἐνθουσιασμός ἐστι, καθάπερ ἐξίστανταί τινες ἐπὶ τῶν ὑποθυμιωμένων τοῖς ἱεροῖς ὁρῶντες ἢ τυμπάνων, ἢ αὐλῶν, ἢ συμβόλων ἀκούσαντες. neſcio an Galenus ſcripſerit: ἢ κυμβάλων ἀκούσαντες. Lamprid. in Heliogabal. *iactauit caput inter præciſos fanaticos*. Ex his intelligimus, cur Vlpianus item dixerit, *etiamſi per luxoriam id factum eſt*: Nam aliquando ex bile infeſta prouenit, nec tamen adnumeramus inter vitia corporis, ſed animi. Tumidos aliquando, & nugaces riſi: eos dico, qui cum præcipuè ſequioris ſexus ferocientem aliquam viderint, ſtatim hominem miſeram excantatam, clamant, & ad philtra rem referunt, quod ſine febribus contingere aduertant: cum tamen plerumque humores peccent. At mirabile —, non redhiberi bacchantem, aut delirantem, etſi citra febres, ſumma ratio eſt, quod Edicto non contineantur niſi vitia corporis, datur tamen actio ex empto, l. 1. l. 4. eod. Hanc differentiam luculenter explicat Galenus lib. 3. ἐπιδ com. 3. ſect. 45. Et comm. 2. ſect. 55. verba Senis explicans ait: μανίας καλεῖ τὰς ἄνευ πυρετοῦ παραφροσύνας. Peccat verò atra frequenter ex mutatione flauæ, cum hæc nimirum exuſta in eam mutatur: vndè *Mania*, ἐφ' ᾗ θηριωδῶς ἐκμαίνονται, ὥστε καί τοὺς τὰ μέγιστα προστυγχάνοντας αὐτοῖς διαχειρίζεσθαι, ait Aegin. lib. 3. c. 14. quam appellat flauam ἐκποτισθεῖσαν Aegineta, Galenus in primum Prorrhet. com. 1. ſect. 14. κατοπτηθεῖσαν dicit, ex qua ἔκστασις μελαγχολική, *melancholica*

lica mentis abalienatio. Quod verò dicit Aegineta, ferarum more effrænes ægros reddi, & violenter agere cum his, qui temerè occurant, & de Lycanthropia, Vlpianus pariter deſcribit in l.22.ſi cum dotem, §. ſin autem tantus, D.ſol.matr. *ſin autem tantus furor eſt, ita ferox, ita perniciosus, vt ſanitatis nulla ſpes ſuperſit, circa miniſtros terribilis, &c.* quo caſu marito permiſſum repudium mittere (ad Leges, non ad Canones hæc referenda:) Nam *ſi quidem interuallum furor habeat, vel perpetuus quidem morbus eſt tamen ferendus his qui circa eam ſunt, tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium*, indè dicitur, quod *furor contrahi matrimonium non ſinit, quia conſenſu opus eſt, ſed rectè contractum non impedit*, l.16. oratione §.fin. de rit.nupt. idem de concubinatu iure ciuili dicendum eſt, l.2. de concubinis: & notat Anonymus Σχόλιαις. lib. 28. Poſtea verò Leonis Philoſophi, & Nicephori Botoniatæ Nouellis certum ſpatium conſtitutum fuit, intra quod propter furorem non liceat, coniuges ſeparari. Orientales ſententiam referunt: exſtat etiam vtraque inter Leonis Conſtitutiones Nouell. 111. & 112. Quod ſi a dæmone aliquis ex coniugibus fortè vexetur, vetant Leo, & Conſtantinus hac de cauſa ſeparari, Nouella 3. in fine Vetat & Petrus Alexandrinus can. xv. Ὁ δαιμονῶσαν ἔχων γυναῖκα, εἰ ἄλλην λήψεται, μοιχᾶται. *Qui vxorem habet a dæmone obſeſſam, ſi aliam acceperit, mœcatur*. Ad quæ Scholiaſtes notat, Leonis Nouellam permittere diuortium. Sed fortè negatio illi, aut Librario excidit. Sanè nec Pontificio iure matrimonium ex eo diſſolui poteſt. Huic Analecto Coronidem addamus. Nam vt Galenus φρενῖτι dicit quando φρένας læſas videmus, ita e contrario σωφροσύνη dicitur quando incolumes φρένας habemus. Ariſtoteles quidem lib.6.c.5. Ethic.Nicomach. σωφροσύνην dici vult, quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν quæ ſententia Platonis eſt in Cratylo. σωφροσύνη δέ inquit, σωτηρία ὧν νῦν δὴ ἐσκέμμεθα, φρονήσεως. ſed

iſtud

iſtud quibuſdam minùs placuit. Aliter Iſidorus Peluſiota Ep. 266. Σωφροσύνη κυρίως εἴρηται ἡ ἀντιδιαστελλομένη τῇ μανίᾳ, παρὰ τὸ σόας ἔχειν τὰς φρένας. ideſt: Σωφροσύνη *propriè dicitur, quæ furori opponitur, quod mens incolumis habeatur*, & ita ibidem dicit Peluſiota, Apoſtolum oppoſuiſſe σωφροσύνην τῇ μανίᾳ, quo loco reſpondet Præfecto, τῆς πράξεως τῶν ἀποστόλ c. 26. inquit Pręfectus, μαίνῃ Παῦλε, τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. Paullus verò, οὐ μαίνομαι φησι, κράτιστε φῆστε, ἀλλὰ σωφροσύνης, ϗ ἀληθείας ῥήματα ἀποφθέγγομαι.

Cera. Rubrica. παραπλάσματα. *Cap.* XXXV.

CERIS quoque imagines fingere, pingere eſt. Plinius, aliiq; docent. Itaque inter inſtrumenta Pictoris ceras in primis Marcianus ponit, l. 17. item Pictoris, de inſtr. vel inſtr. leg. Anteſignanis verbis, & litteris ceras coloribus variegatas appingebant βιβλιογράφοι. Minio in primis vtebantur, fortè nec ſine myſterio, vt innuit Prudentius contra Symmachum:

——aut cur Rubrica minetur,
Quæ probibet peccare reos.——

Iſidor. lib. 19. c. 17. *Rubrica vocata, quod ſit rubra, & ſanguineo proxima*. Hinc etiam *Rubræ maiorum leges*, apud Iuuenalem Satyr. 14 & licèt non modò legum, ſed & aliorum librorum exordia minio inter-ſtinguerentur, I. Conſultorum tamen vox propria, & antiqua eſt. Apud Perſium *Maſuri Rubrica*, notant viri docti, ceris antiquos Criticos vſos eſſe, cum Notas libris appingerent, quas παραπλάσματα dicerent. Heſych. παραπλάσματα τὰ κήρια τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς βιβλίοις, quod & antea didicimus ex M. Tull. ad Attic. lib. 15. *His litteris ſcriptis, me ad* συντάξεις *dedi: quæ quidem vereor, ne miniata cerula tua notanda ſint: ita ſum* μετέωρος, *& magnis cogitationibus impeditus*, & lib. 16. *Noſtrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipſe poſuiſti*

quæ

quæ mihi florentiora viſa ſunt tuo iudicio, cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam. Aliter vſus eſt Democritus, vt eſt apud Vitruu. lib. 19. c. 3. In Gloſſis: *Rubrica*, & *Robrica*, ſcriptum, μιλτος, & alio loco: *Rubrica*, μιλμιλλις, ſi ſcriptura ſana eſt.

Explicatur ἐναντιοφανὲς *inter l. 2. de bon. cor. qui ante ſent. & l. 29. de iur. fiſc.* *Cap. XXXVI.*

MACER libro 2. Publicorum, Seueri, & Antonini Reſcriptum retulit: cuius ſententia eſt, vt qui a latronibus nominati, corruptis accuſatoribus vixerint, hæredibus defenſionem non relinquant, l. 2. de bon. cor. qui ant. ſent. quæ ſententia pugnare videtur cum his, quæ ſcribit Vlpian. in l. 29. de iure Fiſci, ait enim, pro victo haberi eum, qui delatorem corrupit, ſed pœnam aduerſum eumdem locum habere, aduerſus hæredem tranſire non debere. Sunt qui priori loco legendum eſſe contendant, *rationis non eſt*: cum tamen & formæ, & ſcripti referant, *rationis eſt*. Alij opinantur, vnicum crimen in verbis Vlpiani contineri, duplex verò in verbis Macri: quaſi Macer agat de his, qui non modò accuſatores corruperint, ſed ſibi manus etiam intulerint. Verùm, cum Macer dicat, diem ſuum obijſſe, vix eſt, vt manus ſibi intuliſſe, nos dicere poſſimus. Præterea ſiue vnicum, ſiue duplex ſit crimen, exploratum eſt tamen, vnicum illud ſatis eſſe, quod accuſatores corruperit, vt pro confeſſo habeatur. Denique, in controuerſiam reuocant, An qui nominatus fuerit tantum a latronibus damnatis, pro confeſſo habeatur, quod minùs obſcurum videtur. Sed adhuc pax inter Vlpianum, & Macrum tentari poteſt, ſi dixerimus, Macrum intelligere defenſionem nominis, & famæ reo-

rum.

rum ? Ad iniuriam defuncti pertinet, quod inter latrones cenſeatur. Sed ſibi imputet, qui accuſatores corrupit, ita nempe ſe ipſum prodidit, & pro confeſſo habetur. Id Vlpianus dicit, id Macer. Non relinquet igitur defenſionem hæredibus, ſed poſt fatum rei, ad defenſionem nominis, & famæ illius nemo admittetur, quid enim admittetur defenſor pro victo, & confeſſo? Sed quæretur, poſt mortem rei, quid defenſione opus ſit. Quaſi verò aut lex infelicitatem hominum, etiam, poſt fatum, & cineres, quantùm poteſt, releuare non ſtudeat: cuius rei exempla exſtant in l. Aelia-Sentia, & alibi: aut nomen noſtrum ad nos non pertineat etiam cum non ſumus. Iuſtinianus Nouell. 1. c. 4. ὡς ὁ νόμος αὐτοῖς καὶ τεθνεῶσιν ὑπηρετεῖται. *quod lex etiam ſepultis adminiſtrabit*; & Nouell. 2. admiratione, & laude, votoque dignum dicit, mulierem τηρῆσαι ἄθικτον τῷ τελευτήσαντι τὴν εὐνήν: id eſt, *inuiolatum defuncti viri ſeruare thorum*. Inter Græcos Interpretes lib. 60. βασιλικῶν, Nomophylax ſcribit, ideo cum hæredibus non agi, quod rei manifeſti conſtituti fuerint, vt non ſit opus, quæſtionem, veluti ambiguam, producere. Alius verò Interpræs eamdem, quam protuli ſententiam, dicere videtur. Ait enim fortè ſatius eſſe, locum hunc ſic intelligere, quod hæredes ad defenſionem ipſius defuncti admitti non debeant, vt de eo iudicetur, ſed repellendos, & remouendos eſſe, quaſi nempe eo iam victo, & ſua confeſſione damnato. Nam de ſe ipſo quodammodo ſententiam tulit, qui accuſatorem corrupit.

Publica. Reſpublica. Senatores. Commune. *Cap. XXXVII.*

DEmatur aſteriſcus ex notis Aſconij ad ea M. Tull. verba in 4. contra Verr. *iniuſſu Populi, ac Senatus*, ad

ad quæ Aſcon. *Magnificè quidem: Siculum tamen dicit, & Populum, & Senatum*. Punge, & diſtingue ſic, nec ſtigmate opus erit. Vult Aſconius, M. Tullium magnificè de Siculis eadem illa verba vſurpaſſe, quæ Rem. Romanam deſignent, expreſſam frequenter notis illis, S.P.Q.R. hæc tamen verba extenuari *Siculi* voce I.Conſulti quoque ferunt καταχρηστικῶς bona Ciuitatis publica dici: *Sola enim ea publica ſunt, quæ Populi Romani ſunt. Ciuitates priuatorum loco habentur*, l. 15. l. 16. de V.S. dicuntur tamen & Ciuitates *Reſpublicæ*, paſſim in iure noſtro. Aggenus: *perſonæ publicæ etiam Coloniæ appellantur*. Præterea *Senatus*, ideſt Bule, & *Senatores* dicti, qui Decuriones, & Buleutæ. Plin. lib. 10. Ep. 83. 84. 115. 116. & alibi. Ideoque Romani Senatores non ſemper ἁπλῶς, ſed *Senatores Populi* R. dicti apud Spartianum, Trebelium, Lampridium, Victorem. Lapis, Tibure: SENATVS. P.Q. TIBVRS. *optimè de Republica merito*. Contra, idem Aſcon. in 3. in Verr. cum M. Tull. *Commune Miliadum* dixiſſet, velut id notans, ſubdit: *Mire Commune, Rempublicam*. Notat ἀνωμαλίαν. Hæſit in læuiſſimo mendo vir doctus, qui in ſuo græcæ linguæ Theſ. notat, apud Ciceronem, *commune* Aſconium exponere, *communem rempublicam*, quid iſtuc monſtri eſt? quin miratur Aſconius, M. Tullium *Rempublicam* appellaſſe *commune*. Obſeruaui tamen, quod a Conſtantino dicatur *Debitor Reipublicæ ciuitatis* in l. 2. tit. 33. lib. XI. C. Κοινὸν τῶν Θεσσαλῶν dicit D. Hadrianus, qui & D. Pius, vt ſcribit Calliſtratus in l. 37. ſi de vi de iudic. & Marcian. in l. 5. ad l. Iul. de vi publ. Κοινὸν ῥοδίων lego in nummo M. Antonij Triumuiri. Κοινὸν Ἰουδαίων dixit Iulianus Apoſtata in Epiſtola quadam ad Iudæos. Vide & l. 1. §. 1. & l. 25. D. de appellat. Orationem Hadrianum habuiſſe ἐν αὐτῷ Romæ veteris, dicit Iuſtinian. in Conſtitutione Græca δέδωκεν, in fronte Digeſtor. Symmachus lib. 1. Ep. XI. *Ad Dominos, & Principes noſtros Siciliæ Commune legauit*.

gauit. Equidem ſatis religioſè verba expendere videtur Aſconius, cum *Commune* Rem quoque Romanam deſignet, vt apud Horat. Carmin. lib. 2. Od. 15.

Priuatus illis cenſus erat breuis,
Commune magnum.——

Idem Aſconius verbo videtur offenſus in eadem 3. contra Verr. Nam ad ea verba, *Diſſenſio ciuium*: ſcribit: *Leuiter dixit bellum ciuile grauiſſimum Sylla cum Marianis.*

Competitiones. Competentes. Impetitores. Impetiti. *Cap. XXXIIX.*

EX quo ad fiſcum bona pertinere cœperant, anni ſpatium præſcriptum erat in Theodoſianis Conſtitutionibus tit. 45. intra quod eadem nemini competere licebat. Sed poſtea petitiones omnino ſublatas eſſe, conſtat ex lib. x. Codic. Iuſtin. tit. xii. In Nouella Valentiniani *competitiones* dicuntur, vt & in C. Theodoſ. l. 27. & ſeqq: de petition. alijſque titulis, lib. 10. In Codice noſtro *petitiones*. Sed & *competitores publicorum locorum* dicit Caſſiodor. lib. 7. formula 44. *Competere* hoc pacto & olim vſurpatum, vt a Quinctil. in Declamat. & indè dicti Catechumeni *Competentes*, *id eſt*, *gratiam Chriſti petentes*: *nam Catechumeni tantum audiunt*, *mo dum petunt*, ait Iſidor. de Offic. Eccl. lib. 2. c. 21. Ex impudentia, & colluſione delatorum, maxima ex parte competitiones interdictas fuiſſe opinor, dum ipſi deferebant, alij petebant, ita in Codice Theodoſ. lib. 10. conceptus eſt titulus 5. *de petitionibus*, *& vltro datis*, *& delatoribus*. & tit. 5. *ſi petitionis ſocius ſine herede defecerit*: quem Tribonianus ſic, abolitis competitionibus, immutauit, *ſi liberalitatis imperialis ſocius ſine herede deceſſerit*. Anianus: *Delatores dicuntur*, *qui aut facultates prodiderint alienas*, *aut caput impetunt alienum*.

Sed

Digitized by Google

Sed *impetitores* etiam dicti, qui reos iudicio vexarent adeoque *impetitores* debitoribus ἀντικείμενοι. corruptus in ea voce Firmicus lib. 4. *Deſerui itaque hoc ſtudium, ne imperitorum, ac debitorum hominum conualeſcente conſenſu, pro alienis vtilitatibus excubans, maximis me inſidijs, & maximorum periculorum diſcriminibus implicarem*, reſcribe, *impetitorum*. Dictato quoque iudicio, dicuntur *impetitiones*: vt dicit Innocent. c. 3. §. vlt. de cauſs. poſs. c. 15. §. cum igitur, de accuſat. vt *crimen impetere* dicit Ioannes IIX. ad Ausbertum, apud Iuonem, & *quomodo impetendus ſit Clericus de maleficijs*, apud eumdem par. XI. c. 27. Rei contra *impetiti* dicuntur. Caſſiodor. lib. 5. Ep. 33 *& ideo ſublimitas tua impetitos ad ſuum faciat examen occurrere*, in antiquis etiam Gloſſis ad exprimendam Petitorum, & Actorum violentiam *petitiones* dicuntur ὁρμαί: *petitor* ὁ ἐπάγων, μηνυτήρ. In eiſdem: *petuoſus*, Μύωψ: & *Impetuius*, βίαιος. Alibi: *Impete*, Ὁρμηδόν. Rurſus: *Competit*, Συνορμῶ, Συνερίζει, Φιλονεικεῖ. *Competens*, Τὸ ἐπιβάλλον. *Competitio*, Ἅμιλλα, φιλονεικία. *Competit*. Ἐφίεται. Caſſiodorus lib. 5. Ep. 17. *Non habet quod nobis Græcus imputet, aut Afer inſultet.* An ſcripſit, *quod nobis Græcus impetat*?

Paradoxum in explicanda ſententia l. 137. continuus, de verb. oblig. Accipere. Volo. in Tacito quædam explicata, quædam fortè reſtituta. παρέργως *de Patria eiuſdem.*

Cap. XXXIX.

EGo ſic exiſtimo, Continuum actum ſtipulantis, & promittentis non ex tempore modò, ſed inprimis ex conſenſu vtriuſque æſtimandum eſſe. Nam ſtipulatio quoque, & ſi verbis fit, ſi non habet conſenſum, nulla eſt, l. 1. de pact. Sed conſenſus ex vtroque latere exigitur,

ideſt, vt in vnam ſententiam decurratur: & continuus is actus erit inter ſtipulantem, & promittentem, ſi diuerſus animi motus, qui aliò auertat animum illius, qui interrogatus fuerit, non interuenerit. Poſt interrogationem equidem, placitum ſtipulantis euidens eſt, adeoque nil præterea deſideratur, niſi vt actus promittentis conueniat. Ita ferendum eſt, ſi diſceſſerit, qui præſens interrogauit, & reuerſo reſponſum ſit: nam & aliquod naturæ momentum interuenire poteſt, &, ſi eadem die reſponſum fuerit, ſatis eſſe videtur, l. 1. de verb. obl. l. 12. de duob. reis. Eademque ratione in l. 6. eod. & modicum temporis interuallum, & modicum actum Iulianus non impedire dixit. Impediret extraneum negotium, non modicum: inefficax eſſet reſponſio abſenti data. Quod ſi poſt interrogationem ei, qui interrogatus fuit, diuerſum quid renunciatum ſit, vt ab interrogatione animum auerterit, puto continuum actum ſtipulantis, & promittentis dici non poſſe: nam poſtquam interrogationem audiuit, animum ab-alienauit, vt continuus vtriuſque actus, quantùm pertinet ad animorum motus, iam eſſe nequeat. Manifeſtò enim actus diuiduntur, ob diuerſitatem eius, quod interim accepit. Id puto voluiſſe Venuleium in l. 137. continuus, de verb. obl. *Cæterùm ſi poſt interrogationem aliud acceperit, nihil proderit, quamuis eadem die ſpopondiſſet*. Loquitur de promittente, itaque non obſtant, quæ de ſtipulante dicuntur in l. 1. eodem. Sunt tamen, qui verba iſta ſic accipiant, vt dicant, *aliud acceperit*, ideſt, aliud aggreſſus fuerit, aliud inceperit, ſeu occeperit. Sunt etiam, qui legant *aliud agere cæperit*: ſed ſcriptis reclamantibus, ego *aliud accipere*, dici crediderim de eo, qui poſt interrogationem ſtatim aliud diuerſum agitare, & animo voluere cœperit, cum nondum mente repoſuerit illud, de quo interrogatus ſit: veluti ſi aliud ei renuntiatum fuerit. Gloſſæ vett. *Accipit*, Ακόυει, Δέχεται, λαμβάνει. Diuerſum accepit, qui alteri operam

dedit

dedit, & ab incepto, ab interrogatione animum abduxit. Adtexam & aliud. Hoc verbum *Volo*, quandoque deſideratur, quandoque παρέλκει. Intelligitur, vt in l. x1. fideicommiſſa, §. ſic fideicommiſſum, de legat. 3. *Verùm ſi antiquam dederit, deceſſerit, hæres eius præſtat*. Nam fideicommiſſum fuerat, SI VOLVERIS: potuit autem nolens etiam dediſſe, cum tamen ad fideicommiſſi conditionem Vlpianus reſpiciat. Supereſt, vt in illo antiquo Edicto, quod Gellius refert lib. 10. c. 3. *Galeni vbi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauiſſe vellet, cum Magiſtratus Romanus ibi eſſet*. Hyginus: *mare cœpit irrigare velle*. Similis quædam loquendi ratio, niſi fallor, in Tacito: apud quem Caractacus Annali 12. ſic ait: Nam ſi vos omnibus imperitare vultis, ſequitur, vt omnes ſeruitutem accipiant, quæ deprauata quidam eſſe cenſent, non ego, morata locutione dictum eſt. Si quis enim dixiſſet, Caractacum equos, viros, arma, opes retinere potuiſſe, nec tamen rebellem animum contra Romanos induere: reſpondet ipſe, id nequaquam conſtitui potuiſſe, quod Romani omnibus imperitare vellent: ex quo ſequebatur, vt omnes ſeruitutem accipere haberent, adeoque opes minimè retinerent; cum ſerui quodcumque habuerint, non ſibi, ſed dominis habeant. At alij quærunt, qua ratione ſequatur, vt ſi ego tibi imperare velim, tu ſeruitutem accipere debeas. Nam abnuere potes, & me per vim agentem in diſcrimen vocare. Sed hoc eſt, quod dicimus, pro re voluntas accipitur. Ex ore itidem barbaro, Boiocali nimirum, Tacitus lib. 13. rurſus id ipſum vſurpat: *Solem deinde reſpiciens, & cætera ſidera vocans, quaſi coram interrogabat, vellent, ne contueri inane ſolum?* Hoc idem verbum & hac, & alia quadam ratione vſurpant Græci, vel potius plerique ex Europæis. Ariſt. lib. 2. Phyſicor. ϐούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον, & rurſus eodem libro, τὸ γὰρ οὗ ἕνεκα, βέλτιστον, καὶ τέλος τῶν ἄλλων ἐθέλει εἶναι,

Digitized by Google

εἶναι. & 5. Politicor. βούλεται δὲ ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ. Idiotiſmus eſt. Habemus & ſimilem Italiſmum. Non mittam Tacitum, niſi quid aliud addidero. In mandatis Antiſtij ad Plautum: lib. 14. Effugeret ſegnem mortem, otium, ſuffugium, & magni nominis miſerationem, reperturum bonos, conſociaturum audaces. Meritò, niſi fallor, ſuſpecta hæc habita ſunt. Ego leuiſſima mutatione, & diſtinctione ſic aliquando reſtituere tentabam: effugeret ſegnem mortem, (hoc iam ſuffugium) & magni nominis miſerationem, interpoſuit illud Antiſtius, vt ſubmoneret, ſuffugium aliud reliquum iam non eſſe, niſi per animi magnitudinem, & aliquod inſigne facinus, ignauo nempe omnino moriendum eſſe, forti mortem in ambiguo futuram. Sed quis ad Taciti nomen hìc ſuſtulit vultum? quis iure Romano dimicaturus ad Interdictum venire me iubet? Nam hunc, *Principem Hiſtoricum* dixi. Quin igitur præterea, *Salluſtius*, vel *Liuius*, mihi diem dicat, & lege Iulia de vi reum peragat? Si crimen eſt, vltrò profiteor. Hoc addo: me, cum illud protuli, non quid Tacitus ſcripſerit, ſed quomodo ſcripſerit, mente agitaſſe. Iudicetur. Noui præterea, pleroſque hodie claro huic nomini fauere; quamquam aliqui fortè (vt fama eſt) contra pietatem Hiſtoria illa abutantur, quod vitio illis vertendum, (ſi pauca ad Religionem ſpectantia dempſeris) non Scriptori. Multa etiam multi, & docti viri in eo præſtitere: at citra inuidiam, certè citra iniuriam dici poſſe crediderim, multa pariter deſiderari. Clamant lacunæ, & obeli. Illi ipſi ſenſere. Sed & Taciti Patriam adhuc quærebamus: Interamnates tamen, ecce, Illuſtrem Ciuem ſibi aſſerere, remque non obſcuris argumentis oſtendere audio. Multa dies multa docere, & conferre poteſt. Auctor ſanè *fecundiſſimos Italiæ campos* ex eorumdem perſona dilaudat. Vrbis etiam mentio non vno loco in Hiſtorijs. Et Ciuis, & Ciuium cauſa huic Origini faueo.

Anale-

Analecta miſcella, & Elenchi. Ius experiri. Iudiciorum fata. De Iuriſ-dictione, & de perſonæ Metatheſi quadam. De cubito Niliaco. Antiqua lectio in Tacito confirmata. Firmicus emendatus. De Dominica die, & Palmarum, ſiue Baiorum feſto. Capiti-lanium. Perlauia. De alijs diebus. Quædam ex Conſtantini legibus. De triplici ſigno in conuocatione ad Eccleſias. Hypapante. Cap. XL.

INdignor, vtcumque lego Belgarum [illegible], illum benè doctum non credere, priſcum eſſe quod dicitur, *Ius experiri*, ſed gloſſemate creſcere. *Experiri*, ſine adiecto dicitur: quis neget? Græci reddunt κινεῖν, in l. 11. §. partus, D. de Publ. in rem act. & dicitur etiam de reo, de Piſone Annal. 3. *an adhuc experiretur, dubitans*, ſed & illo modo dicitur, vt Ceſtius dixit eodem lib. *neque ipſe audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam*, itaque ampliare potiùs oportuit hanc loquendi rationem. Nam qui *ius*, apud Cornelium gloſſema eſſe crediderint, ne illi videbuntur, parùm attentè noſtra legiſſe, videatur ipſa l. 1. de in ius voc. *Diſceptationem* etiam *experiri* Marcianus dixit in l. 25. cum Clericis, C. de Epiſc. & Cler. Paullus, *iudicium experiri*, l. 25. hæredes, famil. erciſc. I. Conſulti actoris potiùs vocem faciunt. Sed & ideo putant *experiri* de iure dici, quod & in iudicijs fatum aliquod ſit, l. 41. C. Th. de appell. Hinc illa frequenter in iure noſtro fatalia, lites exſpirare, fatale lumen, mortuas cauſas inge-

miſcere,

miſcere, ortus fatales effluere, & viuendi ſpatia, l. 3. C. de temp. & repar. appell. & occaſiones mortales appellationum, in l. vlt. eod. Apul. in Apolog. Deinde, & ſi maximè Magus forem, tamen oſtendam neque cauſam vllam, neque occaſionem fuiſſe, vt me in aliquo maleficio experirentur. Sunt verò & ex noſtris I. Conſultis, qui iure experiri apud Tacitum corrigendum eſſe contendunt, ſed abſtineant. Idem Tacit. de mor. Germanor. Proprium gentis, equorum quoque præſagia, ac monitus experiri. Indignor etiam cum Luſitanum & doctum, & diſertum, illam veluti Geometricam demonſtrationem producere lego, vt dare bonorum poſſeſſionem, mittere in poſſeſſionem, iubere cauere ſtipulatione Prætoria, iubere poſſidere, & alia huiuſcemodi, mandata iuriſdictione transferri, ſic oſtendi contendat: Quæcumque ſpecialiter lege, vel S. Conſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur, mandata iuriſdictione non transferuntur, l. 1. de offic. eius. Igitur quæ ſpecialiter non tribuuntur, mandata iuriſdictione tranſeunt. Illa ſpecialiter non tribuuntur: Adeoque transferri dicemus. En cor Zenonis, iecur Chryſippi. Sed Meliſſum audiuit, & ab illo accepit, εἰ τὸ γενόμενον ἔχει ἀρχὴν ἅπαν, ὅτι καὶ τὸ μὴ γενόμενον οὐκ ἔχει. pariare voluit. Addamus alia quædam. Nam non eſt propriè perſonæ metatheſis, quæ metatheſis videtur in l. 37. ſi certos, de verb. obl. Dixit Paullus, nihil nobis debetur, cum dicere debuiſſet mihi, non eſt, inquam, metatheſis, niſi vocis, quamquam Grammatici, perſonæ metatheſin hanc quoque dicerent. Aliquando, velut ἐν ὄψει, ſiue ſupercilio ſic loquimur. At in l. 76. ſi tu ex parte, de acquir. hær. conſultatio facilè metatheſin admiſit, ob diuerſitatem petentis, & reſpondentis, rurſus in l. 28. & l. 29. de rei vindic. ob reſponſorum diuerſitatem, metatheſin admittere cogimur. Alia enim erat perſonarum diſpoſitio apud Paullum, & Caium, alia apud Pomponium. Tribonianus I. Conſul-

ſultorum verba immutare noluit, quod vtinam vbique religioſè ſeruaſſet! Addam aliqua ex Conſtantini legibus. Is enim, vt ſcribit Socrates, cubitum, quo menſuratur Nilus, non in templum Serapidis annis ſingulis, ſed in Eccleſias portari ſanciuit. De cubito Niliaco plura leges apud Heliodorum Ethiopicon lib. 10. Vide Plin. lib. 18. c. 18. Sozomen. lib. 1. c. 9. in Tripartit. Nicephorum lib. 12. c. 37. Ruffin. Eccl. Hiſt. lib. x1. c. 30. Euſeb. de Vit. Conſtantin. lib. 4. Nazianzenus quoque in 4. contra Iulianum meminit honorum, qui apud Aegyptios Nilo per Androgynos haberentur, quo loco Elias Cretenſis Androgynos honores ad turpitudines trahit. Firmicus de error. profanar. religion. quo loco agit de Ioſepho: Huic poſt mortem, Aegyptij patrio gentis ſuæ inſtituto, templa fecerunt, & vt iuſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quomodo eſurientibus, & ementibus frumenta diuiſerat, cupitis ſuper-poſitus eſt, reſcribendum eſt, cubitis. Nam Nili cubitus argumentum erat annonæ. Subit autem admiratio cũ de alia Conſtantini lege apud eumdem Nicephorum lib. 7. c. 46. lego, quod diem, quem Iudæi primùm numerarunt, & Græci Soli dicarunt, *Dominicum* appellauerit: quem etiam feſtum, & feriatum omnibus eſſe, lege lata conſtituit. Nam hæc appellatio, qua diem illam κυριακὴν, ſeu *Dominicam* dicimus, ad Apoſtolorum tempora potius referenda eſt. In Apocalypſi: ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, quod etiam probat l. 7. C. de fer. *In eadem obſeruatione numeramus & dies Solis, quos Dominicos ritè dixere Maiores*. Ipſe Conſtantinus in l. 3. C. eod. *Venerabilem diem Solis* appellauit. *Dominicum diem ſemper honorabilem, & venerandum* dixere Leo, & Anthemius, l. fin. C. eod. vt & Poeta de alio,

Semper honoratum (ſic dI voluiſtis) habebo.

Quibus etiam ex locis conſtat, ſacris hiſce diebus, ſi præſcripta legum ſeruanda eſſent, nec apud ipſos Arbitros,

aut Iudices ſpontè electos diſceptationem eſſe permiſſam, nec vocis poteſtatem Apparitoribus, aut Admonitoribus eſſe, vt quis in ius vocetur: quamquam obtentu conſuetudinis hoc infractum videatur. Adeò autem per hos dies ſpectaculis, ac voluptatibus interdictum, vt ſi in eoſdem ſollemnitas Natalis Imperialis celebranda inciderit, differri iubeatur. Notatus & antiquitus Claudius, quod etiam ſuis, ſuorumque diebus ſollemnibus, nonnumquam feſtis quoque antiquitus, & religioſis, ius laborioſiſſime dixerit, vt Sueton. ſcribit c. 14. Eat nunc æui huius ſoluta iuuentus, & ne dum per hos dies ius cuique tribuat, quin per maximam iniuriam, & licentiam, nullo diſcrimine, nullo pudore nefarios luſus, & impias voces ingeminet, venerabilis diei, quantum eſt in perditis moribus, temerata luce. Sunt & alij dies venerabiles, in quibus præſcriptum aliquid peragendum, aut ab aliquo abſtinendum eſſe. In Canonibus Nicefori Confeſſoris decretum erat, ne die Dominico ſine impellente neceſſitate, aut vi iter fieret. Præſides, ſeu Iudices die Dominico oportet inſpicere Carceres, & decernere, vt cuſtodes humaniter cum reis tractent, & alimenta, ac lauacra præbeant. Epiſcopi verò feria 4. & 6. eoſdem viſitant, l. 9. l. 22. C. de Epiſc. Aud. l. 6. C. de cuſt. reor. Euſtath. de tempor. c. de die vno. Mercurij die ieiunium quoque ſeruabatur ob memoriam proditionis Seruatoris noſtri, obſeruatum ex can. xv. Petri Alexandrini. Id verò Dominica die interdictum ibidem, & in xvII. Gangrenæ, ſed nec de geniculis adorandum eſſe diebus Dominicis, vetus Eccleſiæ mos dictat, xx. primæ. Tertullianus de cor. mil. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. In Dominica Palmarum olim capita infantum, qui vngendi eſſent, lauare mos erat. Iſidor. lib. 2. de Offic. Eccl. c. 27. *Hoc autem die Symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paſchæ diem ſollemnitatis; vt quia iam ad Dei gratiam*

per-

percipiendam feſtinant, fidem, quam confiteantur, agnoſcant. Vulgus autem ideo eum diem Capiti lauium vocat, quia tunc moris erat lauandi capita infantum, qui vngendi ſunt ne fortè obſeruatione Quadrageſima ſordidata, ad vnctionem accederent. Vide & de hoc more Auguſtin. Ep. 118. De die verò Perlauij, ſeu pedum-lotionis, vide eumdem Ep. 119. alicubi enim hæc in eamdem diem incurrebant. Gloſs. vett. *Perlauia*, ποδάνιπτρα. Hunc eumdem diem, feſtum dico Palmarum, Græci βαΐων ἑορτὴν dixere, ſeu *feſtum Baiorum*, de hoc plura apud Codinum. *Baia* Græcis eſſe *Palmas*, vel *Palmarum ramos*, ſcribit Hieron. in Ezechiel. At Balſamon quo loco agit *de incenſis, quæ a Patriarcha dari ſolent eo die, quo Catecheſis habetur*, id negat: ſimul etiam quædam addit ridenda potiùs, quàm deſcribenda. Eodem die, *Rogas* diſtributas fuiſſe ab Imperatore, & Patriarcha, idem Balſamon fusè narrat, docent & alij. Idem ille Græculus delirans, canina rabie Latinos allatrat, & falsò ſugillat, cum in ſua Melete agit de Eccleſiaſtico Inſtituto, quo Plebes ad Eccleſiam triplici tintinnabulorum, vel æncarum Nolarum ſigno euocantur. Dignum ſanè os, quod ſculponeis, vel rhopalis potiùs a codonophoris batuatur, quando & neſcio quæ de Campanis ineptè comminiſcitur, & Latinos, Italoſque in pluribus peccare non minùs falsò, quam perfidè cauſatur. Alterius Diei meminit Nicephor. lib. 17. c. 28. cuius anniuerſariam celebritatem a Iuſtiniano inſtitutam fuiſſe ſcribit. Ea verò eſt Sollemnitas Purificationis Deiparæ Virginis, quam & ſollemni ſupplicatione antiquo Inſtituto colit Eccleſia. Huius meminit & Manuel Comnenus in Conſtitutione quadam de Ferijs: quam Balſamon propoſuit, vt dies faſti a nefaſtis diſtingui poſſent. Κʹ βʹ φεβρουαρίου διὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ὑπαπαντήν, καὶ ἡ γ. διὰ τὴν τῆς μνήμης τοῦ θεοδόχου Συμεὼν ἰελετὴν Cuius loci priora ſi, vt quibuſdam placuit, ita reddantur, Februarij dies ſecundus,

prop-

propterea quod Seruatori obuiam itum ſit, ambigua erunt cum de occurſu Hebræorum accipi poſſint, nempe de Palmarum die. At Hypapante, *Occurſus* a Veteribus dicebatur, vel *Obuiatio*, & pro eo die accipitur, quo Simeon occurrens *Virgini Matri*, Maximum *Infantem* excepit. Verba Sigeberti in Chronic. ann. 542. ab alijs etiam prolata: Conſtantinopoli mortalitate magna inſurgente, ſtatuta eſt ſollemnitas Purificationis B. Mariæ, quæ græcè ὑπαπαντὴ, ideſt Obuiatio dicitur; eo quod die illo Simeon obuiauerit oblato in Templum Domino, & ita mortalitas illa ceſſauit. Epidemicum morbum, & popularem, ſeu depaſtionem, & graſſationem, (Græcis eſſet ἐπινέμησις) *mortalitatem* Sigebertus appellat, eamdemque vocem apud alios, præſertim apud Cyprianum obſeruare licet. Verùm, quod pertinet ad Hypapanten, ſunt, qui credant, eam coli quidem Iuſtinianum iuſſiſſe, non tamen primùm huius diei cultum inſtituiſſe. Mihi ſententia iſta probatur: & ad Apoſtolorum æuum hanc celebritatem non vanè referri opinor. Græci inter Domini Celebritates recenſent: Latini inter Virgini dicatos dies. Ambroſiani tamen græco ritu inter illas referunt. Sed ego non ne hìc opportunè gradum ſiſtam? Sanè tempus admonet miſſionis: Iam enim aſcendit AVRORA. Igitur congenulando ad Benedictionem, in te libens deſino, VIRGO.

✠✠✠
✠✠
✠

BIBLIOTECA ... ROMA ...

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google